

RESID. TOLOS. S. J.

A.J. 7

1957

50 in  
comptabilis  
proje

acheve d'imprime  
par Jean Bouk

~~Stéphane Charonnes~~

PHILOSOPHIA  
COLLEGII  
TOLOSANI.

Studio PETRI IULIANI Claromontani  
*Lodouensis Diœcesis, Doctoris Theologi, &*  
*in eodem Collegio Philosophiae Professoris.*

AD AMPLISSIMVM DOM. D.  
IOANNEM DE BERTIER,  
D. DE MONRABE, EQVITEM  
nobiliss. sacri consistorij Consiliarium,  
& Supremi Tolosatum Senatus Prin-  
cipem Illustrissimum.



T O L O S A E,  
Excudebat ARNALDVUS COLOMERIVS,  
Regis & Academiæ Tolosanæ  
Typographus.

---

M. D C. XXXII.

DOMINI CONSERVE MEN TRA TU SANTO RUM  
TOTOS ANIM IU SANTO RUM  
DOMINI CONSERVE MEN TRA TU SANTO RUM  
DOMINI CONSERVE MEN TRA TU SANTO RUM



TOTOS ANIM IU SANTO RUM  
DOMINI CONSERVE MEN TRA TU SANTO RUM  
DOMINI CONSERVE MEN TRA TU SANTO RUM  
DOMINI CONSERVE MEN TRA TU SANTO RUM



AMPLISSIMO  
DOM. D. IOANNI  
DE BERTIER, D. DE  
Monrabe, equiti nobiliss. sacri  
Consistorij Consiliario, & Su-  
premi Tolosatum Senatus  
Principi Illustrissimo.

**N**ON diu quæsuit Philosophia nostra, Princeps Senatus Illustrissime, cui se cōmitteret. Virum statim inuenit, quo indigebat ad sui Præsidium. Sapientiam sui nominis auctoritate tuebitur, qui sapientissimus iudicatus est. Nec poterat credi securius,

quam cui regni pars melior com-  
mitti potuit. Quamquam profecto no-  
rum illud dignitatis decus, quo te Re-  
gum prudentissimus insigniuit, te no-  
bis potiorem non fecit. Tua nos du-  
dum lenocinia virtutis allegerunt.  
Et si sponte non confugeremus ad te,  
in quo uno omnes bona artes magna  
in gratia sunt, ex necessitate cogere-  
mur. Quis enim unquam Musas  
habuit chariores? Hoc unum dolemus,  
quod vix mereatur opus patrocinium  
tuum. Quia tamen omnia tibi deben-  
tur, nec quicquam detrahitur virtuti  
qua descendit ad viliora: non vere-  
mur, ut humanitas tua non recipiat  
nos. Speramus saltem fore, ut tibi  
gratum sit huius officij testimonium,  
quod omnes Athenai nostri Musæ  
facto agmine confirmabunt breui. Ego

interim obseruantia erga te nostra  
obsidem tibi Philosophiam trado, non  
obscuram apud posteros famam adep-  
turus, si possint hac scripta probare,  
me gloria tua vixisse.

**I**ologis in A*VLIANVS.*  
lesjores accensis beligerimus pugnare  
scitatis est. Pugnabimur tollere inimico-  
rum monasterii. Iacobus  
in Diuinae et Dogmatae pugnare. Quid in eorum  
Catholicae Pugnabimur. In duo simili  
contra nos sunt ut posse motes rebatur  
immo in universum mortuum in lucem euan-  
guis indicantur. In duorum pugnare  
magis beatorum pupillarum. Damnum  
jovis die 18. mensis Aprilie anno 1622.

**E**stimate **V**ictoria, **P**ro  
Regis Anglie invasione.

**H**oc Cottoniae, Dogmatis  
et Iosephiniis pp. Cuiusdam  
Bonicas Topos.

**L**e Brossi Dogmatis Regis Collagi  
**P**. Bernardi Tavani.




## APPROBATIO.


**N**OS infra scripti Sacræ facultatis Theologiæ in Academia Tolosana Professores accurate perlegimus Librum cuius titulus est, *Philosophia Collegij Tolosani, studio PETRI IULIANI Claromontani Lodouensis Diæcessis, Doctoris Theologi, & in eodem Collegio Philosophiae Professoris*, in quo nihil contra fidem aut bonos mores reperimus, imò in utilitatem multorum in lucem edendum iudicauimus, in quorum fidem has manu propria subsignauimus. Datum Tolosæ, die 19. mensis Aprilis anno 1632.

F. SIMPLICIANVS, Professor Regius, Augustinianus.

F. P. COLLONQVES, Doctor Regens, & Prouincialis PP. Carmelitarum Prouinciæ Tolosæ.

F. I. BOISSET Doctor Regens Collegij  
P. P. BERNARDI TARVM.





IN VNIVRSAM PHYSICAM  
TOLOSA NAM.

DISPV TATIO I.

**S**VPERATIS tandem diale-  
cticarum spinarum aculeis,  
neconon aridis sterilibusque  
illius campis, in quibus inge-  
nia siti & fame fermè conta-  
buerunt, feliciter transactis:  
tempus est ut in amœna Phy-  
siologiae violaria pedem infe-  
ramus, & delicatioi manu  
suaquissimos ex illis deterpamus. *Mors*

R E R V M igitur Physicarum contemplationem  
aggredimur, quæ vt sensui palam subiiciuntur ( vt  
æcli elementa, mixta ) magis delectant animum quam  
terum figmenta, quæ in Logicis pertractantur.  
Physica namque de rebus ipsis per se agit, Logica  
vero de rerum adumbrationibus duntaxat, quæ vt suaui  
quædam titillatione, mentem humānam à feb̄is circū-  
fusis & sensibilibus ad vniuersales & secundas notio-  
nes eleuant ac lidunt, merito comparandæ sunt um-  
bræ alicui, quam pueri fugientem insequuntur. Ne-  
cessariæ tamen cententur omnibus formandis artibus  
ac scientijs, quod earum ope, illæ compareantur.  
Præbent namque cæteræ scientiæ & artes materiam,  
Logica vero artis formam, eiusque usus prōinde circa  
materiam quarumcumque scientiarum occupatur,  
vt earum principia causæ, partes, proprietates &  
accidentia alioqui confusa explicitentur. Vnde, sive  
usu Logico cæteræ scientijs, nihil aut parum, usus

verò cum scientia plurimum valet : quia scilicet ipsa rerum speculatio ab omni vsu Logico seiuēta in abusum firmiora etiam ingenia solet abripere.

Hæc autem scribo, vt sciant Philosophiæ studiosi, in texendis rebus Physicis, præceptorum Logicorum usum inferendum esse, non contemnendum: vel è maximè, quod eius præsidio ( tanquam Theseo-filo , ac fideli manu , ab vniuersalioribus , ad minus vniuersalia à generibus , ad species , necnon ab essentia ad proprietates , & à causis ad effectus , & è contraria ) deducantur : secus si fiat, nec finem obtinebunt, nec suavitatem ullam ex amoenis Physiologiae viatorijs percipient. Sed hæc satis , macte animo ad rem progrediamur.

## QVÆSTIO. I.

*Vnde deducitum Nomen 'Physicae , & qui eius primi Inuentores.*

**P**HYSICA vocabulum , à φυσι h̄oc est, à natura suam duxisse originem . constans est totius scholæ consensus. A natura inquam quæ cùm sit primum eius obiectum cetera quæ ad illam spectant complectitur tanquam proprietates. Cuncta namque in quibus indagandis incumbit Physicus . vel sunt à natura , vel præter naturam , vel ipsa natura ; unde vulgo . scientia hæc dicitur naturalis : quemadmodum Metaphysica transnaturalis quod abstrahat à naturâ. Vnde hæc quidem subtilior & sublimior , sed illa solidior.

**P**HYSICA autem inventionem tribuit Aristoteles Græcis , lib. i. Metaphy. Laertius verò utriusque linguae sapientibus. Sribit enim in præfatione , lib. i. Antiquiores Philosophos , tūm Græcos , tūm Latinos in solâ scientia naturali fuisse occupatos. Quos verò tanquam sapientes venerata est antiqui-

cas , non tantum Græcos aut Romanos . sed magna ex parte aliarum nationum fuisse constat. Nam Orpheus Trax fuit ; Tales , Phœnix : Mercurius . Ægyptius : Zoroastes ; Persa ; Athlas , LybicuS : Anacharsis Scyta : Pherecides , Syrus , deinde apud Gallos , Druidæ : apud Ægyptios , Sacerdotes : aptæ Babilonios , Caldæj: apud Persas . Magi : apud Indos Gymnosophistæ : apud Hebreos , Prophetæ . Sed nequidem isti Physiologia dicendi sunt auctores , sed cultores tantum . Crediderim enim cum Diogene lib. 8. & Iosepho lib. 1. contrà Appionem , nulla potuisse humanâ industriâ primò adiuueniri : sed à Deo cum cæteris scientiis primo Parenti infusam fuisse , ac deinde ad posteros per traditionem deriuatam.

Nec deest authoritas Themistij egregij Phylosophi quâ parte docet suæ gentis sapientes , non ideo Philosophia inuentores appellatos , quod primi illam inuenient : sed quod post singulare illud diluuiū . Thessalicum quod sub Deutalione totam deleuit Græciâ Philosophiæ studium iniuriâ ac hominū indiligienciam extinctū in Græciâ instaurauerint ab Ægyptijs instruti . Vnde colligi potest , ab Ægyptijs Græcos ; Ægyptios ab Hebræis : Hæbreos verò longâ annorum serie ab Adamo hanc scientiam didiscisse : sed à Græcis Latinos , à Latinis verò Gallos , eandem exhaufisse . Quantum verò laudis & honoris sit deferendum Philosophiæ Doctoribus tradit Aristoteles lib. 1. Met. & 9. Æth. vbi ait , nec honorem , nec mercedem villam posse nos referre ijs à quibus eam accipimus , non fecus ac Dijs & Parentibus ; atque , ideo veteres non statuisse præmium aliquod sapientibus : quoniā propter eximiam sapientiæ præstantiam , nec idoneus iudex eius reperiri , nec satis dignum præmium constitui potest .

F V E R V N T autem tres potissimum Philosophorum sectæ : Ionica , Italica & Eleatica , ex locis in quibus floruerunt nominatae . Ex Ioniâ autem Arthænas transtulit philosophiam Archelaus præceptor Socratis . Is verò relicto præceptore & Philosophiæ

studio, ad Ciuitatem & priuatam vitam moribus informandam se totu[m] dedit. Ex Ionicâ quatuor aliq[ue] pullularunt sectæ: Academica, Peripatetica, Stoica, & Epycurea. Academica quæ nomen accepit a loco, princeps fuit Plato. Peripateticae. Aristoteles, quod in Lyceo loco disputaret de ambulans: Stoicæ vero. Zeno quod in Politu doceret: at Epycurus sectæ suæ autor fuit. Italicæ sectæ Æmulus fuit Pythagoras Samius, cuius tantæ fuit authoritatis opinio apud auditores, ut, ipse dixit pronunciarent. Dicta est autem hæc Philosophia Italica, quod pythagoras eam in Italia docuerit. Sectam Eleaticam subiiciunt Italicæ omnes authores, proptereaque de illa non est amplius inquirendum.

Venit inuestigandum quod tempore incepint hæ sectæ. Nascitur Plato Olympiade octogesimâ octauâ anno vrdis Romæ conditæ trecentesimo sexagesimo quarto: quod tempore à Gallis vtraque Pallade strenuis vastatur Roma, ciuibus pulsis, Cefis, prosligatis. Vigesimum annum agens Socratem audit: eo vetò defuncto Cratyllo operam dedit; sed hoc relicto Academiam instituit, eique prefuit annis decem. Trigintaannis natus peregrinari cœpit, & varias regiones discendi cupiditate peragrauit, tandem nonagenarius occidit. Eius successor fuit Speusippus ex Iorore nepos qui scholæ Academicæ prefuit annis octo. Post hunc Academiam tenuerunt Xenocrates, Polemon, Crates &c. Platonis vero tempore multi in omni genere laudis excelluerunt, in re bellica Agesyllaus, Epaminondas, Philippus Macedo, in historia Zenophon: in Astrologia Eudoxus: in arte Rethoricâ Isocrates: in Philosophia Pythagorica, Archytas Tarentinus in Cynica, Diogenes, in Peripatetica Aristoteles: Nascitur autem Aristoteles, primo anno Olympiadis nonagesimæ nonq[ue] Platone minor natu. Cum iam decimum annum attigisset ad Platonem audiendum accessit, apud quem annis circiter viginti commoratus est. Deinde Philippum Macedonum Regem adiit, & quod filium eius Alexandrum annos natum quindescim

## T O L O S A N A

5

Philosophiæ præceptis imbuendum accepit : quod in munere quinquennio consumpto & suo organo expleto , Athænas concessit , & in Lycaeō tredecim annis Philosophiam eandem quam nos Tolosæ suscepimus tradendam , edocuit : tandem senio confectus vita discessit , biennio post mortem Alëxandri magni . Quod referunt illum è vita migrasse pudore quod propositam sibi quæstionem de natura Euripi non posset soluere fabulam sapit : neque enim potuit illum latere Euripi natura , qui vniuersam sibi perspectam habebat naturam .

P R O X I M E autem successit Aristoteli Theophrastus , tanta auditorum multitudine nobilitatus , ut ad duo milia discipulorum scholam eius peripateticam frequentarent . Is vero scholam & vniuersam Aristotelis bibliotecam Noleo tradidit suo successori ; qui ( nescio quo animo ) eam posteris dedit hominibus sanè imperitis : ut libros tam miræ cruditionis sub terram oculuerint : quos tamen partim tineis , partim humiditate labefactatos Romani in pristinum statum restituendos . curauerunt . Quindecim post Aristotelem annos , Zenonem & Epycerum floruisse constat apud authores qui hac de te scripsierunt . Verum , quia nec Stoici nec Epycurei sumus nos , sed Aristotelici , ad veram & non fucatam Peripateticæ doctrinæ viam redeamus .

## QVÆSTIO II.

*Vtrum Physica sit pars Philosophie.*

V T sensus quæst. percipiatur , quid Physica sit , quid philosophia præmittendum est , Dicitur autem Physica , de natura & naturalium corporum ac rerum motu principijs , causis , passionibus , atque accidentibus scientia : vel summatim , Physica est naturalium corporum & substantiarum scientia : vel

Philosophia verò non est particularis aliqua scientia, quæ aliquod ens particulare spectet, sed quoddam vniuersale genus sub se varias complectens scientias. Sicut enim apud Morales Philosophos Iustitia, aliquando usurpatur pro speciali quadam virtute voluntatem inclinante ad ea quæ sunt aliorum: aliquando verò pro omnium virtutum aggregatione quā dicitur homo iustus, hoc est omni ex parte perfectus: ita & philosophia; et si interdum pro scientia particulari, scilicet Metaphysica, sumatur, tamen potest rectè usurpari, pro scientiarum omnium collectione. Hoc sensu Aristoteles lib. 1. Met. cap. 2, philosophiam vocat cumulum omnium scientiarum sive sint practicæ quæ ordinantur ad opus ut medicina: sive speculatiuæ quæ non ordinantur ad opus, sed sunt in mera contemplatione objecti, ut Physica & Mathematica: atque ea ratione is solum dicitur philosophus qui omnes prorsus scientias & artes est assequitus. Vnde sexto Eth. nomen sapientiæ tribuitur etiam artibus Mecanicis; Phydiam enim & Policletum sapientes dicimus, hunc fictorem statuarum, illum lapidum sculptorem, & eo sensu diuiditur philos. in practicam & speculatiuam. Secundò, vocat Aristoteles philosophiam, illam scientiam speculatiuam cuius finis est substantiæ rerum indagatio, quod significatu Mathematicas disciplinas & Logicam scientiam excludit, solumque comprehendit Metaphysicam, quæ de vniuersali rerum omnium corporearum & incorporearum entitate agit; & dicitur sapientia; & Physicam, que solum substantiam corpoream prout principium in se habet motus & quietis attingit, & dicitur scientia: hæc quidem scientia quod essentiam per proprietates, & causas per effectus ostendat & è contra; illa vera Sapientia, quod de supremis ac perfectissimis rebus proximè Deo cohaerentibus, ipsoque Deo agat. Eo significatu, colligunt Stoici hanc totius Philosophiæ definitiōnem; Philosophia est diuinarum humanarumque rerum scientia. Ut sensus fit, Metaphysicam versat.

circa diuina: Physicam verò circa humana: quia universitas omnium scientiarum se extendit ad diuina & ad humana tantum, quia præter ea duo genera entia, cætera sunt figmenta. Tertiò, sumitur philosophia pro contemplatione veritatis omnium rerum scibilium, & intelligibilium, & hoc sensu diuidunt doctores vniuersam philosophiam cum Aristotele 6. Met. cap. i. in Metaphysicam, Physicam & Mathematicam, quibus additur à nobis Logica scientia quæ purè est speculativa, cum sistat in mera contemplatione veritatis syllogismi ex materia purè Logica cuius artificium & secundum normam & secundum usum ad Logicam artem, ( distinctum habitum; à Logica sciencia ) diximus in Logicis omnino spectare, Atque hoc tertio modo sumpta Philosophia dici potest, etiam diuinorum humanarumque rerum scientia: Nam Metaphysica spectat diuina, cætere verò scientiæ cōpletuntur omnia humana: diuina enim & intelligibilia quæ ab omni segregantur materia sunt idē: sensibilia verò, & rebus ipsis concreta reciprocantur.

**Q**uis autem negauerit Metaphysicam versari circa intelligibilia, cum agat de supremis rerum generibus, ipsoque Deo, intelligentijs, & animabus separatis: Physicam verò Mathematicam & medicinam circa sensibilia, cum circa substantiam corpoream, eiusque quantitatem & figuram ac motus & virtutes occupentur. Nec mirum si Logica scientia medium teneat viam inter intelligibilia & sensibilia, quia secundæ notiones quarum veritatem ipsa speculatur mediæ sunt inter entia realia intelligibilia & sensibilia ut potè intentionales, per mentem arte Logicâ imbutam efformatae, habentes tamen fundatum in ipsis rebus, ut patet ex dictis in Logica: omnis enim definitio fundatur in definito; omnis syllogismus in ea materia ex qua fit, omneque subiectum aut prædicatum in iis rebus ex quibus fit utrumque.

His omnibus philosophiæ acceptationibus præmissis, Quæritur utrum Physica sit pars philosophiæ; & quia secunda acceptio mihi videtur cōformior mēti Aristotelis,

DICENDVM est, recte dissecari vniuersam Philosophiam, in sublimam illam scientiam quae Metaphysica dicitur; & solidissimam cognitionem rerum naturarum quae Physica denominatur: utraque enim in rerum substantijs indagandis occupatur physica namque substantiam rerum speculatur secundum gradus inferiores & sensibiles; vt sunt gradus corporis, simplicis & mixti: generabilis & corruptibilis: viuentis & non viuentis, sensibilis & insensibilis pro ut ipsi motui naturali subiiciuntur. Metaphysica vero, secundum gradum superiorem entis, quatenus potentiam quadam vniuersali inferiores omnes gradus entis comprehendit: rerum autem substantiae ex gradu superioris entis, & gradibus inferioribus allatis coalescunt ut etiam tonsoribus notum est: coalescit igitur vniuersum corpus Philosophicum ex illo duplii habitu Metaphysico & Physico, adeo ut Physica se habeat instar corporis, Metaphysica vero instar animae.

VERVM, quaevis harum alias sub se complectitur partes quibus ipse resultant.. Prima pars Metaphysicæ est in qua res ejunctæ, à materiâ secundum rem & rationem pertractantur. Cuiusmodi sunt, Deus optimus maximus & intelligenter, & propter id dicitur Theologia naturalis: secunda, ea in qua transcendentia explicatur, ut sunt, vnum, verum, bonum, actus, potentia, essentia, existentia, subsistentia, inherientia, suppositum & haecceitas, seu individuatione: propterea que prima scientia dicitur, quia haec, prima sunt rerum omnium principia. Tertia pars Metaphysicæ ea est quae decet, complectitur predicamenta sub proprio conceptu formalis: substantia enim & accidens sunt species, aut quasi species entis, quantitas vero qualitas, relatio actio, passio. ubi, situs, tempus & habitus, species sunt aut quasi species accidentis, & accidens species aut quasi species entis & sic dicitur prima Philosophia, quia haec sunt prima rerum genera, à quibus omnes species & individua rerum proficiuntur. Prima pars physicæ est, quae naturam eiusque principia causas & affectiones attingit in genere: hoc est, sub conceptu materia,

formæ, priuationis, naturæ actiæ, passiuæ principij, causæ & effectus : nec non sub ratione finitæ aut infinite extensionis : sub conceptu corporis existentis in loco vel in vacuo , ibique durans per instantem vel per tempus . ubique positam generationem aut motu locali secunda est . quæ corpus naturale spectat ut mobile ad locum : & sunt libri de Celo. Tertia quæ illud spectat, ut mobile de forma ad formam . & sunt libri de generatione & corruptione. Quarta, quæ illud spectat , ut mobile ad vitam , & sunt libri de anima. Sed haec partes, potius sunt species corporis naturalis, quam partes. Quare 2. pars Physicæ ea est, quæ corpus naturale spectat ut sanabile ; vel simpliciter ut naturale , vnde medici Physici solent vocari.

S E D nota , duplarem esse medicinam , unam purè speculatiuam alteram purè practicam , Speculatiua est quæ tota in rerum naturalium contemplatione incumbit , proptereaque modum medendi minime attendit , practica vero modum & normam attendit medendi & morbis ipsis adhibet medicamenta. Tria autem sunt quæ tractat medicina speculatiua 1. quidem corpus humanum , eiusque temperamenti facultates & operationes: 2. sanitatem & morbum quatenus sunt affectiones naturales ex principijs ipsius naturæ profiscientes. 3. alimenta & medicamina quibus expellitur morbus constat esse res Physicas cum sint vel herbarū vires, vel lapidum aut aliarum rerum naturaliū virtutes, & haec quidem medicina nihil differt à Physica, sed eius secunda pars censetur esse.

Medicina practica ea est quæ corpus naturale non spectat ut mobile ad sanitatem per naturam, sed per artē natura enim vim quidem habet sanandi sed quæ applicanda est ab arte: vnde, ars subministrat naturam non virtutem sanandi sed applicationem virtutis: & sic corpus naturale est sanabile per conditionem accidentalem quam sit ut medicina practica subordinetur Physicæ : quemadmodum perspectiva subalternatur Geometriæ ratione visualitatis quam addit supra lineam quam Geometria respicit purè. Vnde medicina practica non

est pars Physiologiae quemadmodum speculativa. Tertia pars Physicæ in solâ sistit contemplatione quâtitatis: pro ut quantitas à nullâ abstrahit materia, sed omnino confert ad motum, quia ut sic rei naturalis est affectio. Hæc autem ut percipias quia satis sublimia, quia spectant ad Metaphy. dignata men sunt quæ hoc loco axcutiantur.

**A D V E R T E** igitur tripliciter spectari posse quâtitat , i. pro ut est ens reale, & accidens materiae: atque hoc modo neque potest simpliciter abstrahi ab omni substantia, neque à Mathematico cōsiderari sed à Metaphysico: secundò, spectari potest quantitas per se in ordine ad eas quæ illi cōueniunt passiones, ut quâtitas est: cuiusmodi sunt triangulus, quadrâgulus, & similia quæ Mathematicus per se considerat. Quod enim triangulus tres habeat angulos æquales duobus rectis, ex eo non accedit, quod sit figura alicuius substantiæ, sed quia simpliciter figura est: abstrahit enim Mathematica ab omni substantia, omnesque suas resoluti speculationes usque ad figur s quantitatis; ibique sistit null  prorsus habito conceptu de substanti . Tertio sumitur quantitas, ut est affectio rei naturalis conferens ad motum & Physicas operationes, quia nec esse, nec operari potest corpus naturale nec v lo modo moueri nisi sit affectum quantitate, ut innuit Aristoteles, lib. 2. Phy. textu 18. & sic pars est Physic : & consequenter Mathematica Physic  est considerationis, ut pot  quæ suum obiectum mutuatur à Physica: & sic Metaphysica & Physica quæ partes sunt essentiales totius philosophiae in plures dissecantur partes integrales ut recensui: ex quibus simul sumptis resultat tota philosophia. Nec inept  totum corpus philosophicum posuimus in conclusione, coalescere ex Metaphysica & Physica, quia virtualiter continentur c ter  partes in istis ut patet.

**V E R V M** qu ret aliquis cur medicina speculativa, sit secunda pars Physic , Mathematica vero tertia: pr sertim c m Mathematica spectet quantitatem quæ prior est viribus seu qualitatibus quas

attendit medicina in ente naturali. Respondeo , Mathematicam solùm spectare quantitatem : Medicinam verò corpus naturale prout in se habet qualitates naturales quibus aliud sanetur arte : & quia corpus naturale est prius quantitate quâ extenditur , ideo medicinam præferendam esse , sed an Physica sit scientia videamus.

### Q V Æ S T I O . III.

*An Physica sit scientia practica vel speculativa.*

**E**X dictis constat Physicam esse partem philosophiae pro ut philosophia sumitur pro omni scientia speculativa , cuius finis est substantia rerum indagatio : nunc examinandum occurrit , an Physica sit scientia practica vel speculativa. Sed potest intelligi hæc quæstio , vel de vniuersa Physica secundum omnes sui partes ; vel de hac solâ parte quæ ijs octo libris continetur. Est enim hæc pars tanquam genus ad alias partes. Corpus siquidem naturale de quo solum hic agimus , est genus ad cœlestē & elementare : ad simplex & mixtum : ad corruptibile & incorruptibile : ad animatum & inanimatum : conueniunt enim hæc omnia in ratione corporis naturalis , differunt autem in ratione talis corporis : quod nimurum vnum sit cœlestē , aliud elementare : vnum simplex aliud mixtum , vnum viuens , aliud non viuens ,

**N E G A N T** Academici apud Aristotelem 1. Met. Physicam vniuersim sumptā esse scientiam , hac ratione ; non datur scientia nisi de rebus immutabilibus : res autem Physice mutabiles sunt ; nam Cœli perpetuo voluantur , Sol & Luna eclipsis patiuntur : Elementa mutuo agunt & reaguntur , alterantur & corruptuntur : mixta denique ortum habent , & integrum ; ergo de illis nequit haberi vera scientia. Consequens clara est , quia immutabilitas scientiarum

prouenit ex immutabilitate obiecti. Sed contrā , res Physicæ sunt mutabiles , quoad existentiam , concedo : quoad essentiam , nego. Sunt enim rerum essentiæ omnino immutabiles , ingenerabiles & incorruptibiles. Et licet in ipsis singularibus corrupti videantur cum ipsa singularia pereunt , remanent tamen gradus essentiales inter se . & cum suis proprietatibus necessariò connexi. Vnde aternæ sunt veri.atis . hæ propositiones ; omne corpus naturale est mobile , quia habet naturam : diuisibile , quia est quantum : mixtum & corruptibile , quia constat ex contrarijs. Ibi enim , verbum est : non prenotat existentiam , sed essentiam : ut dum dicimus , homa est animal , verbum *est* , *non sonat existere* , sed esse Quamobrem , corpus naturale est mobile , diuisibile & corruptibile ac generabile , secundum existentiam , & sic de eo nequit esse scientia : immobile vero indiuisibile & incorruptibile ac ingenerabile secundum essentiam , & sic de eo datur scientia.

D I C E S , existentia non differt ab essentia , ergo si obiectum Physicæ sit mobile , diuisibile & corruptibile secundum existentiam , ita & secundum essentiam ergo corrupta existentia singularium corruptitur & eorum essentia , & sic de rebus Physicis nulla dabitur scientia immutabilis & constans , neque secundum essentiam , neque secundum existentiam. Resp. essentia non differt ab existentia , Physicè , concedo , Metaphysicè , nego. Ergo corrupta singularium existentiâ corruptitur & eorum essentia , hoc est , corrupta existentia definit existere essentia , concedo ; definit esse , nego. Maximum enim est discrimen inter existere & esse : seu inter rem aliquam esse in esse essentiæ , & in esse existentiæ , Res enim omnes ante mundi productionem erant in esse essentiæ , & per mundi productionem transferunt ad esse existentiæ : & si ex suppositione anihillaret Deus omnes res quæ modo existunt , desinerent quidem esse in esse extentiæ , sed perpetuò remanerent in esse essentiæ : in tali enim statu nec generabiles sunt

ne corruptio ces , sed omnino ingenerabiles & in-  
corruptibilis se

V N D E c omma nt aliqui , Physicam quę de illis agit esse qua , et ientiam sed practicam , non spēculatiuam , modus do Physica docet modum quō fit eius obiectus & int̄go est practica Probant antecedens , docenix , grain quo fiunt corpora naturalia , eorumque actione eritus : sed p̄fertim meteora , ros , nubes , fulgor , tonitrua : hęc nimirūm at compressione , & alia quauis humorum & vaporum vi viderum impressione : illa verò variat̄lementorum In mixta . & mixtorum in elementa transmutatione: elementa autem & mixta , meteora & quęvis alia composita Physica , sunt de obiecto Physico , ergo Physica tradit modum quo fit eius obiectum . proindeque practica est , non sp̄culatiua. Probatur consequentia , quia scientia speculatiua s̄sistit in mera obiecti contemplatione : practica verò tendit ad opus & tradit modum quō illud fit.

S E D contra , Physica explicat modum quo fit eius obiectum à naturā , concedo . Tradit modum quo fit eius obiectum à se , nego. Neque enim efficit Physicus corpus naturale , aut cōpus Meteorologicum quamtu[m]uis speculetur utrumque fieri à natura : vnde non docet modum quo fit utrumque , practicę , sed sp̄culatiuę , & sic scientia non est practica , sed sp̄culatiua.

V R GENT , Physicus spectat suum obiectum vt dirigibile in syllogismum ; ergo illud spectat practicę , non sp̄culatiuę , quia dirigere materiam Physicam in syllogismum est illam disponere sub formam syllogisticam & hoc est oportari. Probant antecedens suum obiectum spectat Pphysicus vt illud sciat , nequit antem illud scire nisi prius illud disposuerit sub formam syllogisticam , ergo primariό illud spectat vt dirigibile , secundariό vt scibile. Sed contra . Physicus suum obiectum spectat vt dirigibile in syllogismum , ex habitu Logico concedo ; ex habitu Physico , nego , ergo habitus Logicus est practicus , concedo , habitus

sp̄culatiuę  
concedo . ,  
operatiuę ne  
go.

Physicus nego. Vnde, in quoquumq[ue] syllogismis  
Physico est duplex habitus, unus dispositius mate-  
riæ informâ & figura, & est Logicu[m]: alijs quo af-  
sentimur veritati materiæ dispositiæ & est Physicus:  
atque hic sistit in sola contemplatione veritatis ma-  
teriæ: ille vero operatur circa materiam. Vnde, Phy-  
sicus præbet materiam, ait ver. Logica formam.  
Quare,

DICENDVM est, 1. Ph[ysica]m vniuersim sum-  
ptam prout complectitur oianes sui partis, nempe  
corpus naturale in genere & in specie, esse verè scien-  
tiam Ita Aristoteles 2. Met. cap. 3. & lib. 4. cap. 4.  
test. 23. vbi contrariam opinionem iuidens eam  
stultam esse ait. Sed probatu[m] ratione, vera scientia  
ea est quæ de essentia habet[ur] per proprietates, aut  
de proprietatibus per essentiam: vel de causis per  
effectus & è contraria; atqui Physica est huiusmodi:  
demonstrat enim Physicus omne corpus naturale esse  
diuisibile quia est quantum, cœlum moueri, quia in  
eo est principium motus, nempe natura: elementa.  
alterari & corrumpi, quia constant ex contrarijs  
qualitatibus: mixta corrumpi & generari, quia sunt  
ex elementis & tandem in elementa resolutuntur: vi-  
uentia vegetare, nutriti & augeri quia animâ prædicta  
sunt: hominem denique disciplinæ capacem esse,  
quia rationis est compos.

DICENDVM 2. Physicam esse purè speculati-  
vam. Ita Aristoteles & communis consensus docto-  
rum. Sexto enim Met. textu 1. iuidens phylosophus  
Scientiam in practicam & speculatiuam: inter specu-  
latiuas Physicam recenset. Quod si fidem illi adhibere  
nolit studiosus, frustra docebitur: oportet enim  
addiscentem credere. Sed agamus ratione, scientia  
speculatiua ea est, quæ sistit in sola contemplatione  
sui obiecti, nec illud spectat ut operabile à se, sed  
illud supponit aliundē factum: quid autem efficit  
Physicus circa cœlum dum illud orbiculari motui  
obnoxium esse docet; Quid circa elementa, aut  
mixta dum mutuo inter se transmutari afferit; Quid

denique circa plantas, & ipsa animalia, dàm hæc sentire; illas verò nutriti, augeri & vegetare ostendit, Sanè nihil. Non enim hæc ita se habent quia Phisicus speculatur ita esse: sed ideo speculatur ita esse, quia ita se habent res à parte rei. Deinde, si Physica non sit speculatiua, oportet ut sit practica, quia omnis scientia vel est practica vel speculatiua, quemadmodum omne animal, est rationale aut irrationalia atqui practica non est; ergo speculatiua Minor patet. Nam Scientia practica ea est quæ naturâ sua ordinata est ad opus à se efficiendum, traditque præcepta quibus illud fiat à se; ut patet de Logica artificiali, de medicina practica, & de Æthyca. <sup>in physica</sup> Hæc enim præcepta tradit quibus debeant componi mores nostri, illosque componit: Medicina practica ~~componit~~ <sup>in physica</sup> præcepta tradit, quibus beat curari corpus huma- num, & quibus medicaminibus illud curari debeat; illudque curat: Logica verò, canones præscribit recte differendi, & actu differit. At Physica nec obiectum suum efficit, nec præcepta tradit quibus illud fiat à se sed à naturâ, vel ab autore naturæ productum, vel producendum esse supponit. Illud enim est corpus naturale vel simplex, vel mixtum: Cœlestē, vel ele- mentare: corruptibile, vel incorruptibile, animatum vel inanimatum, ut constabit ex dicendis: atqui nec corpus naturale in genere, nec in specie fit à Physica: nec tradit Physica normam quibus illud fiant à se sed tantum explicat modum quō illud fiat à naturâ; ergo Physica non est scientia practica sed speculatiua: sed an sit multiplex specie, videamus.

## QVÆSTIO. III.

*An Physica sit unus habitus genere & multiplex species.*

**T**ITVLVS questionis potest intelligi ; vel de vniuersa Physica pro ut complectitur omnes sui partes , vt sunt , Cœli , elementa , mixta viuentia & non viuentia , vel pro ut agit de hac sola parte , quæ corpus naturale attingit quatenus est genus ad Cœleste , elementare . & mixtum viuens & non viuens : vel prout simul complectitur hæc omnia tam in genere , quam in specie .

A DVERTEI , omnem scientiam sumere suam speciem ab obiecto formali , vel à modo quo attingitur obiectum materiale sub formalis : diuersæ enim specie scientiarum possunt quidem habere idem obiectum materiale , sed non idem formale nec cumdem modū tendendi in obiectum materiale . Corpus enim naturale attingitur à Physica & Medicina , sed sub diuersa ratione . Physica namque illud spectat ut mobile ad omnes motus physicos : Medicina vero ut sanabile quocumque medicamento ab arte .

His positis queritur vtrum Physica : sit unus & idem specie habitus prout respicit corpus naturale quatenus simpliciter naturale ; & quatenus mobile de loco in locu de forma in formam : & ad talem formam , nempe viuentem aut nonviuentem : vel si maius , prout spectat corpus naturale ingenere , & prout illud spectat inspecie .

An vero , vtrum pro singulis partibus physiologiae . sint etiam singulis habitus partiales specie distincti , ex quibus partialibus resultet unus totalis habitus , correspôdes toti phisiologiae : adeo ut , sit unus habitus pro his octo libris : alius pro libris de Cœlo : alius pro libris de elementis : alius pro libris de ortu & interitu

interitu: & alius pro libris de anima, ex quibus omnibus partialibus resultet aliquis totalis qui sit per aggregationem vnuus: idque propter essentialiem sub ordinationem quæ reperitur inter illas corporis naturalis species.

Do c e t Ruuius in proemio Physicæ, non esse plures habitus partiales sibi essentialiter subordinatos; sed vnum & eundem simplicissimum At ratio quâ ille vtitur mihi videtur oppositum probare At enim, principia cuiuslibet scientiæ esse rationem formalem assentiendi conclusionibus eiusdem, propterea que ex unitate principiorum: sumendam esse unitatem conclusionum & illius habitus qui ex ea generatur, atqui, inquit, principia totius Physicæ & singularum partium eius, sunt eadem formaliter; ergo & conclusiones erunt eiusdem speciei & idem habitus secundum speciem generalitur ex illis. Sed contrâ, principia totius Physicæ & singularum eius partium, sunt eadem genericè concedo; specificè, Nego. Ergo, conclusiones & habitus ex illis geniti, sunt eiusdem generis, concedo, eiusdem speciei, nego. Ratio meæ distinctionis desumitur ex eodem Ruuio loco citato, Principia, inquit, particularia omnium partium Physiologiae essentialiter presupponunt principia communia de ente mobili, seu de corpore naturali: & principia vnius partis essentialiter presupponunt principia alterius: ut principia de Cælo, principia octo librorum genericorum: & principia librorum de generatione & corruptione, principia librorum de Cælo, & sic de cæteris partibus sibi essentialiter subordinatis: ergo, inquit, principia totius Physicæ sunt eadem formaliter. At quis non videt, debuisse ita concludere, ergo principia totius Physicæ sunt diuersa formaliter. Quod probo, ea sunt formaliter diuersa, quæ sunt specie diuersa: atqui quæcumque sunt essentialiter subordinata, subordinatione generis ad species, seu specierum ad genus, sunt specie diuersa, ergo formaliter differunt inter

Esse autem subordinationem generis ad species, & specierum ad genus, inter omnes totius Physiologiae partes; patet, tum ex discursu citati doctoris, tum ex rei veritate Corpus enim naturale de quo agitur in libris octo, est genus ad Cœlestē & elemētare: quia Cœlum & elemētum sunt species corporis naturalis inter se oppositæ Cœlum enim est corpus naturale incorruptibile elemētis verò corruptibile Deinde, ex elemētis fit mixtum, quod genus est ad perfectum & imperfectū: deinde mixtum perfectum, est genus ad viuens & non viuens: & consequenter, vivens & non viuens sunt species mixti perfecti: quemadmodum nix, grando, glacies & spiritus procellarum, sunt species mixti imperfecti; ergo, omnes hæc partes Physicæ differunt specie, & consequenter diuersæ speciei sunt habitus qui circa illas occupantur. Arque hoc posito, sequitur clarè principia harum partium esse specie diuersa, & consequenter non formaliter eadem; nisi specie diuersa & formaliter idem, sint formaliter idem. Quamobrem.

DICENDVM, vniuersam Physicam esse multiplicem habitum specie, genere vnum Probatur 1. pars omnis scientia specificatur à suo obiecto formali & à modo tendendi in illud: atqui diuersa sunt obiecta formalia secundum speciem in Physica, ergo diuersa est specie scientia probatur minor, Cœlum vt mobile de loco ad locum, à centro ad circumferentiam, obiectum formale vnius partis: elementum, vt mobile de loco ad locum, à centrio ad circumferentiam, & à circumferentia ad centrum, non autem circa centrum, est obiectum alterius partis: mixtum, vt mobile de formâ in formam, est obiectum formale alterius partis: deinde, vt mobile de non viuente in viuens, & è contraria, obiectum formale alterius partis: atqui, hæ rationes formales sunt diuersæ speciei: ergo arguunt habitus à quibus attinguntur esse diuersæ speciei. Secunda pars liquet, nam libri octo Physicorum spectant corpus naturale simpliciter quâ naturale, & quatenus illi conuenient proprietas

comunes & genericæ , & quatenus est genus ad alias partes : ergo habitus qui versatur circa illud debet esse genus , ad habitus aliarum partium : quia quæ ratione se habent partes illæ inter se , ita se debent habere habitus inter se : ut docet Arist. lib. 3 de animâ , textu 38. & sic vniuersa Phisica resultat ex pluribus habitibus sibi essentialiter subordinatis differentibus specie , & conuenientibus in genere , contra opinionem Rumi.

IDEM tamen quod Ruius , docent fratres dis calceati § 4 , disput. de scientia , sed eorum opinionem cónabō diluere hoc argumento . Idem species habitus qui versatur circa octo libros Physicorum , versatur item circa libros de Cælo ; de ortu & interitu & de anima ; ergo , qui semel audiuérunt octo libros Physicorum eosque intellexerit , poterit etiam intelligere libros de Cælo , de ortu & interitu , ac de animâ , nullo adhibito nouo studio circa illos : quia scilicet habebit illorum scientiam habitualem & ubi est habitus facile elicetur actus : atqui hoc nequit dici , quia alioqui sciremus id quod numquam viderimus , & de quo nihil vñquam audiuerimus , ut patet : ergo nequit dici , eundem esse specie habitum vñiuersæ Phisicae secundum omnes sui partes sed pro singulis partibus inferioribus , ponendos esse singulos habitus specie distinctos . Confirmatur , nam species rerum sunt immutabiles & indiuisibiles inesse essentiae , ergo ubi sunt ibi totæ sunt : ergo qui semel acquisiuerit totum habitum Phisicum , circa octo libros , habebit & circa cæteros libros , quia horum & illorum est unus & idem , non plures : ergo qui semel intellexerit octo libros Physicorum non indigebit alio studio ad alios intelligendos . Consequentia est clara . quia si sit idem habitus , non plus debet experiri difficultatis circa hos , quam circa illos , cum habitus sint concessu potentius , non tantum ad facilius & suauius operandum , sed etiam ad determinandam potentiam ad certum & determinatum obiectum : quia potencia ex se est .

indeterminata, atqui, qui semel acquisuerit habitum circa octo libros poterit quidem faciliter & suauiter operari circa illos : sed omnimodam experietur difficultatem circa alios : quinimò nihil poterit eorum scire virtute illius habitus , præter ea quæ communia sunt octo libris & cæteris : quia quæ pcculiaria sunt alijs libris peculiarem postulant habitum, vt patet. Vnde, habitus qui versatur circa octo libros potest quidem intendi intra latitudinem sui obiecti, sed non extendi ad alia obiecta formalia. Constat autem diuersa esse obiecta formalia in singulis alijs partibus Physicæ , etiam ex consensu Complutensium. Docent enim , libros de Cœlo spectare ens naturale quatenus mobile ad locum : libros de ortu & interitu illud attingere vt mobile ad formam sive substantialem , sive accidentalem ; omnino tamen intrinsecam mobili : ut ipsi loquuntur. §. 3. disp. 1. quest. 1. in libros de ortu & interitu. Vnde, aut fateantur necesse est , diuersos esse habitus in singulis partibus Phisiologiae : aut eorum obiecta formalia non esse diuersa ; sed ipsi viderint, ad diuisionem totius operis progrediamur.

---

## QVÆSTIO V.

*Cur agat Aristoteles ijs libris de corpore naturali  
in genere , & deinde progreediatur ad corpora  
naturalia in specie.*

**H**ANC esse methodum accommodatissimam in tradendis disciplinis tradit Aristoteles multis in locis , cum ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia, à generibus ad species fit progressus. Decuit enim tantum doctorem eandem sequi viam , vt qui alijs præscriperat ordinem , non extrà ordinem ipse dirigaretur. Et sanè , debebat ille sequi ordinem na-

turæ, qui vniuersam suscepereat naturam explicandam. Incipit autem natura, semper ab imperfectioribus, & tendit ad perfectiora. Prius enim viuit embryo vita vegetatiuâ quam sensitiuâ: & prius sensitiuâ, quam rationali, saltem quoad functiones: ut ipse scribit Aristoteles, lib. de anima. Et si rem Metaphysicè speculemur prius est ens quam substantia: prius substantia, quam corpus: prius corpus, quam viuens: prius viuens, quam animal: prius animal, quam homo: & prius homo: quam Petrus. Et tamen Petrus, perfectior est homine: homo, perfectior animali: animal, perfectius viuente: viuens perfectius corpore: corpus, perfectius substanciali: & substanciali, longe perfectior ente Ex quibus apparet, naturam progredi ab imperfectionibus ad perfectiora.

H V N C ordinem insequutus Aristoteles. prius egit de corpore naturali in genere, quam ad illud descendenter in specie: & eundem nos ordinem sumus obseruaturi, tanquam Philosophiae Peripateticæ Æmuli & Alumni. Videndum est autem prius, quem ordinem seruent inter se vniuersæ Physiologiae patres.

C O R P S igitur naturale, seu compositum ex materiâ & formâ, quod est obiectum materiae totius Physicæ consideratur, primò, in communi proptे continet principia, causas, & proprietates, rerum naturalium in genere: & de eo sic sumpto, sunt octo libri Physicorum. Secundò, consideratur proptе est mobile, circa centrum, à centro ad circumferentiam & à circumferentiâ ad centrum: & de eo sic sumpto, sunt libri de Cœlo, mundo, & elementis: in quibus agitur de structurâ vniuersi, harmoniâ Cœlorum, mutuâ pugnâ & dispositione elementorum, eorumque situ & motu. Tertiò consideratur, proptе mobile de formâ in formam, mediâ alteratione, & de eo sic sumpto, sunt libri de ortu & interitu. Sed, quia inter corpora naturalia quae gignuntur & contumpluntur sunt quedam imperfecta, ut nix, grande

glacies & similia quæ non sunt ex omnibus elementis; sed ex quibusdam duntaxat, ideo specialem de illis tractatum edidit, quem metheora appellavit; ad quem referenda est consideratio metallorum, lapidum, gemmarum & similium quæ in terra visceribus vi syderum ait. ccelorum gignatur. Ultimè, consideratur corpus naturale, quatenus videns tripli anima, vegetante, sensiente & rationali; & de eo ita accepto, sunt libri qui in mastici nuncupantur: atque huic ordinem sequuntur, ab ipso corpore in genere, quod est obiectum octo librorum: ad cœlestē, elementare, generabile & animatum progrediebuntur.

## QVÆSTIO VI.

*De obiecto octo librorum Physicorum*

**S**OLO A VOCE DISCREPANT philosophi, dum alij ens mobile, alij substantiam naturalem: alij vero ens naturale: alij denique corpus naturale, huius partis Physiologiae obiectum esse contendunt. Nec enim aliud intelligunt ijs vocibus, præter compositum Physicum ex materia & formâ naturali. Ut igitur vocabulorum huiusmodi tollatur ambiguitas quæ tota est in vocibus, non in fe & simul veritas ipsius rei aperiatur. Aduerte, ex Auctroe I. post commento 179 cuiuslibet Scientiæ obiectum duplificem partem sortiri: unam veluti materialem, & est res ipsa quæ attingitur à Scientiâ: alteram veluti formalem, & est ratio sub qua res ipsa tractatur. Talem autem partem connexionem ait esse inter utramque qualis cernitur Inter materiam & formam: genus & differentiam: potentiam & actum, Cum igitur constet immediatam esse connexionem materiæ & formæ: generis & differentiæ: potentiae & actus: immediatam item esse obiecti materialis & formalis oportet.

IMA ergo videhdum , an immediata sit connexio  
inter ens & mobile: inter substantiam & naturale;  
inter corpus & naturale seu mobile. Id ut percipias  
seriem eorum quæ in arbore Porphyrianâ collocantur  
perpende. Ibi autem reperies , ens substantiam &  
corpus ; serie quadam naturali , ita se subsequi ve  
niam sit alio prius natura. Reperies item ens imme  
diata fieri substantiam per subsistentiam : substan  
tiam immediatè fieri corpus ; per corporeitatem  
corpus verò immediatè fieri viens aut non viens  
per animalitatem & inanitatem ; adeo ut  
neque ens neque substantia possiat existere nisi sint  
facta corpus vel spiritus. Ibi tamen cernis ens im  
mediatae vniuersitatem substantiae , substantiam corporeitatis  
Corpus verò immediatè viuenti aut non viuenti  
vnione potentiae & actus , seu generis & differentiae.  
Ex quibus colligit Auerroes nec ens immediato  
vniuersi mobili , nec substantiam naturali : Nec de  
nique corpus mobili , aut naturali , proindeque nihil  
horum vllijs scientiæ obiectum esse : ac propter eas  
aliud quæreadum Physice obiectum. Et quidem  
rectè Auerroes , quod ad ens & substantiam : sed male  
quoad corpus. Nam ens ut ens , nullo motu Physico po  
test moueri ; neque substantia , ut substantia. Sed  
ut induunt corporeitatem . Sunt enim motus  
Physici , generatio , corruptio , alteratio , nutritio ,  
augmentatio , loci mutatio : at ens ut ens , nequit  
gigni , nec corrumphi : neque substantia ut substantia  
sed prout induunt corporeum in aliquâ specie. Quia  
quidquid gignitur aut corruptitur , sic specificum  
oportet , sicut ex materia & desinat in materiam  
& quidquid sit ex materia est corporeum , ergo nihil  
potest moueri motu Physico , nisi sit corpus resultantis  
ex substantia & corporeitate in aliqua specie insimilis.  
Mobilitas enim non vnitur immediatè enti aut sub  
stantiae , sed corpori specifico insimo , nempe ani  
mato aut inanimato ; quia corpus , species substantiae  
& genus ad viuens & non viuens , est quidem natura  
le , non mobile hoc est , constat quidem nam

turis, nempè materiâ & formâ, si spectetur Physicè; sed, non habet proximam potentiam vt moueatur ad existentiam & inde ad locum, & alios motus: sed id accipit à differentia specifica viuente aut non viuente. Quia quidquid gignitur aut corruptitur viuens sit aut non viuens oportet, aut detur mihi aliquod corpus naturale actu existens, aut aptum existere quod non sit animatum vel inanimatum: Quòd cùm ita sit, dicendum erit corpus naturale esse obiectum horum librorum, quâ naturale, non quâ mobile, quia quâ mobile de formâ ad formam est obiectum librorum de generatione: quâ mobile de non viuente, ad viuens est obiectum librorum de anima; quâ mobile, ad locum est obiectum librorum de Cœlo. Vnde, corpus naturale quâ corpus, erit obiectum materiale totius Physicæ: quâ vero naturale aut mobile disiunctiuè, erit formale obiectum vel huius partis, vel aliarum partium.

V O L V N T Complutenses §. 2. ens, substantiam & corpus esse formaliter idem quoad rem; pariter naturale & mobile quoad rem esse formaliter idem, nec differre nisi penes vocem: & consequenter nos posse indiferenter vti vtrisque vocabulis; sed tamen congruentius esse si vtamur vocabulo entis pro materiali, vocabulo vero mobilis, pro formalis obiecto.

V E R V M quis adèò exiliter eruditus quin sciat, ens & substantiam secundum se, suaque principia & affectiones ad Metaphysicam spectare, cuius est agere de supremis rerum generibus; Quis sciat etiam, materiam formam & cæteras mutationes sensibiles enti & substantiæ minimè conuenire per se primò, sed corpori, & ratione corporis, substantiæ & enti? Neque enim generatur ens vt ens, neque substantia, vt substantia, sed vt corpus in tali specie, animata aut inanimata. Quidquid enim gignitur aut corruptitur, corpus est animatum vel inanimatum, non enim datur medium: ergo neque ens neque substantia sunt obiectum materiale Physice, sed corpus de Cathegoriâ substantiæ, ad distinctionem corporis,

de Cathegoriâ quantitatis secundum trinam dimensionem.

D I C E N D U M est igitur materiale obiectum horum librorum esse corpus naturale , formale vero , naturale , non mobile. Hic enim iagitur de corpore naturali in genere , prout est simpliciter compositum ex materiâ & formâ : atqui ut sic nequit vlo modo moueri Physicè : ergo , non attingitur hic ut mobile , sed ut naturale. Probatur minor , nihil potest moueri motu Physico , quod non sit indiuiduatum , aut proximè aptum indiuiduari : atqui sola species est proximè apta indiuiduari , genus vero remotè , ergo foli speciei conuenit ut possit moueri , non autem generi : proptereaque corpus naturale in specie mobile quidem est , sed non in genere : & sic corpus naturale in genere , non potest spectari , ut mobile: sed ut naturale. Id patet ex Auerroe vbi suprà , nam debet esse immediata connexio inter materiale & formale : atqui nullum genus potest immediatè moueri motu Physico , hoc est , gigni aut corrupti , sed mediante specie : & tamen species , immediatè mouetur : nam posita sola differentia indiuiduali ipsa species facta indiuidua gignitur , corruptitur , nutritur , augetur , loco mouetur , & alias subit mutationes Physicas quoad existentiam : ergo immediatior est connexio mobilitatis cum corpore naturali in specie , quam in genere. Et sic corpus naturale in genere non attingitur ut mobile , sed ut naturale , hoc est , ut constans naturis materiâ & formâ , absolute sumptum in se , sine vlo ordine ad motus Physicos quos tantum subit in specie.

O B I I C I V N T Complutenses. Mobile & naturale reciprocantur , nihilque aliud sunt quam differentia constitutiva corporis naturalis de prædicamento substantiæ , quod ex materia & forma Physica constituitur , quia hoc solum potest esse subiectum & principium radicale motus Phisici : ergo si corpus naturale in genere spectetur ut naturale , spectabitur etiam ut mobile. Sed cōtra , mobile & natu-

rale reciprocantur, eo modo quo essentia seu differentia constitutiva reciprocantur cum sua proprietate concedo: mobile & naturale sunt idem, nego. Naturale enim est differentia constitutiva corporis naturalis, mobile vero eius proprietas, quod probbo, illud est de essentia rei quod prius concipitur in re: atque prius concipimus in composito ex materia & forma quod constet naturis, quam quod sit mobile ad locum vel ad formam, aut aliquid aliud, ergo prius est in illo quod sit naturale, quam quod sit mobile, probatur mino<sup>r</sup>, nam prius est rem constitutu*re* in se, quam ad aliud referri, ut docet Arist. vbi habet ens absolutum esse prius relatio<sup>n</sup>, ergo prius debet concipi, ut constituta ex naturis, materia & formâ, quam ut sit mobilis ad aliud per naturam suam. Ergo, cum corpus naturale spectetur in ijs libris absolute in se; sine ullo ordine ad motum: sed tantum prout est compositum ex materia & formâ, habens in se proprietas communes & genericas spectari debet, ut naturale, non autem ut mobile.

**D I C E N D U M** 2. solum corpus naturale, quâ naturale non est obiectum ad æquatum huius partis Physicæ; sed inadæquatum primarium. Obiectum enim adæquatum illud est quod complectitur omnia quæ in tali scientia tractantur; inadæquatum vero quod non omnia, sed partem duntaxat: atque corpus naturale non est id omne quod tractatur in hac parte Physicæ, cum præter illud sint eius partes principia & proprietates attingendæ, ergo obiectum adæquatum non est, sed inadæquatum. Est tamen primarium inadæquatum, quia ad illud cætera omnia naturâ suâ ordinantur ut partes ad totum; principia ad principiatum; proprietates ad essentiam. Quod vero hæc omnia simul sumpta adæquatum efficiant obiectum, vel ex eo constat; quod nihil sit de obiecto Physico præter materiam, formam, totum compositum, eiusque proprietates: ut, esse finitæ vel infinitæ magnitudinis, esse quantum & diuisibile, esse in loco vel in vacuo, & similia quæ genericæ

### **dicuntur de corpore naturali**

D I C E N D O V M 3. obiectum materiale aliarum partium Physicæ esse corpus naturale in specie : formale vero , mobile , non naturale. Prima pars patet. Nam alij libri agunt de corpore naturali cœlesti: alij , de elementari: alij , de mixto inanimato: alij , de mixto animato : hæc autem corpora , differunt specie ; ergo corpus naturale in specie est obiectum materiale aliarum partium Physicæ. Idque intelligendum de obiecto materiali inadæquato primario ; quia præterea agut illæ partes Physiologiae de proprietatis horum corporum , vt videbitur suo loco. Secunda pars , probatur nam Cœlum spectatur vt mobile in gyrum ; elementum vt mobile sursum & deorsum , primario ; secundario vt mobile in mixtum : mixtum vero vt mobile de formâ in formam ; de qualitate in qualitatem ; de loco in locum. Est enim varia pugna in illis : mutuo agunt , & reagunt : alterantur & perficiuntur : generantur & corrumpuntur : fluunt ex elementis , & in elementa transmutantur , quæ omnia satis arguant ibi spectari vt mobilia , non autem simpliciter vt naturalia : quia naturale vt dixi nihil aliud est quam componi ex materia & formâ : mobile vero prænotat explicitè posse moueri , de non esse , ad esse : de esse ad non esse : de perfectione naturali in perfectionem , vel imperfectionem naturalem sed hæc satis , ad principia corporis naturalis progrediamur.



# DISPUTATIO SECUNDA.

---

*De principijs rerum naturalium.*

**Q**UAE de varijs rerum naturalium principijs in communi, eorumque divisione, glòssarij & interpretes lengà verborum seriè texunt: nos breuiter perstringemus quia hæc scribete molestius est meliora cogitanti. Neque enim illi sumus nos, qui ad singula moram faciamus: ut enim, qui magnis itineribus aliquò tendit, non omnia quæ occurriunt, morosè circumspicit sic nos qui ad metam destinatò contendimus, quam possumus diligentí studio, solâ otij inopia abundantes, è multis pauca, sed optima delibamus.

---

## QVÆSTIO. I.

*An plura vel pauciora tribus, sint rerum naturalium principia.*

**V**T nominis principijs tollatur ambiguitas, ad uerte, alia esse principia complexa: alia incomplexa. Complexa sunt quædam; comunia axiomata

quæ dicuntur esse causæ cognitionis eo quod ducant nos in rerum cognitionem. Dissecantur autem, in Logica, Metaphysica, Mathematica, Medica & Physiologica. Logica sunt ea quibus hæc innittitur ars, ut quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: vel, quidquid dicitur de genere, dicitur de specie, & similia: vel si vis, ipsæ præmissæ demonstrationis sunt principia complexa Logicæ artis quia ducunt nos in cognitionem conclusionis.

M E T A P H Y S I C A , sunt propria axiomata quibus hæc scientia fulcitur; ut quodlibet est aut non est. Mathematica sunt illius principia vniuersaliora ut, omnes linea ductæ ab eodem puncto ad idem punctum sunt æquales. Medica sunt, vniuersaliora quæ de illa circumferuntur axiomata, ut, contraria, contrarijs curantur. At in Physica sunt hæc, ex nihilo nihil fit, natura aboret à vacuo, ab infinito; ab inordinato; in omnibus causa est ordinis, & similibus quibus tota videtur inniti Physiologia. Sed horum natuam non inuestigamus modo, sed simplicium duntaxat.

S V M V N T V R autem simplicia pluribus modis. Primò pro principio magnitudinis, ut punctum respectu linea. Secundò pro initio numeri, ut vnitas, respectu binarij. Tertiò pro principio vitæ, ut cor. Quarto pro initio viæ seu motus. Sed propriè sumitur principium, pro eo ex quod fit aliud. Ut literæ respectu fillabæ: fillabæ, respectu dictiōnis: dictiōnes respectu orationis: lapides, respectu domus: elementa, respectu mixti, & materia ac forma respectu compositi Physici. Et hæc quidem sunt propriè principia de quibus nunc est nobis agendum. Definiuntur autem ab Aristotele: quæ neque ex se se mutuō, neque ex alijs fiunt, sed ex ipsis omnia. Cuius definitio veritas, vel ex eo fit manifesta: quod si ex alijs fierent, ipsa non essent prima principia: si etiam fierent ex seipsis, aliquid esset & seipso prius, & sui ipsius causa: quod implicat.

V E R V M , hæc principia sunt in dupli generi; videlicet, intrinsecè constitutiua rei, & extrinsecè

terminatiua. Linea enim intrinsecè constituitur ex partibus continui : extrinsecè verò terminatur à punto : relatio similiter coalescit intrinsecè ex ratione , in , & ratione , ad , extrinsecè vero , ex subiecto & termino : pariter & individualiter intrinsecè sit ex genere & differentia , individualiter vero ex differentia individuali est enim hæc differentia extra essentiam individuali , licet sit intra constitutionem individuali . Eò igitur nos duxit oratio ut corporis naturalis eiusque generationis principia , alia esse intrinseca ; alia extrinseca , afferamus

**Q**UANT A autem sit de numero horum principiorum concertatio apud veteres , & nostræ ætatis philosophos : satis arguit eorum dissensus . Alij enim unum : alijs , duo : alijs , tria : quatuor alijs : Infinita vero alijs posuerunt ; eaque vel ignem , vel aarem vel aquam , vel terram ; aut aliud quippiam esse arbitrati sunt.

**T**ALES Milesius , unus è septem sapientibus , aquam vel ipsum humidum pro principio rerum posuit : quod cerneret , ex seminibus , res gigni , & nos alimento ali , quia hæc humida sunt . Anaximenes , aarem : quod omnes propemodum formas atque figuræ induat . Eiusdem fuit opinionis Diogenes Apolloniates apud se reputans , ex aere densato , res fieri paruas : magnas verò ex rarescente . Heraclitus Ephesinus initium fecit cunctarum rerum , ignem quod ex eo omnia nascerentur , & in quem cuncta tandem occiderent . Putabat enim ex condensato igne , aquam effici , hanc que densatam verti in terram : & vicissim ex terrâ fusâ atque rarescente , aquam reliqua que renasci elementa & mixta , & sic perpetuâ rerum vicissitudine mundum gigni & interire

**T**ERRAM autem Hesiodus fecit principium omnium rerum , fortasse quod putaret , ex illa tanquam ex luto molliusculo cuncta incepisse . At Anaximander Milesius , neque terram : neque aquam , neque aarem , aut ignem , aut quid simile posuit pro rerum naturalium principio ; sed quippiam prius

fertasse illud cahos ex quo cuncta fuisse educta narratur , aut illa indiuisibilia quæ vestiatores illo sunt imaginati , sed hæc fabulosa.

Melius quidem Parmenides & Melissus , quod ens ( à quod tāquam à primâ rerum origine cūcta fluūt , ) agnoverint pro principio : sed etiam & hi , in eo maximè pugnant , quod Melissus illud infinitum esse , Parmenides vērō finitum senserit . Quod autem ens sit rerum principium ; probant : quidquid est preterens , est non ens , sed non ens est nihil , ergo si principium rerum naturalium sit id quod est , sanè est ens . Esse autem finitū ostēdebat Parmenides , illud est finitum quod potest finiri seu determinari ad aliquam certam speciem : atqui ens determinatur ad substantiam & accidens per subsistentiam & inherentiam , & hæc finita sunt , ergo ens est finitum . Melissus vērō contraria ajebat ; ens est ingenitum ergo , est infinitum . probat antecedens , quidquid genitum est , principium habuit sui esse , ergo , quidquid est & genitum non est , principium non habet sui esse , & sic infinitum est eius esse : sed ens est , & genitum non est , ergo nunquam habuit principium sui esse , nec consequenter est habiturum finem , hæc illi .

Sed Aristotelem audiamus . docet Philosophus principia non posse esse vnum nec infinita , ergo , plura finita . Non vnum , quia ex uno simplici non potest quipiam componi : neque infinita , quia natura abhorret ab infinito ; & in omnibus querit finem , agitque semper propter finem , quia est principium motus & quietis & infinitum nequit pertransiri , ut tandem perueniat ad finem ; ergo nequeūt esse principia infinita : sunt igitur principia finita , & non plura tribus . Quod probat , principia sunt contraria , quorum vnum expellit aliud , ex alio : ergo sunt tantum tria ; id quod expellitur , illud à quod expellitur & id ex quod expellitur . Interpretes Aristotelis ita explicant generatio est mutatio de non esse ad esse in materia , ergo sit , inter esse & non esse in materia : ergo includit tantum illa tria .

Objiciunt recentiores, generatio non est minus via à forma abeunte quam à priuatione, quia semper præcedit forma aliqua quæ perit simul cum priuatione formæ subsequentis: ergo si priuatio sit principium ita & illa forma præcedens. Sed contra, generatio est via & mutatio per accidens à forma abeunte, concedo: per se, nego. Ergo forma illa quæ deperit, est principium, per accidens, concedo: per se, nego. Est enim omnino per accidens quod forma reperiatur alteram formam in materia, ut patet in prima rerum productione. Tunc enim creauit Deus materiam, & in illa fuit vera generatio formæ, licet nulla præcesserit forma.

**A T D I G E S**, neque illa etiam præcessit priuatio, quia in instanti quod Deus creauit materiam, in eodem etiam vniuit formam, ne materia existeret informis. ergo potest stare tota ratio generationis, absque illa priuatione: vel dicendum est, primam rerum productionem non fuisse veram generationem; sed puram concreationem materiae & formæ, & Consequenter totius, quia totum non fit diuersa actione ab ea quæ sunt eius partes vnitæ, cum sit realiter idem cum suis partibus vnitis, & consequenter priuationem non esse necessariam ad generationem.

**R E S P O N D E O**, in aliquo priori naturæ, priuationem præcessisse formam in materia, & sic necessariam fuisse etiam in primâ rerum generatione. In eodem enim instanti temporis, distinguit mens nostra tria instantia rationis, seu naturæ; vnum, in quo concipit materiam creari, aliud in quo concipit formam educi: aliud, in quo concipit illam vniiri materiae, & sic resultare totum. Nequiuit autem forma corporea creari, sed educi, quia naturâ suâ creabilis non est, sed educibilis: si enim naturâ suâ creabilis esset educi non posset, sed creari; quia id quod est à naturâ tale non potest non esse, tale: ergo cum videamus modo illam educi, non creari, signum est in prima rerum productione fuisseeductam, non creatam: atqui non potuit educi nisi ex materia existente, ergo illa debuit præexistere, saltem in aliquo priori naturæ

naturæ in quâ fuit priuata formâ, & sic priuatio est omnino necessaria ad generationem.

DICES, priuatio est nihil aut ens rationis, ergo non potest esse principium ex quo fiat ens reale & posituum : quia rei realis principia debent esse realia, quemadmodum facta, facta: atqui generatio est res reales & positiva, nempe mutatio de non esse formæ ad esse formæ in materia, ergo, priuatio non potest esse eius principium. Distinguo non potest esse eius principium constitutuum, concedo, terminatum; nego. Est enim, id à quo incipit generatio, seu id, vnde progreditur ad formam: ut occurramus illi obiectioni quæ docet generationem progredi ab agente in formam generandam in materia præexistente, priuatio autem terminat initium generationis, forma verò terminat finem: & sic, priuatio est principium, inceptionis, forma verò principium finitionis, ut docebitur infra.

INTEREA dices, priuatio non conseruat suum esse in materiâ, sed euanescit statim ac incipit esse generatio, alioqui forma simul esset cù sui priuatione; & materia esset simul priuata & non priuata, quod implicat: ergo nequit esse principium generationis, quia omne principium deberet esse simul cum suo principio. Distinguo, priuatio non conseruat suum esse, permanenter: concedo: desinenter, nego. Hoc est, non permanet simul cum forma in materiâ, concedo: quia implicat non permanet in materia præcisè usque ad illud indivisiibile terminatum in quo sit forma, itavt desinat tantum cùm incipit esse forma, nego. Tandiu enim durat absentia mea in classe, quandiu absum à classe, sed me præsente classe, statim euanescit mea absentia à classe: similiter, tandiu durat priuatio formæ ignis in ligno, quandiu ignis abest à ligno: sed, positâ formâ ignis in ligno, statim euanescit eius priuatio, imo in aliquo priori naturæ perit priuatio & sit forma: itavt positio formæ, sit expulsio priuationis. Nota tamen inter priuationem & formam mediare generationem ut transitum de

priuatione ad formam; seu de non esse formæ, ad esse formæ.

DICES, non minus progreditur generatio ab agente quam à priuatione; ergo quemadmodum priuatio est principium à quo: ita & agens. Imo, potiori iure agensquam priuatio; quia agens est id à quò profluit generatio: & sublato agente non fieret generatio, & posito agente, in actu secundò non potest non esse generatio, & sic, si nullum sit generationis principium, illud erit agens. Distinguо, agens est principium remotum, à quo profluit generatio, concedo: est principium proximum à quò progreditur generatio, nego. Generatio enim est mutatio de nō esse ad esse in materiâ, ergo fit immediatè, & proximè inter non esse, & esse, in materia, remotè verò dicitur profluere ab agente; non in ratione mutationis, sed in ratione actionis. Vnde generatio sumpta pro actione fit inter agēs & formam in materia: sed sumpta pro mutatione, quò modō, nunc sumimus; fit inter priuationem & formam in materia, est enim mutatio de priuatione ad formam in materia, ut patet.

DICES, esto; priuatio sit generationis principium, quia est id à quò incipit esse generatio; tamen, forma non erit principium, quia est id ad quod finit generatio: tendit enim generatio, à priuatione ad formam: & sic incipit à priuatione, & finem sumit à forma. Et sic forma erit finis non principium. Distinguо: forma non est principium inceptionis, generationis, concedo; non est principium, finitionis generationis, nego. Incipit enim generatio, à priuatione, & finem sumit à formâ. Instabis, si forma sit principium finitionis, generationis; ita & totum compositum: quia totum compositum est æque finis generationis, ac forma: eo quod non tantum forma dicitur generari, sed etiam, (& quidem potius) totum compositum, quam forma; quia forma dicitur potius educi quam generari: totum verò non dicitur educi, sed gigni: ergo si forma sit principium finitionis generationis; ita & totum compositum, & consequenter plura erunt principia tribus. Sed contrà, to-

tum compositum est principium finitionis generacionis, remotum, concedo: proximum, nego. Proxime enim terminatur generatio ad formam, & mediante forma ad totum.

I N S T A B I S iterum, si forma generanda sit principium finitionis generationis, quia proxime terminat generationem; ita & priuatio formæ deperditæ, quia immēdiatè etiam terminat generationem. Ut enim forma adueniens expellit formam præcedentem: ita priuatio formæ expulsæ, subsequitur formam subuentientem: adeo ut, generatio includat necessariò illa quatuor; seu fiat inter illa quatuor; hoc est procedat à formâ præcedente & à priuatione subsequentis; & finem sumat à forma subsequente, & à priuatione præcedentis: cùm enim expellit priuatio formæ subsequentis in materiâ aduentu talis formæ: eodem instanti pullulat priuatio formæ expulsæ aduentu formæ genitæ, ut patet: & sic erunt quatuor principia generationis etiam sumptè pro mutatione de non esse formæ, ad esse, formæ in materia.

S E D C O NTRÀ, ut enim forma præcedens se habet per accidens ad generationem subsequentis: ita & priuatio illius pullulans in materiâ post sui corruptionem. Quia generatio nihil aliud dicit, quam mutationem de priuatione ad formam in materia. Vnde, per accidens est ad generationem quod præcesserit illa forma, vel quod illius formæ priuatio pullulet in materia. Et ratio est evidens, nam prima rerum productio fuit vera generatio & tamen nulla præcessit forma, nec proinde illa potuit pullulare priuatio: ut patet. Quare.

DICENDVM I. tria esse tantum principia generationis, ita Aristoteles & communiter Doctores. Probatur, quia in omni mutatione tria tantum sunt necessaria, terminus à quo, terminus ad quem, & subiectum utrique termino commune: at qui generatio est mutatio, de non esse ad esse in materia, ergo illa tria sunt tantum necessaria. Dubium est an sint intrinseca, an extrinseca generationi, Docent expressis terminis

Complutenses esse intrinseca, at non probant: possent forte ostendere hoc modo. Quacumque sunt de conceptu obiectuo rei sunt illi essentialiter intrinseca: atqui priuatio, forma, & materia sunt huiusmodi in generatione, ergo illi sunt intrinseca. Sed contra quacumque sunt de conceptu obiectuo alicuius rei, & se habent intrinsecè constitutiū, sunt illi intrinseca, concedo: si se habeant extrinsecè terminatiū, eo modo quo priuatio, forma & materia, respectu generationis. Quare.

DICENDVM 2. materiam, formam & priuationem, esse principia extrinseca generationis, probatur à definitione principiorum: principia sunt ex quibus cetera fiunt, atqui generatio ut mutatio non fit ex illis sed intra illa, ergo illa tria non sunt principia illius intrinseca, sed extrinseca terminatiū, quia illam claudunt & terminant extrinsecè. Id patet ex illius definitione, dicitur enim mutatio de priuatione ad formam in materia, ergo fit inter priuationem & formam in materiā, ergo non ex priuatione, nec ex forma, nec ex materia, ergo, non conuenit illis definitio tradita de principijs. Deinde, si intrinseca essent, vel se haberent, ut potentia & actus, vel ut genus & differentia, respectu illius; atqui neutro modo se habent, sed merè extrinsecè eam claudunt & ambiūt; eo ferè modo quō relatio clauditur subiecto & termino, aut linea duobus punctis, ergo, quemadmodum duo puncta terminatiua sunt extrà essentiam lineæ: & subiectum & terminus, extrà relationem; ita materia, forma & priuatio sunt extrà essentiam generationis.

DICES, ea sunt de essentia intrinseca alicuius rei quibus positis ponitur talis res, & quibus sublati tollitur illa res: (quia positis animali & rationali ponitur homo; & sublati animali & rationali tollitur homo) atqui positis illis tribus ponitur generatio illis vero sublati, tollitur generatio, ergo illa tria sunt de essentia intrinseca generationis.

DISTINGVO, ea sunt de essentia intrinseca alicuius rei, quibus positis ut ingredientibus illis intimam con-

stitutionem, sit res, concedo : quibus positis ut terminantibus illius intimam constitutionem, sit res: nego. Positis enim fundamento & termino resultat relatio, & illis sublati tollitur relatio, & tamē quis dicet fundamentum & terminum non esse extrinseca relationi? Similiter, positâ differentia individuali ponitur individualium, & illâ sublatâ tollitur individualium : & tamen quis non videt, illam differentiam esse extrâ essentiam individuali cum tota illius essentia sit sita in sola specie inseparabile. Sed, an hæc tria principia generationis, sint etiam principia rei genitæ videamus.

## Q V Æ S T I O I I.

*Vtrum tot sint principia in fieri quot  
in facto esse.*

C ELEBREM aggredimur quæstionem, digna quidem quæ paulò altius excutietur, an scilicet tot sint principia corporis naturalis in fieri, quot futura sunt in facto esse. Dotent Complutenses, §. 2. tria esse entis naturalis in fieri: duo verò in facto esse, quod potest illud ens naturale in fieri, nihil aliud esse quā eius generationem: in facto verò esse, nihil aliud quam genitū & ex suis partibus compositū. Sed repugnantia est ipsis terminis. Nā primò, generatio & genitum, repugnant ut actio & effectus: secundò, si tria sint principia eiusdem rei in fieri, & duo tantū in facto esse, sequitur illā rem perfectiore esse in fieri quam in facto esse; & diuersam esse in fieri, à scip̄sa in facto esse, nō quidē in suo modo essēdi, sed in suo esse; quia nō agitur de principijs modi essendi, sed de principijs ipsius esse. Adducūt autē Aristotelem ad se, ijs verbis: & ideò idem Philosophus dixit, principia corporis naturalis esse quodammodo duo, & quodammodo tria: quia sunt duo, loquendo de ente

naturali in facto esse; & tria loquendo de eodem in fieri, hæc illi. Sed numquid errant in terminis, quod sumant modum pro re modificata, vel mutationem pro re mutata, vel actionem, pro re effecta. Totum enim in fieri & in facto esse, debet esse essentialiter idem, quia essentiae rerum sunt immutabiles: ergo si in fieri habeat tria, in facto esse habeat eadem tria oportet, vel non erit idem totum; quia idem sit ex eiusdem, & ex diuersis, non sit idem, sed diuersum. Ergo, si totum sit idem in fieri quod futurum est in facto esse tot habet principia in fieri, quod in facto esse.

DISTINGVENDA sunt igitur hic duo quoad rem; & duo quoad modum essendi. Res distinguendæ sunt generatio & res genita: duo vero distinguenda quoad modum essendi, sunt res genita in suo fieri, & res eadem in suo facto esse. Generatio etiam ut mutatio differt à re genita, ut via à termino, ut motus à re mutata, ut transitus à re transacta, ergo ut accidens à substantiâ. Ponunt enim Complutenses generationem in prædicamento actionis, ens verò naturale in Cathegoria substantiæ: at ens naturale in fieri differt à seipso facto, ut ens absolutum in se, à seipso modificato, ergo cum modi non varient essentialiter rem sed accidentiari tantum, quod principia habet essentialiter corpus naturale in fieri, tot habituum esse in facto esse, & quod possidet in facto esse, tot habuit in fieri, vel si plura in fieri, quod in facto esse, diuersum fuit in fieri, à seipso in facto esse.

DICENDVM est igitur, duo tantum esse principia intrinseca corporis naturalis in fieri, & totidem in facto esse: ratio est ita cuidens ut nequeat eludi, nam corpus naturale sive spectetur in fieri sive in facto esse, semper est essentialiter idem, & totuplex in fieri quadruplex in facto esse: ergo tot & eadem habet principia intrinseca in fieri, quod est habituum in facto esse: at qui in facto esse (etiam ex aduersariorum consensu) habet tantum duo, materiam & formam; ergo & in fieri habet tantum hæc duo. Confirmatur, nam, compositum fieri nihil aliud est quam partes illius uniri,

ergo tot sunt utrobique principia, eaque eadem; nempe, partes unitæ, vel partes vniendæ, seu quæ adhuc vniuntur: sunt autem hæc partes due, materia & forma. Atque ex ijs colligitur, compositum Physicum posse in triplici statu considerari, in potentia, in fieri, & in facto esse. In potentia, ut partes posse vniiri: in fieri, ut partes vniiri: in facto esse partes esse vnitæ.

DICES, inde sequi vniōnem esse de essentiâ totius compositi, quia nequit esse in potentia, neque in fieri, neque in facto esse, quin includat vniōnem, vel in potentia, vel in fieri, vel in facto esse: quia totum in potentia est partes posse vniiri; in fieri, est partes vniiri: in facto esse, est partes esse vnitæ. Distinguo, est de essentiâ compositi in potentia, ut partes sint vniibiles: in fieri, ut partes vniāntur, in facto esse, ut partes sint unitæ: concedo. Ergo vno est de illius essentiâ, nego. Est enim de essentia continui ut partes eius sint unitæ, alioqui non esset essentialiter diuisibile, quia nihil dividitur quin sit unitum, & tamen vniōnes partium continui non sunt de essentia continui, constitutiū, sed vniutiū: quia vniōnes huiusmodi non constituunt continuum, sed vniunt illius partes: ita vno materiae & formæ, non constituit totum, sed illius vnit partes: & sic non est principium illius ex quo, quia ex ea non fit totum, sed ex materiâ & formâ mediâ vniōne, & tamen omne verum principium debet esse id ex quo fit principiatum: ut patet ex eorum definitione, dicuntur enim esse principia, quæ neque ex se mutuò, neque ex alijs, sed omnia ex ijs fiunt.

DICES ultimò, principia intrinseca totius compositi sunt ea omnia ex quibus illud constituitur at constituitur non tantum ex materiâ & formâ, sed etiam ex quantitate, alijsque accidentibus quæ disponunt materiam, & formam fouent in materia: quia ijs Positis ponitur forma, ijs sublatis tollitur forma: & posita formâ ponitur totum sublata forma tollitur totum, ergo hæc omnia sunt principia intrinseca compositi. Distinguo, sunt principia accidentaria concedo: essentia, nego. Tota enim essentia sistit in materia &

formâ. Nam tota essentia speciei est in solo genere & differentia, ergo, tota essentia compositi Physici in sola materiâ & formâ. Consequentia patet, nam cōpositum Physicum in Physicis est id, quod species in Metaphysicis, ergo quemadmodum tota essentia speciei, est in solo genere & differentia: ita tota essentia compositi Physici, in sola materia & forma.

Nec refert quod in hoc statu naturali includat necessariò quantitatē quā materiâ extendatur, & alia accidentia quibus fiat materia apta vniri formæ: quia si diuinitus tollerentur hæc omnia retentâ solâ materiâ cum formâ vnitis, esset reuera totum compositum, æque ac erat, secundum totam essentiam: ergo tota essentia illius s̄tit in sola materia, & sola forma. Sed, an hæc principia quandam habeant inter se contrarietatem, vt vult Aristoteles: videamus.

## QVÆSTIO. V.

*Virum principia Corporis naturalis sint contraria  
& prima contraria.*

**S**IUE vnum, siue plura, siue etiam infinita posuerint rerum principia, veteres Philosophi, ipso Aristotele antiquiores: quandam tamen in eis contrarietatem admisisse constat, ex lib. 1. Phys. Arist. Alij enim frigus & calorem: alijs humorem & siccitatem; rarum & densum alijs; ac demum alijs vacuum & plenum (quæ sibi inuicem contraria sunt) in ipsis reperiri principijs sunt arbitrati: quod cernerent omnia sublunaria, frigida aut calida: humida aut siccata: densa aut rara: vacua aut plena esse; sed hæc rancida, nimis s̄apiunt vetustatem.

**Q**VÆRENDA est igitur alia principiorum contrarietas. Sumitur autem contrarietas duobus modis. Primo, positivè. Pro oppositione eorum quæ sese multo expellunt ex subiecto, vt calor & frigus: Secundo,


priuatiuè vel negatiuè, pro eorum oppositione, quæ licet ex eodem subiecto non sese expellant actiuè; habent tamen oppositas essentias: vel in ordine ad sese, ut materia & forma: vel in ordine ad aliud ut priuatio & forma, in ordine ad commune subiectum. Materia enim & forma, inuicem opponuntur, oppositione potentia & actus: priuatio vero & forma, oppositione non esse rei, ad esse rei.

DICITVR tamen hæc oppositio priuatiua quia in subiecto apto: illa vero negatiua, quia potentia dicit negationem actus, & actus, negationem potentiarum; quia, nec actus fieri potentia, neque potentia fieri potest actus, cum rerum essentiæ sunt immutabiles. Ijs prælibatis, quæritur num principia sunt contraria. Negant nonnulli, primò, substantiæ nihil est contrarium ex Arist. cap. de subst. atqui materia & forma sunt substantiæ & principia, ergo principia non sunt contraria. Distinguo, substantiæ nihil est contrarium positiuè, concedo: priuatiuè, vel negatiuè, nego. Vel sic nulla est contrarietas positiuè inter substantias quæ sese mutuo expellant à communi subiecto concedo: quia substantia in nullo est subiecto inhæsiuè quod possit ab alio expelli; nulla est contrarietas priuatiua vel negatiua apud substantias, nego. Quia priuatio opponitur priuatiuè, formæ: forma vero opponitur negatiuè materia, & è contraria, quia nec materia potest fieri forma: nec forma materia. Quare.

DIGENDVM est tria generationis principia esse contraria priuatiuè vel negatiuè, id patet ex dictis, materia enim ut pura potentia dicit negationem actus; forma vero, ut purus actus dicit negationem potentiarum: priuatio denique numquid formæ opponitur priuatiuè? sed an sint primæ contraria. Videamus.

ADVERTE, primò, contraria ut & prima principia, esse in duplice genere: essentialia, scilicet, & accidentalia. Essentialia sunt, materia & forma: accidentalia vero, primæ qualitates elementorum, calor, frigus, humiditas, siccitas. Ut enim ex materia & forma sit primum compositum nempe substantiale: ut Cœlum

& elementum: ita ex primis qualitatibus fit primum compositum accidentale nempe calidum, frigidum, humidum, siccum. Dicuntur autem hæc contraria, esse prima principia essentialia vel accidentalia, quia ex illis possunt fieri secunda contraria seu secunda principia, ut enim materia & forma sunt prima principia ex quibus fiunt elementa: ita elementa sunt quasi secunda principia ex quibus fiunt mixta, similiter si calor, frigus, humiditas, siccitas sunt prima principia accidentalia, ex quibus fiunt tepidas, densitas, rarietas: ita ex ijs, substantia tepida, densa. Sed hæc de principijs rerum naturalium in genere, ad eadem in particulati progrediviamur fit igitur.





# DISPV TATIO TER TIA.


---



---

*De materia prima.*

**H**ACTENVS de principijs rerum naturaliū in genere : postulat res, vt de ijs in particularij agamus. Et quidem i. de materia, deinde de formâ & priuatione: tūm demum quid & quotuplex sit partium vnio; quidve totum quod resultat, & quomodo à suis partibus vnitis distinguitur.



## Q V A E S T I O I .

*De varijs acceptationibus materia,  
eiisque essentia.*

**Q**VIA vocabulum matetiæ ambiguum est, & omnia ambigua seu æquiuoca prius sunt dividenda quam definienda : postulatres, vt huius nominis ambiguitas tollatur, antequā adve-

ram & genuinam materiæ primæ definitionem accedamus, sumitur igitur 1. materia pro partibus aliquod totum componentibus: quò sensu, lapides & cæmentia dicuntur parietum materia. 2. pro quoquæ subiecto ex quò sit opus aliquod, vt æs, lignum, ex quo sit statua. 3. pro quoquæ subiecto accidentium: cuiusmodi est anima respectu suarum facultatum, specierū, habituum & actuum. 4. pro ipsis elementis ex quibus fiunt mixta. Sed propriè sumitur materia prima, pro aliqua substantia partiali & incompleta quæ in singulis reperitur compositis Physicis simul cum formâ, atque de hac, est nobis hic agendum.

DICITVR autem hæc prima, ad distinctionem sui à materiâ secundâ: materia autem secunda, sunt elementa, respectu mixtorum: & quædam mixta respectu formarum artificialium. Ut enim ex materia prima sit formâ ignis, aquæ, aut terræ: ita ex igne, aqua & terra, sit hoc mixtum, saxum: aut ex ligno sit statua. Vnde, quemadmodum ex materia prima, fiunt elementa: ita ex elementis fiunt mixta: & ex quibusdam mixtis fiunt opera artefacta. Habent autem hæc materiæ aliquam inter se analogiam, & cognitione vnius multum facit ad cognitionem alterius. At enim materia prima definiatur, id quod primum est in generatione, & ultimum in corruptione: seu primum subiectum ex quò sit hoc aliquid, & ultimum in quo tandem illud resoluitur: ita elementa, sunt id ex quò fiunt mixta: & ultimum in quod resoluuntur mixta: quia mixta fiunt ex elementis & tandem resoluuntur in elemēta. Statua pariter sit ex ligho & tandem resoluitur in lignū: & sic lignum est primū subiectū ex quo sit hoc aliquid, nēpe statua, & ultimū in quod illud aliquid resoluitur: & in hoc conuenit cū materia prima. Sed in aliquo differtab illa.

ADVERTE enim ex Diuo Thoma opuscil. 31. §. 4. æs, aut lignum ex quo sit statua, non debere sumi in suo esse completo, per modum alicuius completi, sed per modum entis incompleti, quod se habeat ut pura potentia ad formas artificiales ex arte recipiendas. Dixi ex arte quia æs, aut lignum non ordinantur natura

sua ad artem, sed quadam potentia obedientiali, quae operationi Artificis subiiciuntur: elementa vero natura sua ordinantur ad mixtorum constitutionem: quemadmodum materia prima ad compositionem totius corporis naturalis.

SPECTARI autem potest materia prima in triplici statu secundum quem, triplicem sortitur denominationem. Dicitur enim, materia circa quam; materia ex qua: & materia in qua. Nec est propter ea realiter diversa a se ipsa, sed propter varios respectus, varias sumit denominations. Dicitur materia circa quam operatur agens naturale: ut dum ignis agit circa lignum; dicitur materia ex qua; quia ex illa agens naturale educit formam; ut dum ignis educit ex ligno formam ignis: dicitur, materia in qua, quia in eadem, recipitur forma quae ex ea educita est: non enim transit forma de subiecto in subiectum. Hoc sensu, lignum est etiam materia circa quam operatur artifex; materia ex qua fit statua, & materia in qua remanet forma statuae. Sed quae definiatur materia videamus.

ESSENTIAM materiae primae querere est eius definitione inuestigare. Illa autem explicant Doctores varijs nominibus licet in se sit aliquid unum: vocatur enim chaos, mater, matrix, malefica & turpis. Dicitur turpis quia ex se nullam habet pulchritudinem nisi ea mutuetur a formam, instar generis quod ex se imperfectum cum sit petit totam suam perfectionem a differentia. Dicitur malefica, quia molitur interitum formarum, ex eo enim quod audior sit earum dum unam ingluttit alteram euomit. Dicitur matrix, quod sicut suo formas foueat omnes. Dicitur Chaos, quod confusè cōtineat omnes formas, dicitur Mater, quod in omnium procreationem se prebeat in subiectum passuum, se habet enim materia ut cera ad omnes formas, figuram, modos. Ex eadem enim cera, modo triangulus modo quadrangulus aut quaevis alia figura efformatur; pariter ex materia prima, modo sit forma ignis, modo cineris, modo haec, modo illa, & sic mater dicitur omnium formarum seu Matrix, quia in se continet omnes omnino formas.

Fuerunt tamen aliqui in clarissima luce adeò cæcuentes ut putauerint Deum ipsum esse materiam primam aut saltem non esse extra illam , quod materia ipsa, omnia suo complectatur ambitu, vti Deus : & sit vbiique, vti Deus: & sit ingenerabilis, vti Deus: Sed hæc peruersitas damnanda est & digna quæ ignibus expietur. Nihil enim in rebus, à Deo ipso tam alienum est quam materia prima. Hæc enim pura potentia ; ille purissimus actus. Deus, summum ens, & quodammodo ipsum esse , quatenus scilicet ab eo pendet omne esse : materia verò , infimum ens , prope nihil , & quodammodo non ens , quatenus ex se est tantum potentia ad esse. Hæc fons est & origo omnium mutationum, corruptionum, imperfectionum, & alterationum: ille vero fons & prima radix perfectionum omnium, ex se immutabilis, variabilis, & immotus cetera mouens. Denique, Deus perfectè cognoscibilis & amabilis: materia vero nec cognoscibilis, per se , sed per sua accidentia : nec amabilis omnino, cum sit informis, adultera, malefica, chaos. Sed quid sentiat Aristoteles audiamus.

EAM definiuit Aristoteles lib. i Phy. cap. 6. ijs verbis , materia prima est primum subiectum ex quo fit hoc aliquid , & si corruptitur in hoc abibit ultimum. Id patet , nam in quavis mutatione debet esse aliquid subiectum quod transeat à non esse ad esse, & remaneat sub genito idem, quod fuerat sub corrupto. Vnde statim addit Philosophus , materia prima substantia est quæ se habet ad formas substantiales, sicut æs aut lignum ad formas artificiales. Quis autem non videt , æs & lignum esse in artificialibus primum subiectum ex quo fit hoc aliquid , nempe statua, & in quod abit statua , dum ipsa perit. Id ipsum probat cap. ultim. lib. i ijs verbis materia est primum subiectum vniuscuiusque ex quo aliquid fit , cum insit, non secundum accidentis. Quibus verbis innuit , materiam non esse accidentis sed substantiam rei. Et sanè cum materia prima sit alteta pars compositi , necesse est illam esse de essentia illius , vel certè compositum

non fiet ex materia; contra communem sensum Philosorum, qui omnes docent, materiam in Physicis, esse ut genus in Metaphysicis, & genus est altera pars speciei.

DICES, scripsit Aristoteles lib. 1. Metaph. textu 8. materiam primam neque esse quid, neque quantum, neque quale, neque aliud eorum quibus ens determinatur, ergo non est substantia, nec proinde primum subiectum ex quo sit hoc aliquid, nempe totum, aut forma: neque ens actu, sed ens in potentia; vt vult Diuus Thomas, hoc est, ens ex se quidem penè nihil, sed per formam aptum fieri aliquid. Sed contraria. Materia prima non est quantitas nec qualitas, nec quid completum, substantialiter concedo, non est substantia incompleta, nego. Est enim altera pars compositionis Physici, ut fatetur Diuus Thomas question. 3. art. 5. de veritate, ijs verbis: Quod si materia non habeat propriè essentiam, attamen est pars essentiæ. Et lect. 2. oportet, inquit, vt materia sit alia, secundum substantiam ab omnibus formis substantialibus, & aliud à quantitate, qualitate & alijs accidentibus. Unde, constat materiam primam, substantiam esse partiam diuersam à formâ, & totum compositum constitueri simul cum formâ. Quod cum ita sit miror sane sanctum Doctorem ex professo tradidisse alibi, materiam primam non esse ex se ens actu. Sed ens in potentia, & totum quod habet à formâ id mutuo accipere. Quare:

DICENDVM est, materiam primam esse substantiam Physicam partialem, realiter distinctam à forma. Id patet ex Aristotele diuidente substantiam naturalem in materiam, formam & totum compositum. Secundò ex eodem, lib. 1. Metaph. vbi diuidit ens creatum in substantiam & accidens. Positâ enim illa divisione sic arguo, omne ens creatum vel est substantia vel accidens: atqui materia prima est ens creatum, ergo, substantia est, vel accidens. Non est accidens, cum sit primum subiectum, vel primum subiectum, erit in alio subiecto, quia omne accidens est in subje-

cto, ergo est substantia. Deinde, substantia completa non potest fieri nisi ex substantijs partialibus : atqui totum compositum Physicum est substantia completa & sit ex materia & forma, ergo materia & forma sint substantiae partiales oportet. Materiam autem esse realiter distinctam à forma, patet : nam compositionis realis sit ex partibus realibus & realiter distinctis : atqui ea quae sit ex materia & forma, est realis, ergo sit ex partibus realiter distinctis : & sic materia & forma realiter distinguuntur. Dices, materia non potest esse sine forma, ergo non distinguitur à formā. Distingo, materia non potest esse sine aliqua forma, concedo ; sine hac vel illa, nego. Præterea, quæ sunt diuersa actione realiter differunt, materia sit creatione, forma vero sit generatione, ergo realiter differant.

AT QVÆ ex illis colligitur, materiam esse substantiam partialem, primum subiectum ex quod sit hoc aliquid, & ultimum in quod idem resoluitur ; distinctum realiter ab omni forma : actu existens in rerum natura, per modum potentie Physicæ receptiue formarum. Verum ut id clarius quadrat sit.



## QVÆSTIÓ II.

*An materia prima sit, & ubinam sit.*

**M**ATERIAM primam nullo pacto esse, voluerunt quidam veteres Philosophi : esse quidem, at non ex se, sed per formam docent Thomistæ : esse ex se, & non per formam, docet Aristoteles & cæteri, qui rem ut par est intellexerunt.

Qui materiam primam de medio tollunt, hac via incedunt. Si detur materia prima, maximè ut sit primum subiectum in generatione & ultimum in corruptione

corruptionē : atqui generatio vnius , est corruptio alterius nullo remanente subiecto in genito quod fuerat in corrupto : ergo dum aliquid gignitur secundum se totum gignitur , & dum aliquid corruptitur secundum se totum corruptitur : & sic nihil assignari potest quod sit primum in generatione & ultimum in corruptione . Sed contrā , generatio vnius formæ , est corruptio alterius , nullo remanente subiecto completo , concedo : nullo remanente subiecto incompleto , nempe materiâ , nego . Nisi enim aliquid remaneret in genito quod fuerat sub corrupto vnum diceretur anihilari ; aliud verò creari : quia vnum fieret ex nihilo , aliud verò desineret in nihilum : atqui ex nihilo nihil fit , neque est aliquis quod desinat in nihilum virtute naturali , & tamen generatio fit virtute naturali : ergo in omni generatione est aliquid primum , quod est in omni corruptione ultimum , nempe materia quæ est subiectum commune omnium formarum sibi succendentium ; dum enim una interit , alia gignitur : una moritur , alia nascitur , una venit , alia abit , sed semper in materia : est igitur materia admittenda .

S C R I B I T Diuus Thomas materiam primam esse quidem sed non à se , sed à formâ , seu per formam : hac ratione : nihil est nisi per id à quo habet existentiam ; atqui materia prima non habet existentiam à se , sed à formâ , ergo non est à se , sed à forma . Probat eam esse à formâ , quia nequit esse sine formâ . Sed non euro utrum sit à se vel à formâ : dummodo sit , perinde est , siue sit à se , siue ab alio . Respondeo tamen , materia non habet existentiam nisi concomitante formâ , concedo ; ergo habet eam à formâ , nego . Quia pariter ego dicere , forma non existit nisi concomitante materia ergo habet existentiam à materiâ . Quinimò , magis dependet forma à materiâ quam dependeat materia à forma ; quia potest existere materia , sine hac vel illâ formâ , & tamen nulla est formâ , demptâ rationali , quæ possit existere sine materiâ . Resp . 2. nihil est actu nisi per

existentiam, quia existētia est id per quod quævis res formaliter existit, concedo, nihil est actu nisi per id à quō habet existentiam, vél per id ad cuius concomitantiam habet existentiam, nego. Quia res quævis potest existere propria existentiā, licet eam acceperit ab alio, & licet nequeat illā frui nisi concomitante alio. Vnde, alias respondeo, ad Thomistas: nihil est actu nisi per id à quō habet existentiam efficienter & formaliter concedo: concomitanter, nego. Materia enim prima habet existentiam efficienter à Deo, qui eam creavit: formaliter verò à suā propriā existentia: concomitanter tantum à formâ, quatenus non potest frui suā propriā existentiā, nisi concomitante formâ. Constat enim nullam posse existere materiam nisi habeat aliquam formam, quia dum vnam dimittit, aliam admittit: & nisi admirteret dum aliam dimittit, fortè ipsa dimitteretur. Sed age. Quid sentiat Aristoteles videamus.

**S C R I B I T** Philosophus libro primo Physicorum materiam primam esse quidem ex se, & non per formam: sed tamen negat eam esse quid. Vndé, posset aliquis arguere. Materia prima non est quid, ergo nihil est. Id enim quod non est quid, non est aliquid, & quod aliquid non est, nihil est. Deindè, esse quid in concreto est habere quiditatem: sed habere quiditatem est habere essentiam quia quiditas & essentia reciprocantur: ergo quod non est quid, non habet essentiam, proindeque nihil est. Verū hæc verba Aristotelis sunt hoc modo sumenda. Materiā prima non est quid completum, concedo: non est quid incompletum nego. Vel hoc modo, materia prima, non est tota essentia compositi, concedo: non est altera pars compositi, nego. Quare.

**D I C E N D U M** est 1. materiam primam esse admittendam, hæc veritas patet ex dictis, & ex varia transmutatione formarum in uno eodemque subiecto remanente, sed vbinam sit, & quomodo ibi sit inquiramus.

**Q V O D** semel est alicubi, ibi sit actu vel potentia

oportet. Potest autem aliquid esse alicubi multis modis. 1. ut effectus in suâ causa. 2. ut corpus in loco. 3. ut accidens in subiecto. 4. ut forma in materia. 5. ut pars in toto. Nullo autem ex ijs modis docent aliqui materiam alicubi esse. Non quidem ut effectus in suâ causa, quia nullius causæ est effectus, cùm sit ingenerabilis & incorruptibilis; nec possit fieri ex alio, cùm ipsa sit id ex quô omnia fiunt: nec possit fieri ex nihilo, cùm nihil fiat ex nihilo. Neque, ut corpus in loco: quia corpus non est: neque ut accidens in subiecto, quia accidens non est: neque ut forma in materia, alioqui daretur materia materiae, in infinitum: nec denique ut pars in toto, quia compositum Physicum caret partibus essentialibus, cùm sit substantia simplicissima eo modo quo volunt aliqui Cœlos esse simplices, per exclusionem materiae & formæ; instar puri actus.

S E D errant omnino, fuit enim materia prima ante mundi constitutionem ut effectus in sua causa; nempe in Deo qui eam ex nihilo produxit, estque modo in tempore, & in loco, ratione sui: estque ut pars in toto composito: quia compositum resultat ex materia & forma, nec est substantia completa ut purus actus, sed incompleta: ut mox ostendam.

DICENDVM igitur est, materiam primam esse actu in quovis composito Physico existente actu. Hæc est expressa mens Aristotelis lib. 1. Phy. vbi dicit compositum fieri ex materia & forma: materiam esse primum subiectum ex quo fit hoc aliquid: esse primum in generatione & ultimum in corruptione. Deinde, compositum per se, assimilatur composito per accidens: ergo quemadmodum compositum per accidens habet subiectum & accidens, ut patet in albo: ita compositum per se debet habere materiam & formam. Compositum per se, intelligo fieri ex materia & forma: compositum vero per accidens, ex subiecto & accidente. Hoc quidem per accidens, illud vero, per se, quia forma dat esse rei; ergo forma substantialis dat esse substantiale, seu esse per se: forma

vero-accidentalis dat esse per aliud, seu per accidens. Præterea, datur generatio formæ in materia, ergo datur talis materia. Probatur antecedens, datur generatio formæ, si de nouo generetur forma: atqui de nouo generatur forma dum lignum conuertitur in ignem, ignis in cineres; cineres in terram, & exaltationes, vel in aliquid aliud mihi & tibi incognitum ergo datur generatio varia ac varia, pro varietate formarum genitarum, ergo & materia, quia omnes forma gignitur in materia, & consequenter est admittenda illa materia.

OMNEM autem generationem esse in materia patet, nam generatio est mutatio de non esse formæ ad esse formam in materia: vel si maius, generatio est motus instantaneus: atqui omnis motus est actus entis in potentia prout in potentia, & nullum ens est in potentia præter materiam, quæ est pura potentia ergo generatio est in materia, & consequenter materia est in composite, quia generatio est in composite: vel si generatio non sit in composite, compositum non gignitur sed illud in quo est generatio, & non video aliud gigni quam compositum.

DICES, sola forma gignitur, ergo non totum. Distinguuo, sola forma gignitur, hoc est, educitur de materia concedo; sola forma propriè gignitur, nego. Totum enim dicitur propriè gigni, forma vero educitur è materia & semel educita è materia, eidem materiae unitur, ex qua unione resultat totum; adeo ut totum compositum generi nihil sit aliud quam partes eius uniti; sed ex ijs colligitur dari materiam. Adde quod si detur totum compositum, debent dari eius partes, quia totum non stat extra suas partes, partes autem sunt materia & forma.

DICES, totum non stat extra suas partes, neque intra suas partes, ergo nullibi stat. Probabis consequiam: quia vel est extra, vel intra: nec intra est neque extra; ergo, nullibi est & sic non datur materia neque forma. Distinguuo, totum compositum non est extra, neque intra suas partes, concedo

ergo nullibi est. Negatur consequentia, vbinam est? vbi sunt partes eius ynitæ, quia nihil est aliud quam partes vnitæ. vbinam sunt eius partes vnitæ; In toto. Ergo totum est in seipso? Maximè. Nec mirum id videri debet, siquidem quidquid est, vel est in se, vel in alio, vel extra aliud: sed eo ipso quod sit in se, extra aliud diuersum à se censemur esse: & sic materia & forma sunt in toto, & totum stat per seipsum, quia substantia completa est, & omnis substantia completa stat per se.

A R s naturæ æmula satis indicat materiam esse in toto composito Physico. Vbi enim est totum artefactum, nempè statua lignea, ibi est lignum; quia nequit forma statuæ subsistere extra omnem materiam: ergo, à pari vbi est totum compositum Physicum, ibi sit materia ex qua fit oportet, quia nequit totum subsistere ex sola forma, nec potest forma existere extra materiam si sit forma educibilis è materia. Etiam ex Metaphysica id patet; nam, vbi est species ibi est genus, ergo vbi est totum Physicum, ibi est materia: quia illud totum, correspondet speciei, & materia generi. Cōstat etiam ex Grammatica, Rhetorica, & Arithmeticæ & cæteribus artibus. Vbi enim est opus, ibi est materia talis operis: vbi est numerus, ibi res numerata: vbi oratio congrua & ornata, ibi sunt res de quibus fit sermo. Pariter dicendum de operibus naturæ, vbi corpus naturale, ibi est materia ex qua constat. Ultimò, natura propter sui debilitatem & limitationē suæ virtutis, nequit ex nihilo quidquam efficere, sed indiget subiecto ex quo & circa quod operetur ut cernitur ex ijs quæ singulis momentis de nouo exurgunt: ergo debet admitti illud commune subiectum, & illud vocatur materia. Sed quid illa sit in se, videamus.

## QVÆSTIO. III.

*Virum materia prima sit pura potentia seu  
ens in potentia.*

**C**ELEBERRIMA est hæc in schola quæstio, can scilicet materia prima sit ens actu, vel ens in potentia: vel ut alij proponunt an sit, pura potentia, vel partim potentia & partim actus. Esse puram potentiam, & consequenter ens in potentia: docent Thomistæ omnes & præsertim Ruuius qu. 2. & Complutenses §. 2. disp. 3. contra Scotistas qui melius ut opinor sunt mentem Aristotelis assequiri. Peccant autem Thomistæ i. in eo quod existiment puram potentiam idem esse ac ens in potentia. Secundò quod putent materiam primam omni carere actu essentiali & entitatiuo. Ostendam enim, i. illam esse ens actu, non actum & sic non esse ens in potentia: deinde, esse actu potentiam, & sic esse partim actu & partim potentiam. Vno verbo esse ens totum actu cum admixtione potentiae & actus Metaphysici.

**I**D ut capias, aduerte primò, ens in potentia illud esse quod nondum existit, sed potest existere, ut rofa futura: ens verò actu esse, quod actu existit, & est extra suas causas, ut hæc charta. Aduerte secundò ex illis quæ existunt aliud se habere: ut potentia actua vel passiva: aliud verò ut actus, Paries se habet ut potentia passiva respectu albedinis, quia patitur in se recipi albeninem: albedo verò, se habet ut actus parietis, quia actuat parietem. Hoc sensu, paries non est ens in potentia, quia actu existit, sed est ens actu potentia quia actu potest recipere albedinem. Unde, albedo actu inhærens parieti est ens actu actus: paries verò, est ens actu potentia.

Sic materia prima est ens actu potentia, non actus: forma verò est ens actu, actus: nō potentia. Duo sunt

igitur nobis examinanda, primum, an materia sit ens actu, vel ens in potentia: secundum, an materia prima excludat omnem actum etiam entitatum & essentiale. Quoad primum.

**D O C E T** Diuus Thomas i. p. q. 7. art. 2. ad 3. materiam primam non esse ens actu, sed ens in potentia tantum, quia, inquit, non existit in rerum natura per seipsum, sed per formam. At contra, quidquid transiuit a non esse, seu de esse essentiae, ad esse existentiae, certe transiuit de ente in potentia ad ens in actu, quia essentia seclusa existentia est ens in potentia, positum vero existentia, sit ens in actu; atque materia prima ab exordio mundi transiuit non esse ad esse, & de ente in potentia facta fuit ens actu, quia tunc poterat quidem esse ens actu, & tamen non erat; quia in potentia existendi adhuc erat: modo vero extraeta est ex illa potentialitate & posita extra suas causas, per actualem existentiam, quae est id per quod res quaevis fit formaliter ens actu, quemadmodum paries fit formaliter albus per albedinem, ergo materia prima non est ens in potentia, sed ens actu.

**D I C V N T** Thomistae res quaevis fit formaliter ens actu per existentiam, atque materia prima non habet existentiam a se, sed a forma, ergo non est ens actu a se sed a forma. At contra, materia prima non habet existentiam nisi concomitante formâ, concedo: illam habet a formâ, nego. Si enim haberet existentiam a formâ, illa forma esset prior materia, & sic materia non esset primum subiectum ex quo sit forma. Vel igitur negandum materiam esse primum subiectum ex quo sit forma, vel concedendum illam existere in aliquo priori, antequam forma ex illa educatur, quia forma non potest educi nisi ex materia praexistente, sed de hoc suo loco.

**D I C E N D Y M** est igitur, materiam primam esse ens actu. Probatur, ens actu est illud, quod actu existit in rerum natura, ad distinctionem entis in potentia quod nondum existit, sed potest actu existere: atqui

materia prima existit actu in rerum natura, tanquam altera pars compositi Physici, ergo, est ens actu, non ens in potentia. Dicunt Thomistæ, est ens in potentia si sit subiectum motus, quia motus est actus entis in potentia atque est subiectum motus cum omnis motus fiat in materia, est enim illa quæ mutatur de formâ in formam, de qualitate, in qualitatem? vnde, omnes in se sumit mutationes, estque subiectum omnium formarum substantialium & accidentalium, ergo est ens, in potentia. Distinguo, est ens, actu potentia, concedo; est ens in potentia, nego. Hoc est, materia est potentia recipiendi omnes actus Physicos, concedo: est in potentia existendi nego. Existit enim actu, sed per modum potentiarum receptiarum formarum & accidentium.

I d probo contrà Thomistas ex Dñio Thomâ opus. 31. §. 1. vbi scripsit materiam primam esse ad formas & accidentia, id quod æs aut lignum, est ad formas artificiales: atque æs & lignum non sunt ens in potentia, sed ens in actu, neque existentiam sumunt à formis artificialibus. sed habent à se, ergo materia non sumit suam existentiam à formâ, nec est ens in potentia, sed ens in actu.

D i c e s, nos fortè laborare in æquiuoco; quod Thomistæ, per ens in potentia, non intelligant. ens in potentia existendi, sed ens in potentia recipiendi: ut sensus sit materiam esse quidem actu in rerum naturâ, sed tamen se habere per modum puræ potentiarum receptiarum formarum & accidentium: eo modo quod vas actu existens, in se recipit liquores, & est respetu illorum pura potentia. Sed contrà, nam Ruuius absolute scribit, illam non esse ens actu, sed solum ens in potentia. Et explicans hæc verba Aristotelis, materia non est quid, nec quantum, nec aliorum quibus ens determinatur, expresse dicit, materiam primam nec esse actu substantialiam, neque aliud determinatum ens, sed solum in potentia. Quod si mens eius esset, materiam esse quidem actu, non actu, sed potentiam receptiam formarum, eo mo-

dō quo vas existens actu est potentia receptiva liquoris : sanè id indicaret aliquò verbulo , at nihil indicat , ergo signum est illum velle , materiam primam actu existentem , non esse tantum puram potentiam Physicam , ( per exclusionem omnis actus Physici ) sed etiam esse ens in potentia , hoc est , non existere in rerum natura , sed posse existere

A t docet q. 2. in omni composito Phisico dari actu materiam primam , ergo vel hoc ultimum , falsum vel illud primum. Hoc est , vel materia prima est ens actu , vel non est in omni composito Phisico actu existente.

D I C E S , esse quidem in omni composito , sed ideo non esse , quia ex se est ens actu , sed quia existit per formam. Sed contra , siue enim existat per se , siue per formam perinde est , ut dicatur esse ens actu : quia ut sit ens actu , tantum requiritur ut actu existat. Vnde siue existat per se , siue per formam , dummodo existat , hoc sufficit ut sit ens actu. Nihilominus.

C O M P L Y T E N S E S , ut probent materiam esse ens in potentia. Ita aiunt §. 3. Ideò materia ex eo quod sit potentia ad esse , in quo eius essentia consistit , non dicitur simpliciter ens , sed tantum in potentia. Per potentiam ad esse , nihil potest intelligi praeter potentiam existendi. Vnde ex eorum mente , materia est actualis pars compositi licet ipsa , non existat actu. Quod quomodo quadret , sanè non video. Est autem præcipuum illorum fundamentum huiusmodi , ens ab Aristotele 9. Met. extu 1. dividitur in potentiam & actum : atque forma est actus , ergo materia est potentia. Id patet , quia omne ens se habet , vel ut potentia , vel ut actus : hoc est vel ut recipiens , vel ut receptum : sit enim omne totum ex generē & differentia ; ex essentia & existentia ; ex natura & supposito , in Metaphysicis : & ex materia & forma : vel ex subiecto & accidente in Physicis : atque adeò omne ens , vel est actus , vel potentia. Hoc verū est , quia materia & forma , subiectum &

accidens : genus & differentia, essentia & existentia: natura & suppositum se habent, ut potentia & actus. Hoc quidem verum, sed inde tantum arguitur materiam esse quidem potentiam: at non ens in potentia. Magnum enim intersedit discriben inter ens in potentia, & puram potentiam. Ens namque in potentia, est illud quod nondum existit, ens vero quod est potentia, est illud quod actu existit per modum potentiae. Et hoc sensu dicimus, materiam non esse ens in potentia, sed ens in actu, per modum potentiae: formam vero esse ens actu per modum actus. Et hunc opinor esse sensum Aristotelis cum dividit ens in potentiam & actu, ut voluerit dicere materiam esse potentiam, formam vero actum, ex quibus resultat totum, quemadmodum; ex genere & differentia resultat species.

SED ut clarius res euadat, & tollatur omnis ambiguitas verborum. Si sensus Thomistarum sit materiam primam esse quidem actu, sed tamen per modum purae potentiae, per exclusionem omnis actus. Vel id intelligitur de omni actu physico, vel etiam de actu Metaphysico & entitatiuo: adeo ut nullus actus sit de intrinseca essentia materiae, siue ille sit Physicus, siue Metaphysicus, siue entitatiuus.

VERVM TAMEN ut id capias, aduerte actus Physicos esse formas substantiales & accidentia dispositiva materiae ad formam recipiendam, vel accidentia formam subsequentia, in materia: actus vero Metaphysicos, esse differentiam specificam & individualem, existentiam & subsistentiam: actus denique entitatiuos esse ipsam rerum entitatem. Quoad essentiam & existentiam, adeo ut ipsa essentia, & ipsa existentia sint duo actus entitatiui, etiam ex mente Ruuij q. 2. ubi habet actum essentiale, esse existentiam actum substantialem esse existentiam.

NEGAT tamen ibidem actum entitatiuum materiae primae esse verum sed apparentem duntaxat. Hoc modo, omnis actus est a forma, ergo & entitatiuus, atqui nulla forma est de essentia materie, ergo neque

vllus actus entitatiuus. Sed contrà, omnis actus specificatiuus compositi est à forma : concedo, omnis actus entitatiuus materiæ, aut alterius rei, nego. Forma enim & accidentia quæ essentiam habent & existentiam, actus habent entitatiuos essendi & existendi, quia illi actus non distinguntur ab essentiâ & existentia, cùm sint ipsamet essentia & existentia: ergo cùm materia habeat realem essentiam, & realem existentiam, reales habeat actus entitatiuos necesse est.

NEGAT idem Ruuius in materia esse actum Metaphysicos differentiæ specificæ & iniuidualis, quia (inquit) materia non est ens completum, sed incompletum per modum potentiarum, nec pónitur in prædicamento per se, sed per aliud, atqui ens incompletum per modum potentiarum excludit omnem actum etiam **Metaphysicum**, ergo & materia, illum actum excludit. Sed contra, materia estens incompletum **Physicum**, quia **Physicè spectata** est altera pars compositi: concedo, estens incompletum **Metaphysicum**, quia **Metaphysicè spectata** est species substantiarum corporarum, nego. Quare.

DICENDVM est, materiam habere actus entitatiuos & Metaphysicos, non autem Physicos, & sic esse puram potentiam **Physicam**, sed non **Metaphysicam**. Prima pars patet, nam materia habet sibi propriam essentiam, existentiam & subsistentiam, ergo habet actus entitatiuos essendi, existendi & subsistendi. Præterea, constat genere & differentiâ; conuenit enim cum forma in ratione substantiarum; & differt à forma in ratione talis substantiarum; quod nimirum una sit per modum potentiarum, altera per modum actus: una perfectibilis, altera perficiens: una determinabilis, altera determinans. Materia enim determinatur à formâ, & perficitur à formâ: ergo in uno conuenit cum forma, & in altero differt à formâ, & sic genere constat, & differentiâ. Deinde, materia sublunaris differt specie à materiâ Cœlesti, ergo conuenit cum illa in ratione materiarum, & differt ab illa in

ratione talis materiae : quod nimis una sit dissolubilis à formâ : alia indissolubilis à formâ , constat igitur materia genere & differentia: & sic actus Metaphysicos habet.

ITERVM . materia huius ligni ; est hæc numero materia , ergo habet differentiam individualē : præterea differt specie a materiâ Cœli Lunæ , ergo habet differentiam specificam . eamque sibi essentialem : ergo actus , habet Metaphysicos , & conseqüenter non est pura potentia Metaphysica , nec entitatiua : sed admixtionem habet actuum huiusmodi , & sic partim potentia est , partim actus : licet ipsa secundum se totam , sit tota actu , quia nihil eius est quod non existat actu . Dixi , partim potentia , partim actus , quia essentia & existentia , genus & differentia , species & individualitas se habent ut potentia & actus , & hæc sunt essentialiter in materia

SECUNDA pars patet , nam actus Physici sunt formæ substanciales , & ipsa accidentia realia aduentitia materiae : atque nihil horum est de essentia materiae , sed hæc omnia excluduntur a materia . & accidunt materiae iam existenti in actu completo , secundum omne complementum quod ipsa potest ex sua naturâ habere , ergo , ipsa respectu horum omnium est pura potentia Physica , & sic expers est omnis actus Physici : at non Metaphysici , & entitatiui , quia hoc includit essentialiter . Habet enim genus & differentiam ut dixi , speciem & individualitatem , essentiam & existentiam , ac deinde . substantiam . Et sic quatuor reperiuntur in materia actus , totidemque potentiae , in unum ordinatae ad unum quid Metaphysicè constandum . Genus enim & differentia , ordinantur ad speciem : species ad individualitatem , & individualitas transmittit essentiam ad existentiam & substantiam . Et sic , partim est actus , partim potentia , Metaphysicè ; sed pura potentia est Physicè , ea que merè passiva , quia forma est merè activa : unde , ex materia & forma , tanquam ex potentia & actu sit totum compositum Physicum .

I d docet Aristoteles 9. Met. & fuit Comentator, p. Phy. vbi habet, materiam esse ex se spoliata omni aetate, cum sit primum subiectum ex quo exurgit omnis actus. Denique, omnis actus Physicus educitur ex materia, & recipitur in materia: ergo si ipsa esset actus aut ad mitteret sibi essentiali actum: ex se ipsa educeretur, & in se ipsa reciperetur: & sic primum subiectum esset & non esset. Esset enim partim in subiecto, & partim non esset in subiecto. Sequitur ergo dicendum, eam puram esse potentiam Physicam, absque illa admixtione actus Physici: formam vero pretiosissimum actum Physicum, absque illa admixtione potentiae. Et hoc sensu diuisit Aristoteles, ens, in potentiam & actum.

O B I C I T A uicenna, forma corporeitatis est coæua materiæ, ergo est essentialis materiæ, & consequenter materia non est pura potentia Physica. sed includit aliquem actum Physicum. Probat antecedens materia est essentialiter extensa & corporea; atqui sit extensa & corporea per formam corporeitatis; ergo illa forma est illi essentialis; & sic non est ita pura potentia Physica, quia includat aliquem actum Physicum. Sed contra, materia est essentialiter corporea & extensa entitatiuè à se, concedo: ab aliqua forma sibi essentiali, nego. Sed de his fuisse ubi de coæuis materiae.

### Q V A E S T I O . I I I I .

*Virum potentia receptiva formarum sit essentialis materia,*

S E N S U S questionis est, an materia prima sit essentialiter potentia: quemadmodum forma est essentialiter actus. Et sane, cum se habeant tanquam perfectibile, & perficiens: tanquam potentia & actus, debet alterum esse de essentialia materiæ; alterum vero de essentialia formæ: quemadmodum dif-

ferentia constitutuæ, sunt de essentia rei constitutæ.

**V E R V M**, duplex est potentia rerum<sup>1</sup>, altera est actiua: altera passiua, actiua se tenet ex parte formæ, & est principium transmutandi aliud, vt dum ignis transmutat lignum in ignem: passiua verò se tenet ex parte materiæ, & est principium transmutabile ab alio: vt dum materia, de formâ mutatur in formam. Vel si vis, potentia actiua est principium operandi, siue sit rei congenitum, vt naturalis potentia & impotentia: siue infusum, vt fides, spes, charitas: siue acquisitum, vt habitus scientiarum & artium. Cùm enim substantiæ non sint per se immediatè operatiæ, quibusdam egent accidentibus quibus oportentur, vt instrumentis coniunctis. Potentia passiua diuiditur in obiectiuam seu Logicam, Metaphysicam, & Physicam. Obiectiuua, dicitur potentia ad existendum, quia nihil est aliud quam res quæ nondum existit prout potest existere: vel si maius, est ipsa essentia res, prout potest recipere existētiā tanquam suum proprium actum. Potentia Metaphysica illa est, quæ per mentis considerationem, concipitur recipere in se formam Metaphysicam sola ratione distinctam à se; quo modō se habet genus respectu differentiæ; vel species insimilares respectu individualitatis. Potentia vero Physica ea dicitur quæ in se recipit formas omnes substantiales, atque omnia accidentia quæ sunt illius proprij actus. Obiectiuæ enim, correspondet, existentia tanquam proprius actus: Metaphysicæ, differentiæ, genericæ, specificæ, individualis, aut modus aliquis Metaphysicus: Physicæ verò omnes formæ substantiales primarij, accidentales verò secundarij.

**F V I T** autem materia prima, pura potentia Logica, ante sui creationem: facta fuit pura potentia Physica per sui creationem: nunquam vero, pura potentia Metaphysica: vt constat ex dictis supra, quia habet genus & differentiam: essentiam & existentiam. Nunc queritur, vtrum potentia Physica sit illi essentialis. Sed haec duplex est, vniuersalis & particularis,

Per hanc, respicit vnicam formam determinatè : per illam, omnes indeterminatè. Potentia vniuersalis, subiectiuè & terminatiuè est infinita , quia infinitis subijcitur formis possibilibus, & ab illis potest successiuè determinari , perfici , & expleri, at potentia particularis, subiectiuè & terminatiuè est finita, quia vni soli subiicitur formæ , & ab illa potest determinari, perfici & expleri. Tanta est autem dependentia vniuersalis à particulari , vt illa nequeat reduci ad actum, nisi per hanc. Si enim nulla esset dispositio in materia, nulla posset in illa introduci forma : & sic media particulari, quæ est ipsa dispositio; vniuersalis, quæ est ipsa essentia materiæ : reducitur ad actum. Vnde , particularis dicitur potentia proxima, quia magis accedit ad formam : vniuersalis verò remota quia magis recedit à formis.

**D I S T I N G V N T V R** autem hæ potentia varijs vocabulis, vniuersalis dicitur prima , indeterminata, remota, confusa, essentialis materiæ, & ab ea inseparabilis : particularis verò vocatur secunda , determinata, propinqua , distincta , accidentalis materiæ, ab eaque separabilis. Illa quidem prima , quia præcedit alteram : indeterminata, quia à nullâ potest determinari formâ : vniuersalis , quia vniuersaliter respicit omnes formas : confusa , quia in actu confuso ambit omnes formas : essentialis materiæ, quia est ipsam et essentia materiæ. Hæc verò secunda , quia supponit aliam : determinata , quia vnicam respicit formam; particularis , quia vni subiicitur formæ : distincta, quia actu distinto, connotat hanc formam:accidentalis materiæ, quia illi est aduentitia . & sine illa potest existere materia. His positis, quæritur, nūm utraque sit de essentia materiæ.

**P A R S** negans potest stabiliti hoc modo, omnis potentia , est alicuius rei à se distinctæ , potentia; ergo potentia materiæ, distincta est à materia. Distinguo, omnis potentia accidentalis est alicuius rei à se distinctæ, potentia ; concedo : potentia essentialis, nego. V.g. potentia calefaciendi est distincta ab igne,

concedo : potentia generandi formam ignis .nego.  
 Calor enim est accidentis ignis , sed forma ignis est  
 essentialis , igni. Et ignis calefacit per calorem ; for-  
 mam verò gignit per formam. Vnde , alia est potentia  
 essentialis , alia accidentalis. Hæc est formale prin-  
 cipium agendi aut patiendi: illa verò radicale tantum  
 quia nimirum , essentia est prima radix mutationum;  
 accidentia verò formalia principia

IN S V R G I T Auerroes lib. 1. Phy. Comm. 99  
 hoc modo omnis potentia euaneat aduentu actus ;  
 ergo potentia materiae euaneat aduentu formæ,  
 atqui non potest euanescer nisi sit distincta , eigo  
 non est de essentia materiae.

S E D contra , omnis potentia perficitur per actum ,  
 concedo : euaneat aduentu actus , nego. Genus  
 enim perficitur per differentiam: materia per formam  
 agens per actionem. Nec enim euaneat vis agendi  
 ignis , dum actu agit; nec potentia passiva ligni , dum  
 calefit , sed utraque perficitur per actum , & remanet  
 utraque in suo proprio principio , post actum. Sed vir-  
 gebis , potest Deus simul & semel producere omnes  
 formas possibles , easque simul vniire materiae : erit  
 igitur tunc omnis potentia vniuersalis & particularis ,  
 expleta & redacta ad actum , & consequenter sublata ,  
 quia nulla poterit alia forma recipi ; & ubi non est  
 forma recipienda , ibi non est potentia recipiens : & sic  
 omnis potentia est extra essentiam , materiae. Sed con-  
 tra , nam illæ formæ non definunt esse actus , licet  
 sint in materia , ergo neque materia definit esse po-  
 tentia , licet sit vnta formis : quia esse potentiam ,  
 est de essentia materiae : & esse actum , est de essentia  
 formæ Atque ideo , tandem materia erit potentia ,  
 quandiu erit materia : & forma , tandem erit actus ,  
 quandiu erit forma : quod enim est essentialiter tale ,  
 nequit non esse tale. Quare.

D I C E N D U M est , potentiam particularem esse  
 accidentalem materiae : vniuersalem verò , esse illi  
 essentiale. Prima pars probatur , nam potentia par-  
 ticularis , est quædam illius dispositio ad hanc potius  
 quam

quām ad aliam formam : atqui omnis dispositio ad formas particulares est materiæ accidentalis: ergo & omnis potentia particularis. Minor probatur, nam dispositio ad formas particulares, est aliquod acciden-  
dens proprium illis formis : v. g. calor & siccitas sunt dispositiones ad formam ignis: calor & humidi-  
tas dispositiones ad formam aëris : atqui calor & sic-  
citas, humor & caliditas sunt accidentia aduentitia  
materiæ : ergo potentia particularis est illi acciden-  
talis. Quod autem hæ dispositiones sint illius poten-  
tia proxima seu particularis patet : nam ijs positis,  
potest materia has formas recipere : ijs sublati non  
potest eas recipere, ergo sunt illius potentia proxima.  
Deinde, nulla forma potest recipi in materia nisi pre-  
cesserint dispositiones: ergo dispositiones cōstituunt  
materiam proximè aptam ad formas, & sic illæ dispo-  
sitiones sunt illius potentia proxima & particularis.  
Secunda pars patet, nam formale constitutuum rei  
est illi esse entiale : atqui potentia vniuersalis est for-  
male constitutuum materiæ, nec enim differt à for-  
mâ, nisi vt potentia ab actu: quemadmodum genus à  
differentia, ergo illi essentialis est. Deinde, ex com-  
muni consensu scholæ, materia est pura potētia Phy-  
sica , ergo nihil includit actus : ergo si sit, debet esse  
essentialiter tota potentia. Idque intelligendum de  
potentia vniuersali, quâ respicit omnes formas. Quia  
tantæ est voracitatis, vt vellet illa; omnes obtainere si-  
mul, si posset dari aliquod agens naturale satis po-  
tens, vt illas simul introduceret. Vnde, illa omnes  
formas appetit essentiali appetitu. Sed positâ poten-  
tiâ, ad appetitum illius, progre diamur.

## QVÆSTIO V.

*De vtrisque appetitu materie.*

**D**VPLICEM tribuunt Philosophi appetitum materiæ, vniuersalem & particularem; iuxta duplicitem potentiam quam habet ad formas. Vniuersalis est ille, quod appetit omnes omnino formas; & est proprietas subsequens potentiam vniuersalem: particularis vero est inclinatio ad hanc vel illam formam, & sequitur potentiam particularem. Quæritur vtrum sint admittendi, & quomodo differant inter se, & à materia illi duo appetitus.

SED prius obseruandum, vtrumque diuidi in appetitum concupiscentiæ & appetitum complacentiæ. Appetitus concupiscentiæ est desiderium habendi formas absentes, appetitus complacentiæ est fruitio seu possessio formarum acquisitarum. Deinde, omnis appetitus, vel est naturalis, vel sensitivus: vel rationalis. Appetitus rationalis, conuenit homini, sensitivus, brutis; naturalis vero ceteris rebus animatis & inanimatis. Per rationalem appetimus bona intelligibilia & spiritualia: & residet in voluntate: per sensituum, appetimus bona sensibilia quæ delectant corpus, & residet vel in corde, vel in imaginatione. Per naturalem tendunt res inanimatae ad suam propriam perfectionem: & nullam supponit cognitionem sui obiecti, quemadmodum sensitivus & rationalis, quorum alter sequitur ductum intellectus: alter imaginationis, seu aestimatiæ potentiarum positis.

NEGAT Auicenna, dari vllum materiæ appetitum: cuiusque partes videtur tueri Albertus Magnus lib. 1. Phy. sed facile euertitur eorum fundamentum. Aliunt enim, omnis appetitus supponit cognitionem

sui obiecti, nec enim tendit voluntas in incognitum: atqui materia caret omni cognitione sui obiecti: ergo in illa nullus est appetitus, ad suum obiectum. Sed contra, omnis appetitus intellectius & sensitiuus supponit cognitionem sui obiecti, concedo: omnis appetitus naturalis, qualis est appetitus materiae, & aliarum rerum non viuentium, nego. Neque enim Cœli cognoscunt suum motum orbicularem, aut influxus quos in hæc inferiora immitunt, licet eos edant, impulsu naturali: nec elementa suos fines percipiunt, licet ad eos tendant naturali motu, sed propensione quadam essentiali eos assequuntur: similiter materia, naturali impetu formas appetit omnes, propter bonum vniuersi, eiusque pulchritudinem.

**V**RGET Auicenna, materiæ sufficit una forma, ergo non appetit alias; quia non appetimus superflua, sed necessaria: atqui non appetit eam quam habet, quia appetitus est bona absentis, ergo nullam appetit. Consequentia patet, nam vel appetit eam quam habet, vel eas quas non habet; sed neque has, neque illas, ergo nullam: proindeque in ea nullus est appetitus. Sed contra, nam appetit eam quam habet appetitu complacentiæ: eas quas non habet, appetitu concupiscentiæ, seu desiderij.

**C**ONCUPISCIT enim eas quibus caret, & sibi complacet in ea quam actu habet. Vellit enim habere omnes, ut eius expleretur appetitus, eius voracitas satiaretur, & eius capacitas perficeretur, & sic eius appetitus extenditur ad omnes formas substantiales & accidentales: licet diverso modo: Has enim appetit ut dispositiones ad illas, & tanquam media, quibus illæ comparentur; illas vero appetit ut summam eius perfectionem, & tanquam ultimum, finem sui esse. Non enim est materia nisi propter formam: & si forma non esset, materia forte nihil esset. Sed age, quid sentiant alij: Videamus.

**E**VMDEM appetitum vniuersalem admittunt materiæ quidam ex recentioribus hac ratione: si materia

habeat appetitum naturalem ad omnes formas, magis debet appetere perfectiorem, quam imperfectiorem, quia natura procedit ab imperfectioribus & tendit ad perfectiora: atqui res secus habet, nam appetit aliquando ignobilem, ut perdat nobilem; & hoc contingit in discessu animalis, ubi petit anima & exurgit forma cadaueris: ergo ille appetitus non est naturalis, sed violentus. Consequentia est optima, nam materia qua caret cognitione, debet semper sequi ductum authoris naturae: & author naturae dirigit omnia ad perfectiorem finem, quem naturam suam postulant, ut docet Diuus Thomas i. p. q. 40. art. 3, ergo naturalis appetitus materiae non potest ferri de formâ nobiliore ad ignobiliorum: sed de ignobiliori ad nobiliorem; & sic, satius est si dicamus nullum esse appetitum materiae ad formas.

SED contraria, nam materia prima non attendit nobilitatem aut ignobilitatem formarum, sed formas. Vult enim omnes, & non curat an perfectae sint vel imperfectae: praesentes vel absentes: nobiles aut ignobiles: cuiuscumque enim generis sint, aut speciei, omnes vult, & nullam respuit. Bona mater est, quae suos aequaliter diligit infantes. Omnes concipit, omnes parit, omnes alit, omnes fouet: sed omnium machinatur interitum: & in hoc, licet malefica: maximè sese præbet omnibus aequalem, quod omnes ambiens, omnes amittit. Nec author naturae vim infert eius essentiæ, sed illi confert quod suæ naturæ consonum est. Quinimodo, propter bonum uniuersi, ita fieri rerum generationis annuit, ut perpetuò de formâ, in formam transmutetur materia: & modo in una venustatem, modo in alia fœditatem, assequatur. Quare.

DICENDVM est, materiam sibi habere naturalem appetitum ad omnes formas. Hæc est doctrina Aristotelis, pluribus in locis; sed præsertim lib. i. Phys. textu 81. ubi scribit, materiam appetere formam sicut turp epulchrum: sicut perfectibile, perficiens: sicut potentia, actum. Et i. Metaph. nunquid docet Phi-

Iosophus omnia suum appetere bonum; & quis audiat asserere, formam, non esse summum bonum materiae, cum ipsa sit propter formam & ibi quiesceret, cum primum sibi acquisiuisset omnes formas, ut videbimus quæst. 6. Est igitur forma summum bonum materiae: & consequenter, est illi summus appetitus, ad formas. Deinde, materia ordinatur ad formam ut potentia, ad actum: atque omnis potentia appetit suum actum, essentia, existentiam: genus, differentiam: species, suam individuationem: ergo, materia, formam. Ratio dicit, nam partes essentiales alicuius totius, per se primo appetunt inuicem vniuersitatem, ut fiat totum: ergo materia & forma appetunt vniuersitatem, ut fiat totum. Nec mirum, quia vis vnitatis fit fortior, & si forma a materia dissolueretur, & materia ab omni forma, devtriusque salute periclitaretur. An vero ille appetitus sit essentialis materiae: videamus.

SCRIBIT Ruuius quæst. 7. appetitum materiae ad formas esse quidem illi essentialiem, sed ratio quam vtitur non probat. Ait enim, talis est appetitus, quale est bonum, ad quod ordinatur: atque appetitus materiae non ordinatur ad bonum sibi accidentale, sed essentiale, ergo non est illi accidentalis, sed essentialis. Vbi aduerte bonum ad quod ordinatur appetitus materiae esse formam. Quo posito, sic respondeo, appetitus materiae non ordinatur ad bonum sibi accidentale, sed essentiale: nego. Si enim illud bonum esset de essentia materiae, forma esset de essentia materiae: & consequenter, actus esset de essentia materiae: contraria id quod scribit quæst. 2. & sic materia & forma confunderentur, nec constituerent unum per se compositum, sed simplicissimum: quia forma & materia essent unica simplicissima essentia. Et quod inde sequitur, tot essent partes essentiales materiae, quot sunt formæ: & quod peius, essentia materiae non esset unius speciei, sed plurium, pro diueritate formarum: & quod absurdius, materia esset Chymæra. Resularet enim ex pluribus naturis specie, & genere differentibus, ut patet. Sed forte, eius mens erat,

materiam essentialiter respicere formam eamque appetere, tanquam bonum terminatum suæ essentiae; sed non tanquam bonum constitutum suæ essentiae.

DICENDVM est igitur, appetitum vniuersalem ad omnes formas esse essentialē materiæ, seu proprietatem materiæ: appetitum vero particularem omnino accidentalem. Ratio est, quia appetitus vniuersalis sequitur potentiam vniuersale, ut admiratuum, rationale: nec ab illa differt plusquam ratione: appetitus vero particularis sequitur potentiam particularem; nec ab illa differt plusquam ratione; ergo quemadmodum potentia vniuersalis est de essentiâ materiæ, seu formale constitutum materiæ: particularis vero accidentarius: ita appetitus particularis est accidentarius materiæ: vniuersalis vero essentialis seu proprietas essentiæ. 2. materia essentialiter appetit omnes formas indifferenter: accidentariò vero hanc aut illam in particulari; ergo appetitus vniuersalis est illi essentialis: particularis vero contingens. Confirmatur, nam, materia spoliata omni forma non appetit magis hanc, quam illam, sed omnes æquilater, & indifferenter vellet suo complexu ambire, ut gallina congregans pullos suos sub alas, ergo per accidens est, quod huius vel illius habeat dispositiones ut potius hanc quam illam appetat; & sic appetitus particularis est aduentius, vniuersalis vero essentialis. Consequentia patet. Nam potest esse sine illo, non autem sine hoc: ergo iste est de essentia illius, non autem ille.

## QVÆSTIO VI.

*De summa perfectione materia, eiusque ingenerabilitate & incorruptioniblitate.*

**D**uo occurunt in hac quæstione examinandas; primum est, an quædam sit summa perfectio materiae: secundum, an materia sit ingenerabilis & incorruptibilis. Ut capias primum, aduerte: duplicem esse perfectionem rei, intrinsecam & extrinsecam. Perfectio intrinseca vel est essentialis, vel accidentalis; quia sicut in sola essentia eiusque proprietatibus, & accidentibus aduentitijs. Hoc sensu perfectio essentialis Petri, est quod sit homo: perfectio accidentalis est, quod sit admiratus, risibilis, doctrinæ capax, & similia. Perfectio extrinseca, est finis propter quem res omnis condita est. Hoc sensu, perfectio extrinseca Petri est Deus: quia est conditus propter Deum. Sed hæc perfectio, duplex est: obiectiva, & formalis: obiectiva respecti Petri, est ipse Deus: formalis vero, possessio Dei. Similiter, perfectio essentialis materię est eius essentia: perfectio accidentalis, sunt eius accidentia propria & communia: perfectio extrinseca eius, sunt omnes formæ possibles: formalis vero, possessio omnium formarum. Non querimus perfectionem essentialē materię, quia erit alio loco quærenda: sed inuestigamus quānam sit eius summa perfectio extrinseca: circū quod.

**DICENDVM** est i. summam perfectionem obiectivam materiae, esse cumulum omnium formarum possibiliū quas appetit habere. Probatur, nam perfectio materiae est forma, ergo summa eius perfectio, est summa congeries formarum: atqui summa congeries formarum est cumulus omnium formarum; ergo cumulus omnium formarum est summa perfectio materiae obiectiva.

DICENDVM 2. summam perfectionem formalem materiæ, esse actualem possessionem omnium formarum. Probatur, nam tunc summa perficitur materia, cùm perfectè expletur eius appetitus vniuersalis : atqui, ille appetitus nō expletur perfectè nisi per actualem possessionem omnium formarum : ergo, summa illa possessio formarum, est eius summa perfectio actualis. Sed dicendum est, nusquam posse illa frui perfectione, via naturali : sed tantum virtute diuinâ: quia nequeunt duæ formæ se cōpati simul, nisi Deus operetur, at operante Deo, possent non solum duæ, sed etiam omnes possibles educi, & eidem materiæ vniri, ac impediri etiam qualitatum oppositiones, prorsus immutatâ earum naturâ. At quid esset illud totum ? Fortè Chymera. Resultaret enim ex varijs naturis. Sed de ijs disp. de forma. An verò materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis, videamus.

OBSERVA. 1. aliquid dici ingenerabile & incorruptibile tripliciter 1. quia nullam habet materiam in quâ sit, tanquam in subiecto, vt Deus, & Angeli: qui omni carent subiecto, cùm sint substantiæ simplices, per se simpliciter subsistentes. 2. quia licet habeat materiam, nou tamén habet priuationem alterius formæ, sed negationem, vt formæ Cœlorum, quæ censentur esse ingenerabiles & incorruptibiles ab omni agente naturali. 3. Quia est primum subiectum, ex quo reliqua fiunt corruptibilia ; cuiusmodi est materia prima sublunarîs : ex cuius sinu educuntur omnes formæ substanciales sublunares: & in quam eadem formæ tandem resoluuntur. Ijs positis.

DICENDVM est, materiam primam secundum suam entitatem esse ingenerabilem & incorruptibilem tertio modo. Ingenerabile enim & incorruptibile tertio modo, est primum subiectum ex quo omnia corruptibilia educuntur, & in quod tandem resoluuntur : atqui materia est huiusmodi, ergo est ingenerabilis & incorruptibilis. Probatur minor, nam materia est primum in generatione, & ultimum in

corruptione : primum subiectum , ex quô fit hoc aliquid,& in quod tandem resoluitur,

DEINDE omne generabile & corruptibile , fit in subiecto , & desinit in subiectum: sed materia nec fit in subiecto,nec desinit in subiectum, cùm ipsa fit primum subiectum : ergo nec generabilis est,nec corruptibilis. Præterea,omne corruptibile,desinit esse, vel à contrariò,vt dum calor expellitur, à frigore:vel ab incompossibili,vt dum forma,formam trudit è materia:vel deffectu termini,vt relatio:vel deffectu subiecti,vt si materia desinere t,corruerent omnia sublunaria : atqui nullo ex illis modis potest desinere materia , ergo nullo modo corruptibilis est nec consequenter generabilis: quia generabile & corruptibile reciprocantur. Est igitur creabilis & anihillabilis duntaxat,quia creata fuit, & potest anihillari:proindeque effectus est solius Dei,cuius est,ex nihilo producere. An verò materia sit radix corruptionis , id inuestigandum.

RADIX corruptionis duplex est , actiua & passiua. Actiua dicitur id omne, quod formaliter vel efficienter suum oppositum expellit è communi subiecto. Forma, formaliter expellitur à formâ , & contraria qualitas à contrariâ qualitate; efficienter verò expellitur vnumquodque à contrario , seu ab opposito agente:vt forma ligni ab igne:ignis ab aqua. Passiua radix corruptionis est subiectum illud quod patitur in se fieri omnes corruptiones rerum,vt materia,quæ sibi vult adesse omnes formas , & quia sibi vult omnes vniri simul;omnes amittit,propter nimiam cupiditatem. Quod si vna contenta esset , illâ perpetuò frueretur,& aliarum non moliretur perniciem:Quare.

DICENDVM est i. materiam esse radicem passiuan corruptionis naturalis. Probatur , nam eadem debet esse radix corruptionis , quæ est generationis; cum generatio & corruptio opponantur,& oppositorum sit eadem doctrina, idemque subiectum : atqui radix passiua generationis est materia :ergo & radix

passiuā corruptionis. Deindē, in materia, fiunt rerum omnium generationes & corruptiones: cūm materia sit primum subiectum ex quo fiūt formæ, & ultimum subiectum in quod resoluuntur formæ; ergō, illa est prima radix generationis & corruptionis passiuā. Actiua verò radix, est agens, naturale, quatenus ab illo procedit omnis generatio; & generatio vnius est corruptio alterius. Nisi enim agens, ageret in materiam, & nisi forma vna gigneretur, altera minimè corrumperetur, & sic agēs estra di actiua corruptionis: materia verò radix passiuā.

DICENDVM tamen 2. neutrum illorum esse radicem seu causam per se corruptionis, sed tantum per accidens. Ratio est euidens & consona naturæ. Nam, neque materia appetit per se amittere formam quam habet, vt aliam acquirat: neque agēs vnam destruere vt aliam producat; sed vtraque causa, vtrumque vellet fouere effectum, si aliundē non prodiret impedimentum. Quòd enim duę formę non possint simul se cōpati, hinc oritur ortus vnius, & interitus alterius. Et sic appetitus vniuersalis ex parte materiæ, & virtus fecunda ex parte agentis, sunt per se radix generationum, & per accidens radix corruptionum. Nisi enim agens posset plures edere, & materia plures appetere formas: non sequeretur tanta terum vicissitudo, generatio, corruptio, mutatio: vt patet in materia Cœlesti, quæ sibi complacet in vna forma. Sed de ijs fusius in libris de Cœlo, vbi demonstrabimus materiam Cœlestem, differre specie à materia sublunari quòd hæc plures appetat modo dissolubili: illa verò appetat tantum vnicam modo indissolubili. Sed, an sublunaris sit eiūsdem speciei in omnibus rebus Physis, Videamus,

## Q VÆST I O VII.

*Vtrum materia omnium corporum sublunariorum  
sit omnibus eiusdem speciei.*

**I**N INVAVIMVS suprà, materiam cœlestem & sublunarè differre specie inter se, quòd altera sit dissolubilis à formâ : altera verò indissolubilis à formâ. Nunc inuestigandum, an materia sublunarî sit eiusdem vel diuersæ speciei in omnibus compositis sublunaribus.

DOCENT quidam Thomistæ, diuersam esse in ijs compositis, quorum formæ sunt diuersæ : eamdem verò, in ijs quorum formæ sunt eadem, secundum speciem. Quod putent omnem materiam, suam sumere specificationem à formâ, non autem à modo tendendi in formam. Aliunt enim, omnis potentia specificatur ab actu, ergo materia specificatur à formâ, quia forma est actus materiæ. Idem sentit Ruuius q. 6. ijs verbis; potentia sumit suam speciem ab actu, ad quem per se ordinatur. Scribit tamen q. 8. non ab actu specificari potentiam, sed à modo quo actus tendit ad potentiam. Docet enim ibidem, formas substantiales quatenus sunt diuersæ speciei, esse actum materialem, materiq:modum vero informandi materiam dissolubiliter : esse actum formalem, illius. Et quidem rectè Ruuius in uno : sed peccat in alio. Non enim materia specificatur à modo, quo formæ tendunt ad illam : sed à modo quo materia tendit ad formas. Debet enim vnumquodque specificari ab aliquo sibi intrinseco, non autem ab aliquo sibi extrinseco. Modus autem quo formæ tendunt in materiam, est intrinsecus formis, & extrinsecus materiæ. Modus vero quo materia tendit ad formas, est intrinsecus materiæ, & extrinsecus formæ. Debet ergo materia speciem sumere à suo modo dissolubi-

liter tendendi in formas : non autem à modō quō formæ tendunt in materiam. Ratio mea est, quia ex eodem Ruuio pluribus in locis, & ex communi sensu Philosophorum, differentia distinctiua, est etiam constitutiua rei. Quis autem dixerit, posse aliquid constitui per aliquid sibi extrinsecum, quemadmodum modus formæ tendendi in materiam, est extrinsecus materiae & intrinsecus formæ. Quod probo, modus formæ tendendi dissolubiliter in materiam est differentia constitutiua formæ sublunarisi : modus vero tendendi indissolubiliter in materiam, est differentia formæ Cœlestis : quemadmodum modus vniendi se dissolubiliter formæ ; est differentia constitutiua materiae sublunarisi : modus verò vniendi se, indissolubiliter formæ; est differentia constitutiua, materiae Cœlestis. Atqui differentia constitutiua formæ, non potest esse differentia constitutiua materiae, alioqui materia esset forma : ergo modus formæ tendendi dissolubiliter in materiam, non potest esse differentia constitutiua materiae sublunarisi, nec proinde ab illo modo, petit materia suam specificationem, sed à suo proprio modo tendendi dissolubiliter in formas omnes, indifferenter.

**A D D I T** statim Runius, eamdem specificationem esse intrinsecam materiae, & ex propriâ suâ naturâ illi conuenire. Quod quomodo quadret, non video. Si enim illa differentia specificatiua materiae, sit modus intrinsecus formarum, quomodo potest esse modus intrinsecus materiae ; nisi materia sit intrinsecè forma : & forma intrinsecè materia : & sint ita non duo, sed unum tantum specie. Adde, inde sequi fallacem esse diuisionem entis, in potentiam & actum, quia materia non erit potentia, sed actus: vt potè quæ constituta erit ex differentia constitutiua actus, nempe ex modo quo formæ attingunt materiam : & ille modus est formaliter actus, cum sit constitutiuus formarum.

**P R A E T E R** hanc specificationem materiae, admittit aliam Ruuius in materia, licet dicat eam esse

extrinsecam materiæ, hæc est quam sumit materia ab ipsis formis, vt sensus sit, alterius speciei esse materiam dum existit sub formâ ligni, alterius verò dum existit sub formâ ignis. Sed contrà, nam rerum species sunt immutabiles, ergo vbi res sunt, ibi semper eiusdem speciei sunt: ergo vbi cumque est materia, ibi semper est eiusdem speciei: nec vlla debet admitti specificatio extrinseca; sed intrinseca tantum. Species enim & essentia reciprocantur, ergo quod habet speciem extrinsecam, habet etiam essentiam extrinsecam, quod non capio. Si enim aliquid habet essentiam extrinsecam, extra se sit oportet, quia unumquodque est in sua essentia. Species igitur illa quæ ex materia & forma resultat, est quidem totius, sed non materiæ. Vndè, forma est specificatiua totius, non materiæ: quia vt dixi suprà, materia sumit suam specificationem à modo tendendi ad formas non autem à formis.

COMPLVTENSES verò quæst. 3. §. 2. Nec à modo materiæ tendendi in formas: nec à modo formarum tendendi in materiam, sumi specificationem materiæ volunt: Quod putent, illam carere omni specificacione, positiuâ, nec ullam habere nisi forte negatiuam. Distinguunt enim duplarem specificationem in rebus: unam posituam, alteram negatiuam. Tunc aliquid est specificè unum posituè ( aiunt ) quando habet in se principium aliquod vndè oriatur talis unitas: vt patet in homine, qui includit in se animam rationalem, ex qua tanquam ex primo & radicali principio, propria illis specificatio procedit: tunc verò aliquid habet virtutem specificam negatiuam, quando non est plura specificatiuè, nec includit in se principium per quod specificè multiplicetur. Vndè ( inquit paulò post ) siue materia spectetur in esse obiectu, seu essentiæ: siue in esse realis existentiæ, nullam habet unitatem specificam, à se, sed emendicatam à formâ & à toto. At non distinguunt specificationem materiæ, ab specificatione totius: & sic pugnant cum Rufo. Iste dicit specificationē totius, & formæ esse ex-

trinsecam materię, illi verò intrinsecam, & sic Thomistæ cum Thomistis decertant. At contra Complutenses; illud est specificè vnum quod habet in se principium vnde oriatur talis specifica unitas: atqui materia sublunar is habet tale principium; ergo est una specie. Probatur minor, materia sublunar is habet sibi intrinsecum principium quo dissolubiliter vniatur omnibus formis: materia verò cœlestis principium sibi intrinsecum quo indissolubiliter vniatur uni soli formæ: atqui illa principia sufficiunt ad positivam specificationem, cum sint principia positiva, nempe potentia universalis in sublunari: & potentia peculiaris, in cœlesti; ergo in illis materijs est positiva specificatio. Sed Aristotelem audiamus.

SCRIBIT Aristoteles lib. I. Phy. textu 69. satis expressis verbis, unam esse specie materiam in omnibus sublunaribus, & textu 82. vbi dicit, eandem subiectibilem esse omnibus formis, cum sit primum in generatione & ultimum in corruptione. Quare.

DICENDVM est, materiam eiusdem speciei esse in omnibus sublunaribus, nec differre in singulis nisi solo numero. Prima pars patet, nam differentia constitutiva materię sublunar is, est modus tendendi dissolubiliter in omnes formas, seu potentia & appetitus universalis ad omnes modo dissolubili, atqui illa dissolubilitas reperitur in omni materiâ sublunari, quia nulla est quæ non possit à suâ formâ disiungi, ergo in omnibus est eadem differentia specifica, & sic eiusdem est speciei, in omnibus compositis. Secunda pars patet, nam unitas individualis petitur ab esseitate rei, seu à differentia individuali: atqui materia quæ est sub formâ ligni differt numero ab ea quæ est sub formâ lapidis, licet sint eiusdem speciei: quia quilibet habet suam entitatem distinctam ab alia, ergo differunt numero. Verum, quia differentia individualis est ultima conditio per quam rerum essentia descendunt ad existentiam: postulat res ut ijs expositis quæ ad essentiam materię pertinent ad eius existentiam progrediamur; vt inde nobis inno-

tescat quid sit materia, quomodo existat, an habeat partes à se, vel a quantitate, & an quantitas sit illi coœua, sit igitur.

---

## Q V Æ S T I O VIII.

*An materia habeat propriam sibi existentiam  
& subsistentiam.*

**E**XPOSITIS ijs quæ ad essentiam, potentiam, appetitum, & alia quæ sunt essentialia materiæ spectat: sequitur vt ad eius existentiam progrediamur. Non nulli autem ex cœtu Thomistarum, adeò demissè sentiunt de materiâ primâ, vt ei adimant non tantum essentiam, sed etiam existentiam. Putant enim id totum quod habet, à formâ sibi emendicare. Sunt & alij inter quos Ruuius, qui existentiam quidem illi tribuunt ex se, sed non essentiam. Scribit enim q. 2. actu rei cuiusque, esse vel essentiale, vel substantiale. Per essentiale intelligit essentiam rei: per substantialem verò existentiam. Concludit tamen eadem quæstione 3. materiam non habere actum essentialē, nec proinde essentiam, à se, sed à formâ: quæstione verò 3. tribuit illi propriam existentiam. At quomodo hoc quadret non video, maximè cùm eadem quæstione 2. ponat essentiam & existentiam esse eandem entitatem realem.

**C**O M P L V T E N S E S, ex ijs sunt qui essentiam & existentiam adimunt materiæ. Essentialē quidem, quia ei denegant actum entitatium essentiale, existentiam vero, quia illi non tribuunt actum substantialem. Sed quibus argumentis probent materiam existere per existentiam formæ, videamus. Ajunt illi, hoc ipso quod aliqua res sit existens, est ens in actu: ergo si materia prima propriam habet existentiam, & similiter forma suam, utraque erit ens in actu,

ergo ex illis non poterit fieri, vnum ens per se, quale est compositum, sed ens per accidentem; iuxta illud, ex pluribus entibus actu non potest fieri vnum ens per se, sed per accidentem: hoc est, vnum per aggregationem. Sed contra, ex pluribus entibus per se completis & nullum ordinem inter se dicentibus, nequit fieri vnum ens per se, sed per accidentem, concedo; ex pluribus entibus incompletis & ordinem essentiali inter se dicentibus, ut sunt materia & forma, nego. Materia enim & forma sese mutuo respiciunt ut potentia & actus, in ordine ad totum compositum conflandum.

Vrgent illi, nulla existentia potest se habere ut potentia respectu alterius à qua perficiatur tanquam ab actu, ergo ex nullis existentijs potest fieri vnum ens per se, compositione Physica. Distinguo, nulla existentia potest se habere ut potentia respectu alterius, concedo; nulla res existens, potest se habere ut potentia respectu alterius rei existentis, nego. Materia enim est potentia, respectu formæ; subiectum respectu accidentis: anima, respectu suarum facultatum: facultates respectu suorum actuum; & actus aliquo modo, respectu obiectorum, saltem quodad receptionem specierum intentionalium, quæ ab obiectis deriuantur in potentias. Non est autem quæstio, vtrum ex duplice illa existentiâ, materiæ & formæ, fiat totum compositum, sed vtrum fiat compositum ex materia & formâ existentibus actu, ut ipsi concedunt §. 2. q. 1. disp. 6.

SED vrgent, eo ipso quod aliquid est pura potentia respectu alterius, nequit in eo imbibiri ratio actus respectu illius: atqui materia prima, est pura potentia respectu existentiæ formæ, ergo nequit esse actus respectu existentiæ formæ. At, hic latet æquiuocatio sic diluenda. Id quod est pura potentia respectu aliius, nequit esse actus illius, concedo: nequit esse actu respectu illius, nego. Dicimus autem materiam primam, esse quidem actu per suam existentiam, & in tali statu existendi, esse puram potentiam,

*¶ melius evadare in hoc argumento, respectu negat imbibit ratio alij, Physice concedo metasufficie nego, nam licet materia i<sup>a</sup> habeat existentia que de habeat per modum actus humen non multa quoniamque se habet ut pura ratio suffici formæ quod tam*

*Ex Officina de expositiis maxima quæ sit pars novi de ratione Physicæ generali. Secundum Aristotelem. Et existentia maxima nullum dicitur ratione ad formam in genere autem sed ad Officium maxima ex Physicæ ratione.*

respectu formæ recipienda; sed non esse illius actum. Unde, tota deceptatio Thomistarum in eo sita est, quod putent idem esse omnino; materiam esse ex se actu, & esse eo ipso actum: quod tamen falsum est; Deus enim est actu, & non est actus: ut hic sumitur actus: quia nihil actuatur. Intelligentiae sunt actus; & non sunt actus. At anima nostra actu est, & actus; quia actu existit, & actu actuatur corpus humanum. Materia igitur est quidem actu, sed non est actus: forma vero actu est, & actus: & sic, materia actu existens, est pura potentia respectu formæ recipienda, quæ illius actus est.

V R G E N T iterum §. 3. rē existere est eam esse extra suas causas, ergo prius debent causæ exercuisse suas causalitates quibus extrahitur res huiusmodi ex suis causis, quam ipsa res possit extrahi, & esse actu extra suas causas: prius enim est via, quam terminus; prius actio, quam effectus: atque, id quod extrahitur è causis, medijs causalitatibus, est totum compositum non partes: ergo solum compositum existit non partes. Sed contra, per vos, totum compositum existit, non partes, ergo partes non existunt; nec proinde totum, quia totum nihil est præter partes unitas; etiam ex vestra mente §. 3. q. 4. disp. 6. Deinde, si solum compositum existat non partes, ergo materia non existit, per existentiam formæ; contra id quod dicitis §. 2. q. 6. disp. 3. Et contra alios Thomist. asserentes materiam existere per existentiam formæ. Sed, respondeo in formâ. Rem aliquam existere est eam esse extra suas causas, concedo: prius autem est causas exercuisse suas causalitates, quam rem illam extrahi & esse extra suas causas, concedo: atque, id quod extrahitur è causis est totum compositum, distinguo: id quod extrahitur è causis Physicis simul quatuor concurrentibus concedo; è causa prima sola per se operante nego.

D I C I M V S autem materiam primam non fieri à causis Physicis simul concurrentibus, cum ipsa prior sit ijs omnibus, sed à solo Deo per creationem. Est

enim ingenerabilis & incorruptibilis : primum subiectum ex quô fit hoc aliquid, nempè totum aut forma : & cùm ex ea fiat totum & forma, tanquam ex primo subiecto, quæso ne dicatis amplius eam existere per existentiam totius aut formæ, nisi velitis dicere, id quod prius est suam desumere existentiam ab eo quod est posterius, quo semel posito, sic argui possit. Materia accipit suam existentiam à formâ, vel à toto, ergo totum & forma sunt quid prius materia: atqui materia est primum subiectum ex quo fit forma, & totum; ergo materia est prior & posterior formâ & toto; quod qui possit subsistere non video.

Si enim materia existat alienâ existentiâ, ergo vel existentiâ formæ vel compositi : si existentiâ formæ, sanè forma existit, prius quam materia : quia unumquodque debet prius existere in se, quam possit suam communicare existentiam alijs, ergo materia non erit primum subiectum, sed forma : si vero existat materia, existentiâ compositi, sequitur compositum existere priusquam existat materia, quia nequit tribuere suam existentiam materiæ, nisi prius illam habeat in se, ergo partes sunt posteriores toto, & sic inuertitur vniuersa philosophia.

D I C E N D V M est igitur materiam primam habere propriam sibi essentiam, existentiam & subsistenciam, independenter à formâ, & toto composito : licet totum compositum & formâ existant & subsistant dependenter à materiâ. De essentiâ patet, nam rerum essentiæ ut sunt ingenerabiles & incorruptibiles, ita sunt omnino independentes, ab omni alio. Neque enim vna dependet ab alia, sed sunt æternæ; & omne eternum est independens, quia eternum non admittit prius, à quo dependeat : ergo, nequit materia habere suam essentiam à formâ vel à composito. Quod nequeat etiam habere existentiam ab eis, probatur; ab eo habet materia existentiam, à quo producitur : quia existentia est terminus productionis; atqui non producitur à formâ, neque à toto composito, ergo non habet existentiam à formâ, neque à

toto composito. Probatur minor , nulla causa producitur à suo effectu ; sed è contrà , omnis effectus producitur à suâ causâ : sed materia est causâ subiectua formæ , & causa materialis compositi : quia subiectur formæ , & ingreditur compositionem totius compositi , ergo causa est formæ , & compositi .

DEINDE , si materia existat existentia formæ , vel totius compositi ; illæ existentiæ vel sunt diuersæ , vel sunt vna & eadem : si vna & eadem , totum & forma existunt vnâ & eadem indiuisibili existentiâ ; quæ ut est totius , est totalis : vt verò est formæ , est partialis : & consequenter , idem est completum & incompletum ; partiale & totale ; pars & totum , & quod peius est , forma sola erit ipsum totum , quod probo . Sola forma est ipsum totum , si eo ipso quod fit forma , fiat & ipsum totum : atqui res ita sit ; quia forma fit , dum ei datur existentia ; & eadem existentia datur etiam toti , & nequit existere forma , nisi existat & totum : si vna & eadem sit eorum existentia , ergo totum & forma sunt omnino idem : & sic forma erit totum , & totum erit forma . Quô quid adsurdius .

PRÆTEREA , si eadem sit indiuisibilis existentia formæ & totius , quâ existat etiam & materia : præter quâm quod illa tria sunt vnum quid simplicissimum , quia vnâ simplicissimâ existunt existentiâ : ita eo ipso quod materia producitur , forma etiam producitur , atque totum vnâ & indiuisibili actione , quia est unus & indiuisibilis terminus productionis , nempe existentia ; ergo si materia fiat ex nihilo , forma fit ex nihilo , atque compositum : quia hæc tria existunt eadem indiuisibili existentia ex suppositione : atqui hoc aduersatur rationi , pugnat cum Aristotele & videtur obesse fidei : quia docet fides mundum creatum fuisse quoad materiam ; scribit Aristoteles formam educi ex materia præexistente : ratio vero , dictat partes esse aequali priores toto ; & omne subiectum prius quocumque alio sibi adueniente . Ergo alia est existentia materiae , alia formæ , eadem verò totius compositi , quæ suarum partium est : quia essentia compositi fit ex

essentijs partium : existentia verò illius, ex existentijs earumdem, vt ostendetur suo loco.

PROBATOR ratione, materiam existere propriā existentiā & habere essentiam distinctam ab essentia formæ. Essentia materiae est per modum potentiae Physicæ, essentia verò formæ per modum actus Physici; quia materia respondet generi, forma verò differentiæ: atqui potentia Physica realiter differt ab actu Physico, quia actus ut actus non potest esse potentia: neque potentia ut potentia potest esse actus, sunt enim rerum essentiæ immutabiles & potentia & actus sunt oppositæ differentiæ: ergo essentia materiae differt realiter ab essentia formæ. Inde colligo, existentiam materiae distingui realiter ab existentiā formæ. Nam existentia, est Physicè idem cum essentia: ergo quidquid differt realiter ab essentia, differt etiam ab existentiā. Sed age, quæ fiunt diuersa actione realiter differunt: atqui materia fit creatione forma verò generatione, ergo realiter differunt. Dices differunt quidem quoad essentiam, sed non quoad existentiam. Sed contrà, productio non terminatur ad essentiam, sed ad existentiam, quia essentia est ingenierabilis & incorruptibilis: existentia vero corruptibilis & producibilis, ergo quæ habent diuersas productiones, habent diuersas existentias: atqui forma fit generatione, materia verò creatione, ergo diuersas habent existentias.

DEINDE, tunc res primò producitur cum accipit existentiam; & tunc corruptitur cùm amittit existentiam: ergo quoties mutantur formæ in aliquā materiā, toties dignitur & corruptitur materia; quia simul dignitur, simulque corruptitur cum forma, si sit utriusque vna & eadem existentia; & positâ existentia ponatur res, sublatâ vero existentia, tollatur res. Dices, non tolli materiam sublata vna forma, sed remanere per existentiam alterius formæ. Sed contrà, nam forma quæ perit, ideo perit quia amittit existentiam, & ea quæ fit, ideo fit: quia acquirit existentiam; ergo à pari, materia perit dum amittit existentiam a lata producentem.

existentiam, & fit de nouo, dum acquirit existentiam: at qui amittit existentiam quoties pereunt formæ , & acquirit existentiam quoties fiunt nouæ formæ , ergo toties gignitur , quoties gignitur forma, & toties corruptitur, quoties corruptitur forma , & sic generabilis est, & corruptibilis quemadmodum forma; quinimò pluribus subiacet corruptionibus & generationibus quam ipsa forma; quia semel gignitur & semel corruptitur una & eadem numero forma : at materia infinites gignitur, & infinites corruptitur: quia pluribus subiacet formis generabilibus & corruptibilibus.

P R A T E R E A , in prima rerum productione, prius extitit materia quam vlla forma , quia forma primò producta, fuit educta è materia, vel ex nihilo creata : non creata ex nihilo : quia non abiit in nihilum, sed desistit in materiam : & in suo fieri conservari , & esse dependebat à materia, ergo educta fuit è materia , & sic materia prius extitit quam vlla forma , & consequenter non existit per existentiam formæ .

I T E R V M , in homine patet, materiam non existere existentiâ formæ . Nam anima est spiritualis, ergo existit spirituali existentiâ; materia verò est corporea, ergo existit corporeâ existentiâ. Quod si in homine ita res habet , cur non in alijs , cum materia sit in omnibus eiusdem rationis ? Dices in Christo Dominino materia subsistit substantia verbi; ergo existit etiam existentiâ verbi. Sed contrà , nam subsistentia; & existentiæ longè est dispar ratio. Subsistentia enim actualis est omninò extra substantiam rei existentis at non existentia. Est enim existentia intrinsecè constitutiva rei existentis , subsistentia verò se habet tantum terminatiuè.

R V R S V S , si materia existat per existentiam formæ , dum perit vna forma , impedit Deus aliam introduci ; vel tunc remanebit materia , vel non : si remaneat , non existit vlla existentiâ formæ : si non remaneat , vel ibit in nihilum , vel in aliud conuer-

tetur: non conuertetur in aliud, quia non potest illud assignari: neque anihillabitur, quod probo, anihilli-  
ri, cùt Deum retrahere suum concursum à re creata:  
atqui non solet Deus hunc retrahere concursum, ex  
consensu omnium Philosopherum, sed perpetuò præ-  
bet illum rei semel creata: ergo poterit materia exi-  
stere absque illà formà, & sic non existit existentià  
formæ, sed proprià existentià.

**I T E R V M**, existentia formæ sit vi agentium na-  
turalium, ergo & existentia materiæ, si sit eadem cum  
ea quæ est formæ: atqui id implicat, quod probo. Im-  
plicat ulla agens naturale, operari extra subiectū;  
quia eius vis limitata est, & finita; & proinde, nequid  
superare infinitam distantiam, quæ est inter nihilum  
& esse rei; & tamen debet superari illa distantia ab  
eo qui operatur extra omne subiectum, cuiusmodi est  
Deus, qui ob suam infinitam virtutem agendi, non  
indiget subiecto, sed ex nihilo res ipsas producit: er-  
go materia non potest produci ab ulla agente natu-  
rali, quia illam produci, est illi dari existentiam  
& sic non existit existentià formæ.

**I T E R V M**, materia vnitur Physicè ipsi formæ:  
atqui vnius Physica est inter ea quæ sunt Physicè di-  
uersa & Physica distinctio petitur ex sola existentiâ:  
vndè, dicunt Philosophi ea Physicè distinguiri quæ se-  
paratim existunt; ergo alia est existentia materiæ: alia  
formæ. Consequentia est clara, nam, vel sola essentia  
materiæ vnitur formæ, vel essentia existens: non so-  
la essentia, quia nuda essentia est aliquid Metaphysi-  
cum, nec ut sic potest vniiri Physicè, quia Physica vno  
non est nisi rerum Physicarum actu existentium, ergo  
essentia existens vnitur formæ existenti: atqui ne-  
quid ita vniiri nisi habeat suam propriam existentiam  
ut patet.

**V L T I M O**, existentia non differt realiter ab essen-  
tiâ, ergo cuius est existentia eiusdem est essentia:  
atqui existentiæ materiæ est existentia formæ ex Tho-  
mististarum opinione; ergo essentia materiæ est essen-  
tia formæ. Quod quid absurdius. Consequentia pater,

nam quaecumque sunt eadem vni tertio , sunt eadem inter se: materia & forma sunt eadem vni tertio, nempe existentiæ, ergo eadem sunt inter se. Ergo mutuò confunditur rerum essentiæ, & sic materia erit forma & forma erit materia : actus erit potentia, & potentia erit actus : genus erit differentia , essentia erit existentia : & totum compostum non fier ex materia & forma distinctis, sed idemtificatis : quod nihil absurdius. Dicendum est igitur , materiam existere per se, separatim ab omni formâ, hâc aut illâ, sed non separatim ab omni formâ hac & illâ : quia semper habet sibi sociam aliquam formam : & est primum in generatione, & ultimum in corruptione. Pereunt formæ , remanet materia : postulat tamen coexistenciam alicuius formæ, ut ipsa existat, quia sunt correlata , & correlata sunt simul naturâ, cognitione , & existentia ex Aristotele.

*Q*uod spectat ad illius subsistentiam, patet eam habere ex se , nam positâ existentia pullulat statim subsistentia : quemadmodum posito accidente, pullulat inhærentia. Et ratio dicitur , nam materia est substantia partialis , ergo habet partiale sub-sistentiam & sic ex partialibus essentijs materiae & formæ, fit existentia totius : & ex partialibus subsistentijs materiae & formæ fit subsistentia completa totius. Sed an materia possit existere absqueulla forma. Videamus.

## Q V Æ S T I O IX.

*An materia possit existere sineullaformâ.*

**A**DVERTE I. rerum generationes ita fieri, ut nûquam generetur vna forma in materia, quin alia corrumptatur : est enim generatio vnius, corruptio alterius. Hinc sit ut materia, numquam informis reperiatur : & inde collegerunt Philosophi eam à

formis quodammodo dependere, & vicissim formas à materia. Ambiguum tamen est quō genere dependentia. Alij docent in genere causæ finalis materiam dependere à formis, quatenus scilicet forma quæ est perfectio materiæ, finis est propter quem illa est: si enim nulla esset possibilis forma, nulla item esset possibilis materia, & è contrà. Alij autem materiam à formis dependere in genere causæ formalis, quatenus scilicet forma, dat illi esse specificum totius. Alij vero scribunt eam dependentiam esse in genere causæ efficientis, quia putant formam dare materiæ suam existentiam efficienter.

**A D V E R T E** 2. ea quæ existunt, vel simpliciter existere per se: vel coexistere, vel inexistere. Accidentia, inexistunt: materia & forma, coexistunt: totum compositum, existit per se. Licet enim materia & forma, habeant sibi proprias existentias partiales quibus existant per se, quia sunt substantiæ: dicuntur tamen coexistere, quia sunt naturâ suâ ordinatæ ad constitutionem totius. Vnde sese mutuò causant: mutuò sese fouent: ab inuicem dependent: materia dependet à forma, ut ab actuante: forma dependet à materia, ut à substantiente. Ita ut quemadmodum accidentia si relinquuntur in suo statu naturali, actu inherere subiecto postulant: ita materia & forma, si suæ naturæ relinquuntur, actu cœxistere, & simul copulari, exposcunt: quamquam fieri queat miraculo, ut quemadmodum separatim ab omni subiecto accidens: sic & materia sine forma, & forma sit absque materia.

**T H O M I S T A** tamen, ex eo quòd materiam primam, ens in potentia esse, nec nisi per existentiam formæ existere opinentur: consequenter negant illam posse diuinitus separatim existere, ab omni formâ. Aiunt enim. 1. id quod ex se est ens in potentia nequit ex se fieri ens actu: nec proinde existere sine illo à quō sit ens actu, atqui materia fit ens actu per formam, ergo non potest existere sine formâ. 2. Quidquid actu existit, per aliquam existentiam existit;

quemadmodum quidquid est album per aliquam albedinem sit album : si igitur, materia existeret actu absque omni formâ, per aliquam existentiam existeret quæ non esset formæ ; atqui omnis existentia est à formâ, ergo implicat, materiam existere sine omni formâ. Sed contrà, negatur omnem existentiam, esse à formâ : quia res singulæ quæ sunt in quois composito, singulas habent essentias & existentias, ut patet de colore, sapore, odore, & alijs accidentibus pomi. Vndè separata forma substantiali pomi, possunt existere hæc omnia accidentia in sola materia pomi : nec indè sequitur implicantia. Quòd autem hæc singula habeant proprias existentias, pater : nam sunt per diuersas actiones, sunt obiecta diuersorum sensuum : & possunt inuicem separari : odor enim potest esse sine colore, & color sine sapore,

NIHIL OMNIS Complutenses quæst. 6. §. 2. scribunt, implicare contradictionem materiam existere sine formâ. Eorum ratio est, si materia existeret sine forma, esset actu sine actu, at hoc apertè implicat, ergo implicat materiam existere sine formâ. Probant sequelam, nam esset actu, quippè quæ haberet actum existendi, & esset actu sine actu : quia nullam haberet formam, quæ sola est actus. Sed contrà, nihil probant, quod ostendo : si materia existeret sine forma, esset actu, sine actu : sumpto nomine actus, pro formâ, concedo : atqui hoc implicat, nego. Quinimò, hoc est in quæstione, an scilicet materia possit existere sine formâ ; & nos dicimus posse. Vndè, non distingunt aliquid esse actu, & aliquid esse actum. Concedimus autem formam esse actum, sed negamus materiam absque formâ non esse actu, esse enim actu dicit formaliter existere : esse verò actum dicit aliud actuare. Vadè, materia non est actu actus : sed est actu potentia, hoc est, actu existit per modum potentiae : quemadmodum forma actu existit per modum actus.

VRCENT, si materia existat sine forma, erit sub aliquo genere, & non erit sub aliqua specie, quia

omnis species venit à formâ : atqui hoc est maximum inconueniens, ergo nequit dici. Probo maiorem, erit sub genere substantiæ , & non erit sub aliqua specie substantiæ : ergo sub genere , & non sub specie. Sed contrà, nam materia est sub genere substantiæ, & sub specie talis substantiæ. Conuenit enim cum forma in genere substantiæ ; & differt à formâ in ratione talis substantiæ. Quòd nimirum vna sit per modum actus: alia per modum potentiarum. Præterea , materia cœlestis conuenit cum elementari in genere materiae & differt ab elementari in specie materiae. Quod scilicet vna sit dissolubilis à formâ , alia verò indissolubilis: Quare.

D I C E N D V M est, materiam sublunarem viribus naturæ posse realiter separari ab omni formâ determinatâ , non autem ab omni indeterminata. Prima pars patet, nulla enim est forma sublunarum quæ indissolubilem habeat vunionem cum materia; ergo nulla potest determinatè assignari quæ non sit ab ea realiter separabilis. Antecedens patet, nam materia hæc differt à cœlesti in eo quòd sit dissolubilis à formâ; illa verò indissolubilis. Secunda pars liquet, nam materia sublunarum licet sit realiter separabilis ab hæc & illâ formâ determinatâ, debet tamen vniuersi alicui indeterminatè , quia ita fert natura vniuersi & rerum sublunarum propagatio , vt semper corruptio vnius sit generatio alterius; ergo nequit esse materia sine aliquâ formâ.

D I C E N D V M 2. posse diuinitus materiam existere sine omni formâ. Probatur, existentia materiae non dependet à forma , quia est prior forma ; ergo potest materia existere sine forma. Probatur antecedens, quia prius non dependet à posteriori in eo genere in quo est prius ; atqui in ordine existentiæ materia est prior forma, quia existit ante formam, cùm sit primum subiectum ex quo fit forma ; ergo potest existere sine illa forma. 2. materia non dependet à forma , nisi tanquam ab actu concomitante ; atqui Deus potest supplere defectum talis concomitantia

cum suppleat defectum omnis causæ secundæ ; ergo potest materia diuinitus existere sine omni formâ. 3. Deus potuit vnire formam materiæ præexistenti in prima rerum productione ; ergo poterat illam non vnire ; & sic remansisset materia sola sine formâ. Consequentia patet , nam Deus creauit materiam & postea illi vniuit formam ; ergo poterat non vnire & conseruare materiam solam, seclusam ab omni forma. 4. dum modò corruptitur vna forma potest Deus impedire ne alia succedat in materia ; ergo tunc remanebit sine vlla forma. 5. Deus potest per seipsum quidquid potest cum causis secundis , atqui potest cum forma conseruare materiam , ergo per seipsum potest. Maior patet , nam virtus concessâ formæ ut conseruet materiam remansit in Deo eminenter, ego eminentiori modo, potest conseruari materia à Deo, quâm à forma. 6. Conseruatio rei nihil est aliud quâm prima eius productio continuata , atqui prima productio materiæ, fuit creatio , & omnis creatio est à solo Deo, ergo tota conseruatio materiæ est à solo Deo. 7. Minor est dependentia materiæ ab omni forma, quâm accidentis à subiecto, quia materia potest volui de forma ad formam , & accidens non potest volui de subiecto in subiectum: atqui Deus potest supplere dependentiam accidentis à subiecto, ut patet in venerabili sacramento : ergo potest supplere dependentiam materiæ à forma. Quod maior sit dependentia accidentis à subiecto , quâm materia à forma, patet; nam accidens non potest dissolui naturaliter à subiecto quin pereat: tanta est eius necessitas à subiecto; materia vero potest ab omni forma dissolui , nullo posito suæ existentiæ detrimento : ergo si accidens possit diuinitus existere sine subiecto , poterit & materia sine vlla forma : nihil clarius.

D I C E N D U M 3. implicate contradictionem ut materia existat sine vlla forma accidentalí. Nequit enim existere nisi sit alicubi; ergo dedet hahere suum ubi ; omne autem ubi est forma accidentaria , cum ponatur in prædicamento accidentium ; ergo non

potest existere sine aliqua forma accidentaria. Secundò, non potest existere in rerum natura, seclusa ab omni forma, nisi conseruetur à Deo; atqui conseruatio est accidens, ergo petit necessariò aliquod accidens, saltem vbi & sui conseruationem in vbi. Dices, nullum est vbi, à quo non possit materia seiungi; ergo non postulat necessario vbi. Distinguo, materia potest seiungi ab omni vbi determinato, concedo; ab omni vbi indeterminato, nego: si enim actu existat, debet necessariò alicubi esse, siue sit in loco, siue in vacuo, ut patet. Sed an materia habeat partes sibi entitatiuas à se, vel à quantitate: Videamus.

---

## Q V A E S T I O X.

*An materia habeat partes entitatiuas  
se, vel ab alio.*

**S**V P P O S I T A reali separatione materiæ ab omni forma substantiali & accidentalí, præterquam ab vbi & conseruatione. Quæritur vtrùm in tali statu sit diuisibilis necne: hoc est, vtrùm sit extensa in loco quemadmodum antea erat: vel vtrùm sit indiuisibilis, itavt partes quas ante separationem habebat acceperit à quantitate, aliasque sit acceptura, si de nouo illi quantitas restituatur, cum formâ, alijsque accidentibus à quibus' modò est spoliata.

**D**OCE<sup>T</sup> Albertus Magnus, & post eum multi ex familia Thomistarum, materiam confluxuram in punctum si ab ea quantitas cathegorica euellatur: hac ratione. Nihil est diuisibile nisi quantum, nihilque quantum nisi à quantitate, ergo materia seclusa quantitate, non esset quâta, nec proindè diuisibilis sed inextensa & indiuisibilis. At contrà, nihil diuisibile est nisi sit quantum, entitatiuè aut quantitatiuè, concedo: nihil diuisibile nisi quantum quantitatiuè, nego,

Duplex enim est quantitas, entitatiua, & quantitatia: hæc est accidens aliquod inclusum in singulis rebus corporeis, cuius partes sunt inuicem impenetrabiles, licet penetrabiles sint cum substantia & alijs accidentibus corporeis: illa verò est entitas cuiusque rei corporeæ, siue sit substantia, siue accidens; quia corporeum & diuisibile reciprocantur. Vnde, materia forma, & qualitates corporeæ, non minus sunt diuisibiles & extensa in loco, quam quætitas cathegoria: & sic separata hac quantitate à cæteris, remanent cætera extensa, diuisibilia & repletiua loci, licet non occupatiua loci: cum omnis occupatio loci proueniat à sola quætitate cathegorica, cuius est tribuere partibus materiae & aliorum quæ sunt in materia impenetrabilitatem, ex qua sequitur extensio loci occupatiua, ut dictum fuit in Logicis.

**C**ONANTVR aliqui stabilire opinionem Alberti, quod dicat nullam esse extensionem entitatiuam sed quantitatiauam tantum: eisque fauet Durandus dist. 3. q. 1. in lid. 1. sent. vbi ait; materia prima separata quantitate vel erit extensa in loco vel in puncto loci posita: non primum: quia omnis extensio localis procedit à quantitate; ergo: ultimum; & consequenter indiuisibilis est cum ex Aristotele res locata debeat proportionari loco. Sed contràs nam admittenda est duplex extensio in rebus, entitatiua, scilicet, partium penetrabilium, quæ communis est materiae & formæ, atque alijs accidentibus corporeis; & quantitatiaua partium inter se in penetrabilem, quæ propria est soli quantitati. Quare, si spoliata esset materia ab omni quantitate cathegorica, illa posset vel remanere extensa in eodem loco, & situ in quo anteā erat, vel confluere in punctu loci; non autem in punctum suæ entitatis; quia repugnat, id quod natura sua est diuisibile, fieri per remotionem alterius indiuisibile, licet perpenetrationem partium possit poni in puncto loci, ut patet de venerabili corpore Christi.

**D**ICENDVM est igitur materiam primam esse diuisibilem in partes entitatiuas & integrantes, omnino

independenter à quantitate. Ita docet Scotus in libr. 2. sent. dist. 12. q. 1. Ratio est quia materia affecta quantitate partes habet entitatis luæ integrales realiter distinctas à partibus quantitatis, ergo easdem retinet dum actu separata est, à quantitate. Probatur,

NAM idem, semper manens idem, debet semper habere eadem principia constitutiua; atqui materia constituitur ex suis partibus entitatiis, ergo si antè, & post separationem sui, à quantitate, sit eadem materia, ut est, cùm sit ingenerabilis & incorruptibilis: ita, ante & post quantitatis separationem, debet esse diuisibilis, vel si post separationem non sit diuisibilis ut anteà erat, sanè, rerum essentiae immutantur, diuisibile fit indiuisibile, & indiuisibile fit diuisibile, quod repugnat. Probatur 2. materia, est prior quantitate, ergo in illo priori debet habere ea quae sunt illi essentialia: atqui partes eius entitatiæ sunt illi essentiales, quia ex illis resultat, quemadmodum cōtinuum ex suis partibus, & totum ex materia & forma, ergo illas habet ante receptionem quantitatis.

C O N F I R M A T V R , nam vel habet illas à se vel à quantitate, non à quantitate, quia quantitas est illâ posterior, & posterius nequit dare entitatem priori, alioqui causa esset posterior suo effectu: ergo, illas habet à se, non à quantitate. Deinde ab illo habet materia suas partes, à quô habet suam Physicam entitatem; non habet autem suam entitatem Physicam à quantitate, sed à Deo illam creante, ergo natura sua est diuisibilis & entitatiè extensa independenter à quantitate. Probatur ratione efficaci, quantitas est accidens superimpositum materiæ & coextensem materiæ: ergo supponit, materiam esse extensem quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, atqui quantitas recipitur ut extensa, ergo in subiecto extenso: vel dicendum erit accidens extensem recipi in subiecto inextenso: quod implicat.

D I C E N D V M 2. materiam habere extensionem partium loci repletuam à se, loci verò occupatiuam à quantitate. Prima pars patet, nam extensio loci re-

pletiuia, oritur ex simplici partium corporearum pluralitate : atqui materia prima, ex se habet illam pluralitatem partium corporearum, cum ipsa sit corporea, & primum subiectum ex quo fiunt res corporeæ omnes ; ergo, à se habet extensionem partium loci repletuam. Secunda pars probatur , nam extensio loci occupatiua non oritur, à simplici partium multitudine, sed ab impenetrabilitate partium ; ergo ubi erit pluralitas partium impenetrabilium , ibi erit extensio loci occupatiua ; atqui pluralitas partium impenetrabilium , est à sola quantitate, ergo omnis extensio loci occupatiua prouenit à sola quantitate. Et sanè, si è rebus corporeis auelleretur ipsa quantitas, in punctum loci possent omnes confluere , nec propterea desinerent esse corporeæ & diuisibiles, sed tantum actu extensa : retinerent enim semper aptitudinem ad extensionem. Nec id mirum cum substantia possit sua destitui subsistentia : accidens sua actuali inherentia, & plura alia, quæ vim exuperant naturæ. Sed an quantitas sit coæua materiæ, videamus.

## QVÆSTIO XI.

*De coæuis materiæ prima.*

**C**OÆVA materiæ sunt quæcumque cum illa societatem inierunt perpetuam. Eiusmodi censentur esse, ubi indeterminatum: perpetua eius conseruatio : quantitas cathegorica : & secundum quosdam forma corporeitatis. Verum ut id capias, praemittendum est; quid sit æuum, quid æternitas, quid tempus: vel potius , quænam dici debeant coæua , quænam coæterna, & quænam contemporanea; quia hæc tria, quamdam inter se habent analogiam : & cognitio vinius multum confert ad cognitionem alterius.

**C**OÆTERNA sunt , quæ ab æterno coexistunt, & æternum sunt duratura, sine vlla immutatione sui.

esse: quales sunt personæ diuinæ , & creatura aliqua si ab æterno extitisset & numquam esset desituta, licet id per participationem obtineret. Contemporanea dicuntur, quorum est idem ortus, & idem obitus, vt duo homines qui simul in lucem prodirent, & simul post multos, aut paucos annos , interirent , quocumque casu. At coæua, dici solent, quæ simul eogenita sunt, & perpetuò sunt duratura : vt Angeli, qui simul producti sunt & numquam obtinebunt finem durationis suæ.

NON querit titulus questionis vtrum materia habeat aliquid sibi coæternum, cum ipsa non existat ab æterno : neque contemporaneum, cum ipsa sit perpetuò duratura; sed vtrum sit illi aliquid coæuum, præter vbi indeterminatum: conseruationem perpetuam, & quantitatem prædicamentalem, quam concedimus illi esse sociam fidelem.

SCRIBIT Auerroës lib. I. Phys. comm. I. dari formam corporeitatis coæuam materiæ , quæ sit id per quod, materia fit extensa , & proximè apta ad quantitatem , & alia accidentia dispositiua ad formam. Censet enim materiam esse corpus , de Cathegoria substantiæ , quod proximè fit viuens per differentias animabilitatis & innanimabilitatis; adeò vt, substantia sit illius genus, corporeitas vero illius differentia. Et sane, id videtur quidem subtile, sed veræ Philosophiæ alienum, cum transeat de genere in genus : de esse Metaphysico, ad esse Physicum. Corpus enim de cathegoria substantiæ , est species Metaphysica substantiæ, vt homo est species animalis, & nullo modo potest produci, quin prius fiat viuens aut non viuens, cum tamen materia producatur actu , & sit actu in quois composto Physico, tanquam pars altera componens : & nullus dixerit, illam esse corpus de prædicamento substantiæ , sed tantum substantiam corpoream partialem: quæ simul cum forma componit totum.

MAGIS consentaneum igitur erit Aristotelii : si dicamus, illud corpus de cathegoria substantiæ , esse potius

potius corpus naturale, ex materiâ & formâ conflatum, quam solam materiam. Mea ratio est, quia 1. materia prima, est aliquid incompletum, & illud corpus est aliquid completum. 2. materia prima, est quidem corporea, sed non corpus: at corpus naturale, aliquid compositum est, & immediate opponitur spiritui, ut homo opponitur bruto: ergo, quemadmodum homo, & brutum, sunt species animalis; ita corpus naturale & spiritus, sunt species substantiæ. Nota tamen, hoc corpus naturale quod dicimus esse corpus de categoria substantiæ, sumi debere in genere, non in specie. Nam in specie, vel est viens vel non viens. Et in genere constat materia generica, quæ nequit produci: in specie verò constat materia specifica, quæ producta est, & eiusdem est speciei in omnibus sublunaribus, ut diximus supra.

N E Q V I T igitur materia prima esse corpus, de categoria substantiæ; sed pars illius. Et licet, esset illud corpus, non sequeretur inde habere sibi cœuam corporeitatem, à se distinctam, ut vult Auerroës; sed sibi essentialē, ut nos fatemur. Sentimus enim, materiam esse corpoream, ex se, & formam ideo corpoream esse, quia de materia corporea est educta: & nisi de materia educeretur, non esset corporea. Unde ad argumentum Auerroës sic Respondeo, materia sit extensa entitatiuè, per corporeitatem sibi essentialē, concedo; per formam sibi superadditam & cœuam, nego. Nihil enim dicitur sibi ipsi cœuum, sed alteri tantum: corporeitas autem materiae est eius diuisibilitas.

S E D opinor Auerroem sibi ipsi contrarium esse. Scribit enim lib. 1. Phys. comm. 63. materiam primam nullam formam sibi particularem habere, quā mediâ, alias possit recipere. Et cap. 1. de substantiâ orbis, asserit, materiam primam ex se, nec formam ullam, nec actum habere, sed substantiari per ipsum posse: & ibidem reprehendit Auicennam, quod talem posuerit formam corporeitatis in materia, ante formas specificas. libr. 12. Met. comm. 39. scribit omne

compositum sublunare esse nouum: quod verum non esset, si forma corporeitatis esset coœua materiæ, illaque superaddita. Et lib. 2. de Cœlo, conceptis verbis asserit corpus de Cathegoriâ substantiæ esse compositum generabile & corruptibile: ergo, si componeatur ex substantia & forma corporeitatis, corrupti posset illa forma, & sic non esset coœua materiæ, quia coœuum materiæ est illud quod illi perpetuam detinuit societatem: & quod ingenerabile & incorruptibile est, vt illa.

EAMDEM tamen formam admittit Scottus in solis viuentibus: docet enim, cùm primùm ex non viuente sit viens; materiam primam spoliari omni formâ substantiali; & in eamdem duas introducivnam viuentis quod generatur, alteram verò corporeitatis. Censet enim ex hac corporeitatis formâ, simul cum materiâ constitui corpus, quod vulgo dicitur altera pars viuentis, & cuius, anima dicitur actus primus substantialis. Ait præterea cùm ex viuente sit viens v.g. ex embrione, leo: materiâ amittere formam viuentis quod corruptitur, in eiusque locum succedere formam alterius viuentis, quod generatur, retenta tamen formâ corporeitatis. 3. asserit cùm ex viuente sit cadauer, expelli solam formam viuentis, nec succedere aliam in eius locum, solam autem formam corporeitatis remanere in materia affecta organis, & simul cum illa cōponere illud, quod vulgo dicitur cadauer; cùm verò conuertitur in mixtum aliquod, vel in elementum, amittere formam corporeitatis & in materiâ eius, non amplius introduci, donec ex eādem fiant viuentia. Sed fortè, per illam formam corporeitatis intelligit formas partiales, quas in viuentibus admittunt omnes; nempè formam ossis, nerui, carnis, &c. Et hoc sensu admittimus & nos, formam corporeitatis, in materia viuentium. Sed hæc, nec coœua est materiæ, cum pereat & generetur ad generationem & corruptionem viuentium, manere semper eadem materia incorruptibili & ingenerabili: nec est constitutua corporis de cathegoria

substantiæ, sed aliorum corporum in specie nēmpe, ossis, nerui, carnis, &c. Quare, corruit hac ex parte doctrina Scotti.

**D I C E N D U M** igitur est, nullam formam corporeitatis esse coœuam materiæ, distinctam à sua diuisibilitate. Primò enim, materia ex se satis extensa est ut recipiat quantitatem, & media quantitate alia accidentia, & formam substantialem, cum ex sua natura sit extensa & diuisibilis : ergo, non indiget forma corporeitatis sibi congenita, qua extendatur, siatque diuisibilis & corporea. Probatur antecedens, nam quod est ex suâ naturâ tale, non indiget aliò, quô siat tale : atqui materia prima ex sua natura, diuisibilis est, & extensa, atque corporea ; ergo, non indiget illa forma qua siat talis. Minor patet, nam materia nequit fieri ab alio corporea, extensa & diuisibilis, si ex sua natura sit indiuisibilis, inextensa & incorporea, cum naturæ rerum non immutentur. Constat autem esse corpoream, extensam & diuisibilem ; ergo hoc habet à se, non ab alio : proindeque forma corporeitatis in exilium amandanda ; cum tantæ sit litis causa, apud Philosophos. Nostra hæc conclusio, est Aristotelis, pluribus in locis. Scribit enim lib. 1. Phys. textu. 69. materiam ita se habere ad formas naturales, sicut se habet æs aut lignum ad formas artificiales ; atqui lignum & æs, nullam habent ex se formam artificialem coœuam, ergo, neque materia prima illam habet formam naturalem sibi coœuam. Deinde, lib. 2. Phys. text. 7. ait materiam esse ex se informem, ergo ex se caret omni forma ; atqui, si illi coœua esset forma corporeitatis, non carerer omni formâ, nec ex se informis esset : ergo vel Aristoteles mancus, vel errant qui formam corporeitatis tribuunt materiæ coœuam.

**D I C E S**, materiam posse esse ex se informe licet sibi sociam habeat formam corporeitatis, quia illa forma non erit de essentia materiæ: sed tantum sociæ materiæ. At contrà, nam forma corporeitatis, non tribuitur materiæ, nisi ut illam extendat ad quantitatem.



tatem recipiendam: atqui per se satis extensa est, ut  
ottem fuit suprà, ergo illa forma superflua est  
vel materiâ fiet, bis extensa, bis corporea, bis diui-  
sibilis, quinimò, ter aut quater. 1. ex se, 2. per formam  
corporeitatis; 3. per quantitatem cathegoricam: 4.  
per formam, à qua quidquid habet emendicavit, ut  
docent Thomistæ; 5. per alia accidentia Physica quæ  
illi tribuunt suum effectum formalem, corporeitatis,  
diuisibilitatis, & extensionis: & si liceat omnibus ad  
nutum effingere, fortè fiet extensa à loco, & per lo-  
cum, & diuisibilis atque corporea per imaginatio-  
nem, & non ex se. At, quid Aristoteles sentiat tenea-  
mus, & cùm ipse sit magister noster firmiter adhæ-  
reamus illius doctrinæ, quæ est nullam esse formam  
corporeitatis: si enim Illa esset, aliqua se prodiret  
operatione, cùm omnis forma sit principiū operandi.

D I C E N D Y M 2. solam quantitatem prædicamen-  
talem esse coœuam materiæ, illique inhærere  
immediatè. 1. pars probatur, nam coœuum materiæ  
dicitur quidquid simul comproductum est, & est  
semper cum illa permansurum: atqui sola quantitas  
prædicamentalis est huiusmodi, ergo illi coœua est.  
Deinde, proprietates dicuntur esse coœuae, ijs essen-  
tijs ex quibus fluunt necessariò: quantitas cathego-  
rica, est proprietas materiæ & per emanationem ex  
illa fluit concurrente primâ causâ: ergo illi coœua  
est. Iterum, materia nequit esse sine quantitate, neque  
quantitas sine materiâ, in suo statu naturali, quia  
neque materia potest formas recipere, nisi media  
quantitate; neque quantitas existere, nisi sit in sub-  
iecto, licet diuinitus res secus habeat ergo perpe-  
tuam societatem inierunt, materia & quantitas. 2.  
pars patet, nam materia recipit formas, medijs dis-  
positionibus, & potissima dispositio, est extensio par-  
tium impenetrabiliter: atqui illa extensio est à quan-  
titate, ergo quantitas est immediatè in materia.  
Confirmatur, nam ex sensu totius scholæ, quantitas  
est subiectum, quo, cæterorum accidentium & for-  
marum, ergo debet immediatus inhærere materiæ



quam cætera accidentia, prius quam forma, aut consequenter immediatè.

**D**I C V N T Thomistæ, quantitas inhæret illi subiecto cui tribuit suum effectum formalem: at qui tribuit suum effectum formalem toti composito, nempè extensionem loci occupatiuam; ergo non inhæret soli materiae immediatè. Distinguo, quantitas tribuit suum effectum formalem toti composito, mediante materia, concedo: immediatè per se, nego. Ideo enim totum compositum est extensum, quia partes eius, sunt extensæ, & nisi illæ extensi essent, ipsum nequeret extendi, vel totum esset extensum, & partes eius inextensæ, quod inuoluit repugnantiam.

---

## Q V A E S T I O XII.

*Utrum materia postulet determinatam quantitatem ad formas recipiendas, ubi de proprietatibus eiusdem.*

**C**V M nulla forma, nullumque accidens, possit recipi in materia, nisi ipsa sit actu extensa per quantitatem; nec possint diuersæ formæ in æquali extensione materiae produci, & conseruari, vt patet de anima bonis & acari, quæ maiorem & minorem corporis molem expetunt: hinc fit, vt quæri soleat, an materia prima prout formis subiicitur, determinatam aut indeterminatam magnitudinem; aut par uitatem quantitatis postulet.

**V**T id percipias explicandi sunt quidam termini, quorum explanatio, huius difficultatis modum soluet. Sunt hi termini quatuor, videlicet: *Maximum quod sic*; *minimum quod non*; *minimum quod sic*, *minimum quod non*. Duo priores sunt quoad magnitudinem; posteriores verò, quoad par uitatem. *Maxi-*

*mum quod sic*, est ea quantitas, sub qua potest generari & conseruari aliqua forma, non autem sub maiori. *Maximum vero quod non*; ea quantitas est, qua ab aliqua forma non potest informari, quia extensio est quam par sit. Et ut exemplis rem totam explicem. Si extensio decem cubitorum materiae, possit ad summum informari ab anima rationali, ita ut maior extensio non possit ab illa attingi: illa extensio decem cubitorum dicenda erit, maximum quod sic, respectu animae rationalis: extensio vero undecim cubitorum, maximum quod non: si vero palmaris extensio esset idonea ad receptionem animae rationalis, ita ut non posset sub minori subsistere; illa diceretur minimum quod sic: semipalmaris vero extensio vel minor, esset minimum quod non.

Hic autem termini ita se habent inter se, ut duo sint positivi, & intrinseci: duo vero extrinseci, & negatiui. Maximum & minimum quod sic, positivi sunt & intrinseci: maximum vero, & minimum quod non, extrinseci & negatiui: hi etenim se habet merè extrinsecè. His positis, certum est, non dari terminos huiusmodi in non viuentibus, respectu diuinæ omnipotentiae: quia nulla est forma corporea non viens quæ diuinitus non possit ponи vel in materia infinitè extensa, vel in materia penè indiuisibili, immo in modo indiuisibili constitutâ; sed dubium suboritur de formis corporeis respectu agentium naturalium, ut sensus sit, utrum in illis sint admittendi hi termini, necnè idque de possibili, non de facto esse: nam certum est in vniuersa rerū multitudine dari aliquod corpus ita maximum ut nullum detur maius actu, ut est supremum Cœlum; & aliquod etiam ita minimum, ut nullum aliud minoris quantitatis inueniatur: forte istud erit acarus, vel illi atomi, qui apparent vibrante sole, in aere. Quæstio igitur est de possibili, an fieri possit ut vi generationis & augmenti, homo postulet determinatam quantitatē in qua generetur, ita ut non possit generari sub minori: & ad tantam magnitudinem perueniat nutritione, ut non possit ad

maiorem peruenire sed ibi sifstat tanquam in statu consistentiae. Et quod de homine dicitur potest asscri de alijs siue viuentibus, siue non viuentibus, adeo ut vnumquodque illorum suâ naturâ postulet determinatam magnitudinem, aut paruitatem materiae, in qua possit gigni & conseruari.

VERVM, possunt viuentia spectari in duplice statu; nempe, in statu debito cuiusque speciei, vel in statu infirmitatis cuiusque speciei. Secundum hunc statum fiunt monstra, ut Gigantes & Nani; qui videntur non admittere terminos paruitatis, aut magnitudinis intrinsecos, sed extrinsecos tantum: & secundum illum statum debitum naturae, fiunt cætera viuentia, quæ terminos intrinsecos admittunt.

S C R I B I T tamen Paulus Venetus etiam in viuentibus secundum debitum statum naturæ natis, non esse admittendos hos terminos, hac ratione, potest animal semel in suo statu consistentiae constitutum, maiorem acquirere extensionem localem, per tumefactionem: potest & minorem occupare quam soleat communis ordo viuentium, si propter infirmitatem plurimum marcescat; ergo non sunt admittendi in viuentibus, termini determinatae magnitudinis aut paruitatis, quum possint violari, ut patet. Sed contraria, potest viuens, per tumefactionem, aut aliam infirmitatem, maiorem aut minorem obtinere extensionem, extrinsecam, seu localem, concedo: intrinsecam, sibi entitatiuam, nego. Neque enim noua acquiritur quantitas per rarefactionem, neque deperditur per condensationem, ut suppono dicendum suo loco: & tamen questio est de intrinseca quantitate quæ ut subiectum Quo recipitur in materiam, & mediata illa, accidentia & formæ sustantiales: non autem de extrinseca & locali: quæ immutari potest, nulla facta mutatione in quantitate interna. Vnde, quantacumque facta mutatione in extensione externa & visibili, remanet tamen interna sub suis terminis determinatis. Quare.

D I C E N D U M est, corpora naturalia viuentia &

non viuentia, terminos habere intrinsecos determinatae magnitudinis, aut paruitatis. Ita docet Scottus lib. 5. Meta. qu. 9. ratio est, quia si non haberent hos terminos, possent corpora naturalia virtute naturali in infinitum augeri, vel infinitè minui; non potest autem infinitum dari naturali via, ergo neque corpora minui, neque augeri in infinitum. Secus autem si spectentur respectu diuinæ omnipotentiæ; nam possunt saltem inanimata corpora, quæ configurationem non habent essentiale, diuinitus augeri in infinitum, per additionem materiæ: aut minui, per sui diuisionem in partes proportionales. Dixi quæ configurationem nō habent essentiale, vt globulus, baculus, & similia: hæc enim sicut viuentia, nequidem diuinitus possunt in infinitum augeri, cum de formalis ratione infiniti, sic habere negationem extremitatum & de ratione viuentium & artificialium est, vt essentiale habeant configurationem externam. Sed probatur conclusio, nam vnaquæque forma postulat in materia certas ac determinatas dispositiones, quibus positis, ipsa ponitur: & quibus sublatis, tollitur & ipsa: atqui potissima dispositio est extensio localis & hæc prouenit à quantitate, ergo quantitas determinata, est necessaria. Minor probatur, nam si certa & determinata extensio seu magnitudo materiæ, non esset necessaria per se, ad introductionem & conseruationem formæ in materia: sequeretur posse indifferenter poni eamdem formam, in maiori vel minori quantitate materiæ: atqui docet experientia hoc non fieri ita, sed semper eiusdem speciei formas generari in determinata extensione materiæ, alioqui quocumque assignato Gigante posset alius, & alius assignari maior, & quocumque assignato Nano, posset alius & alius assignari minor; ergo anima rationalis postulat determinatam extensionem materiæ secundum magnitudinem & paruitatem ultrà quam non possit ulterius progredi. Et sic dicendum alijs formis. Quod probo, nam singulæ formæ postulant in materiâ non tantum dispositiones quibus ipsæ possint ge-

nerari, sed etiam quibus possint operari, quia vnumquodque est propter suam operationem: atqui tam parua posset esse materia, vt ibi neque posset gigni forma, neque operari, ergo postulat determinatam quantitatem. Id patet saltem in viuentibus, nam acarus nequit informare corpus elephantis, neque elephas, corpus acari, ergo vnumquodque postulat determinatam magnitudinem materiae, iuxta exigentiam propriam naturae.

DEINDE, natura agit semper cum ordine pondere, & mensuram: non ageret autem hoc modo, si non haberet determinatos limites sua operationis, nec hos haberet si vltre solitos fines cuiusque speciei operaretur, ergo determinatae magnitudinis aut paruitatis debet esse cuiuscumque rei materia, circa quam operatur, agens naturale. Consequentia est evidens, nam determinata operatio, postulat determinatum subiectum circa quod occupetur; non tantum quoad individuationem, sed etiam quoad magnitudinem, quia debet esse intra spharam actiuitatis agentis. Ultimò, vis actiua agentis est limitata, ergo vis passiuam subiecti debet esse quoad limites determinata: necesse est igitur vt iuxta vim agentis, detur in subiecto paciente, determinata extensio, & sic admittendi sunt illi termini intrinseci, intra quos, & non extra, possint formae naturales gigni & conseruari.

PRO corollario huius disputationis, addenda sunt proprietates materiae. Prima est ingenerabilem & incorruptibilem esse. 2. perpetuam habere durationem. 3. carere contrario, & fuscipere contraria. 4. nullam habere actiuitatem, sed pure passiuam esse. 5. semper extensam esse, per quantitatem sibi sociam. 6. esse semper unitam alicui formae. 7. esse subiectum commune formarum, & accidentium. 8. Non esse per se cognoscibilem, sed per sua accidentia: nihil enim est in intellectu quod prius non fuerit in sensu, & sola accidentia per se cadunt in sensum. Colligitur ex dictis, materiam esse substantiam partialem, actu existentem propriam existentiā, per modum potentiarum

receptiuæ formarum. Cuius essentia sistit in eo quod sit pura potentia Physica, omnes per se appetens formas, vna specie in omnibus sublunaribus : sed an possit concipi à nobis : videamus.

---

### QVÆSTIO XIII.

*Vtrum materia sit cognoscibilis à nobis  
& quo concepiu.*

**C**VM materia prima tām diminutæ sit entitatis vēx vix possit percipi, nisi per formam & sua accidētia, hinc sit vt quæri soleat, an de illa possit efformari aliquis conceptus in nostrâ mente, aut in mente angelica, aut in diuinâ. Et de diuina quidem, per se est euīdens, eam, secundum omnes suos gradus essentiales, principia, causas & proprietates perfectissimo modo iatueri : sed neque de angelica potest esse dubium, cūm intuitiuè permeat omnia naturalia: quare de sola humana potest oriri dubitatio. Est in primis obseruandum, cōceptum cuiusque rei esse duplicem, definituum, & comprehensiuum, definitius est quo explicatur essentia primariò, & proprietates secundariò: comprehensiuus verò, quo explicantur non tantum essentia, & proprietates ; sed etiam omnia principia, omnes causæ, omnes effectus, omnes operations, omnes vires, uno verbo, omnes facultates & omnia obiecta quæ à tali re possunt attingi. Sed hæc comprehensio, duplex est, altera est extensiua & intensiua : altera verò tantum extensiua. Hæc se extēdit ad omnia quæ talē rem spectant siue sint essentia, siue proprietates, siue accidentia, siue obiecta, aut operations, principia causæ & effectus, itavt nihil huius rei, fugiat hanc cognitionem: altera vero non tantum se extendit, ad ea omnia, sed etiam tām intime rem totam permeat, vt quantum sit cognos-

tibilis tantum eam intuetur, hæc solius Dei est: illa verò creaturæ rationalis: & quærimus, nūm talis cognitio habeatur de materia primâ.

I V X T A mentem Ruuij qu. 2. non potest haberi conceptus verus quidditatius de materia, sed tantum apparenſ; cum illa non sit actus entitatiuſ niſi apparenſ; iuxta verò eumdem quæſt. 9. haberi potest verus conceptus quidditatius de materia, quia inquit, eam quidditatū definiuit Aristoteles. At quid ſentiant Thomistæ, videamus. Docent materiam ex ſe abſque formā nec diuīſibilem eſſe, neque indiuīſibile ſed fieri diuīſibile à quantitate. 2. materiam ex ſe, eſſe purè potentia, nec actum existēdi habere niſi à formā 3. aſſerunt illam abituram in nihilum ſi ab illa ſepa- raretur omnis forma. Ex ijs colligo, nihil prorsus eſſe materiam ex ſe, ſed id totum quod habet, vel à for- ma, vel à quantitate illud emendicare: atqui nihil ſuę entitatis emendicat à formā, neque à quātitate quia quantitas & forma ſunt posteriores illā, ergo nulla eſt entitas materiae, nec conſequenter potest concipi, vt aliquid verum, ſed vt aliquid fictum. Eadem do- trina colligitur ex scriptis Complutensium docent enim materiam nihil ex proprijs ſuis meritis habere, ſed à formā id totum quod habet emendicare.

S E D Philosophum audiamus. Docet Aristoteles lib. 1. Phy. materiam eſſe primum ſubiectum ex quo fit hoc aliquid; per hoc aliquid intelligit formam & concedit Ruuius qu. 1. de forma, vbi ſcribit formam educi de potentia materiae: concedunt & Thomistæ cum Diuo Thoma 1. p. q. 90. art. 2. vbi docet formam educi de materia, quod dependeat in fieri & in con- ſervari à materia. Concedunt & Complutenses, q. 2. de forma, §. 3. vbi ſcribunt formas omnes educi de materia. Quo poſito, ſic argumentor, forma educi- tur de materia, ergo eductio formæ ſupponit mate- riām existentem, ergo existentia materiae, non eſt emendicata à forma nec proindè eius eſſentia; quia illa eſt prior existentia, & Physicè idem cum exiſten- tia; ergo materia habet veram eſſentiam non autem

apparentem ut vult Ruuius, & consequenter concipi potest a nobis, vero conceptu.

D I C E N D U M est igitur, posse intellectum huma-  
num in hac vita, efformare conceptum definitiuū de  
materia prima: non autem comprehensiuum. Prima  
pars patet, nam potest intellectus humanus concipere  
quod materia sit primum subiectum ex quod fit forma,  
quod sit primum in generatione, & ultimum in cor-  
ruptionē: quod sit substantia partialis, per se ordinata  
ad formam, ut pura potentia ad actum: includens in  
se actus Metaphysicos & entitatiuos, essendi, existen-  
di & subsistendi: cuius essentia sit potentia vniuersa-  
lis & appetitus ad omnes formas, cum non sit apud  
illam acceptatio formarum, neque accidentium. Se-  
cunda pars patet, nam comprehendere materiam ex-  
tensiū, est complecti ea omnia quae illa spectat, ut  
sunt omnes formæ possibiles; omnia accidentia pro-  
pria & communia; omnes operationes formarum &  
accidentium, non tantum in genere & in specie, sed  
etiam in individuo: atqui, hoc superat vires nostri in-  
tellectus, quamdiu hac carne mortali est inuolutus,  
quia mens nostra nescit, quænam genera rerum sint  
possibilia: quænam sint species horum generum possi-  
bilium, aut quod tempore, & sub quibus circumstantijs  
sint eorum individua producenda in rerum natura:  
ergo nequit mens nostra, hanc habere cognitionem  
comprehensuam in hac vita, sed definitiuam tantum.  
Et haec de materia prima, ad priuationem, & deinde  
ad formam, vniōnem, & totum compositum progre-  
diamur, sit igitur.



# DISPVTATIO QVARTA.

*DE PRIVATIONE.*



RIA docuimus esse generationis principia, materiam, formam, & priuationem: sed quia priuatio præcedit formam in materia, absolutis ijs quæ ad materiam spectat, postulat res, ut à priuatione, ad formam progrediamur.

Prius igitur agimus de priuatione quam de formâ, quia priuatio ordine naturæ est prior formâ, & docet Aristoteles à prioribus esse semper exordium sumendum: ut quo ordine se habeat res inter se, nobis innotescat. Deinde, ordo doctrinæ sequitur ordinem naturæ, illumque supponit. Nec refert quod alijs præmittant formam; quia licet forma præstet nobilitatem, priuatio, præeminet antiquitate. Occurrit inuestigandū 1. Quid & quotuplex sit priuatio, & an sit Physici de illa agere. 2. an sint infinitæ numero & specie diuersæ, in eadem materia, quomodo differant inter se, & à materiâ, & an sumant suam specificationem à materiâ & à forma. 3. Vtrum à priuatione ad habitum dicunt progressus & regressus: & quo sensu priuatio sit principium & generationis. Quoad primum sit.

**QVÆSTIO I.**

*Quid & quotuplex sit priuatio, & an spectet ad  
Physicum de illa agere.*

**A**N'T E Q V A M ad definitionem veræ priuationis accedamus, sciendum est, priuationem sumi varijs modis. 1. sumitur pro contrariâ qualitate; quo sensu docet Aristoteles lib. 2. de animâ, nigrum esse priuationem albi. 2. pro forma tendente ad non esse, vt cedat alteri locum: quo sensu, vult Commentator lib. 1. Phy. formam quæ corruptitur, esse priuationem formæ generandæ. 3. pro formâ diminuta tendente ad vltiorem sui perfectionem; quo sensu, primi gradus qualitatum, sunt priuationes posteriorum. 4. pro parentia formæ in subiecto apto; quo sensu dicimus tenebras esse priuationem luminis: aut cæcitatem, priuationem visu. Sed priuatio modo sumpta quatuor sumitur modis. 1. pro negatione formæ quam aliquid habere aptum est, propt̄ participat rationem entis; quo sensu lapis dicitur cæcus, quia caret visu, quem habere potest, non vt lapis, sed vt ens. 2. pro negatione formæ quam aliquid habere potest, non ratione suæ speciei, sed ratione sui generis, quo sensu talpa dicitur priuari visu, quem potest habere, non vt talpa, sed vt animal. 3. pro negatione formæ, quam aliquid habere potest ratione suæ speciei, sed non in tali tempore, vt catulus qui cæcus est ante nonum diem sui ortus. 4. sumitur priuatio propriè pro parentiâ formæ quam quis aptus est habere ex propria natura sua, & in omni differentia temporis, vt homo qui dicitur priuari visu, quem potest habere formaliter, quâ homo, & pro omni tempore; atque de haec priuatione erit tota haec disputatio.

AD V E R T E igitur, hanc priuationem, cum negatione confundi, quod utraque sit carentia formæ in subiecto. Sed haec tollitur confusio, si spectes priuationem, ut carentiam formæ in subiecto apto: negationem verò, ut carentiam, in subiecto non apto. Hoc sensu cæcitas incurabilis, est negatio visus: cæcitas verò curabilis est priuatio visus, duplex autem est priuatio, substantialis, scilicet, & accidentalis: haec est carentia accidentium in materia: illa verò carentia formarum. Iterum, haec duplex, proxima, & remota: proxima est, dum materia est ultimè disposita ad formam; remota verò fundatur in potentia vniuersali ad omnes formas. Utraque autem summi potest, vel positiuè ad modum entis: vel priuatiuè, ad modum non entis: si primo modo, est ens rationis, si secundo modo, principium generationis, ijs positis, queritur quid sit eius essentia.

S C R I B I T. Ægidius Romanus in 2. dist. 34. eam esse ex se, entitatem realem positiuam; & post illum alij quamplurimi censem priuationem esse aptitudinem subiecti ad formam: vel relationem, quâ subiectum respicit formam: vel formam præcedentem respectu subsequentis. Hoc sensu, forma ligni esset priuatio ignis, vel relatio quâ lignum calidum & siccum respicit ignem: vel aptitudo, qua materia affecta forma ligni potest recipere formam ignis: & sic potentia vniuersalis materię, est priuatio omnium formarum: vel relatio vniuersalis ad omnes formas: vel una forma respectu alterius. Cum tamen dicat Aristoteles pluribus in locis, priuationem esse non ens simpliciter, seu meram absentiam formæ, in subiecto apto eam habere. Melius igitur illi, qui neque ens reale, neque ens rationis sentiunt esse priuationes, sed merum nihil; si præcisè in se spectentur: si enim sumantur fundamentaliter pro subiecto, in quo sunt, vel terminatiuè pro formâ quâ priuant, non est dubium quin sint aliquid reale & posituum; nempe vel subiectum carens forma, vel ipsa forma propter debita subiecto. Sed hoc non est designare quid sit

priuatio, sed quid sit eius subiectum, & quid sit eius terminus.

Quatuor conclusionibus explicat Rituus, naturam priuationis. In 1. docet, eam non esse purum nihil, in ordine entium realium, eo quod sit principium, ex quo fit generatio. In 2. ait, non esse entitatem realem positiam, eo quod fit pura carentia formae, in materia. In 3. scribit, non esse essentialiter ens rationis, quia est terminus a quo procedit generatio, nullo intellectu cogitante. In 4. concludit, esse ens reale, sumpto ente reali pro fundamento verae compositionis: non autem pro entitate positiva. Sed prima videtur opponi tertiae, & secunda quartae: nam, non esse purum nihil, & esse purum nihil, sive carentia rei, oponuntur: pariter, non esse entitatem realem positiam: & esse ens reale, opposita sunt. Deinde, in 1. putat priuationem esse de ordine entium realium quod sit principium ex quo fit generatio: atque generatio non sit ex priuatione, sed inter priuationem & formam in materia, ergo priuatio non est in ordine entium realium, sed extra ordinem rerum realium. Quod probo ex 2. nam in illa, priuatio ponitur tanquam non entitas realis: atque, non entitas realis, est extra ordinem rerum realium; ergo priuatio non est in ordine rerum realium. In 3. ait priuationem non esse essentialiter ens rationis, ergo essentialiter est ens reale; atque omne ens reale, est in ordine rerum realium, ergo priuatio est in ordine rerum realium. In 4. scribit priuationem esse ens reale, sumpto ente reali pro fundamento verae compositionis, non autem sumpto pro entitate positiva: atque sola entitas positiva potest esse fundamentum verae compositionis; ergo si priuatio sit fundamentum verae compositionis, debet esse entitas positiva. Consequentia patet, nam omnis vera compositio vel est Physica, ex materia & forma, vel ex subiecto & accidente: vel Metaphysica, ex genere & differentia, vel Logica, ex subiecto & praedicato: atque subiectum & praedicamentum: genus & differentia: materia & forma  
subiectum

subjectum & accidens, sunt entia positiva; ergo omnis vera compositio sit ex entibus positivis. Exemplum quo vtitur, est huiusmodi, essentia hominis ex animali & rationali, fundamentum est huius veræ compositionis, homo est animal rationale, ergo, ait, negatio hinnibilitatis in homine est fundamentum huius veræ compositionis, homo non est hinnibilis: at ibi sit transitus à compositione ad diuisionem. In hac enim enunciatione, homo est animal rationale, fit compositio vnius cum altero, in ista verò, homo non est hinnibilis, fit diuisio vnius ab altero. Sed, quid sentiant Complutenses, videamus. Docent disp. 5. qu. 1. in probatione. 2. p. concl. priuationem verè participare rationem principij, quandoquidem verè illi conuenit, tum definitio principij, ut sic, tum etiam definitio principij entis naturalis: & tamen in probatione 1. p. ponunt illam conuenire tantum analogicè cum materia & forma, quod hæ, sint entia realia positiva, illa verò sit non ens, adeo ut ratio principij quæ reperitur in illa, non sit aliquid reale & positivum, sed non ens: ergo inde concludi potest (salvo meliori iudicio) priuationem non esse verè principium entis naturalis, neque illi verè conuenire definitionē principij, & sic probationem vnius partis destruere aliam. Quare Aristotelem audiamus. Scribit Philosophus libro primo Physicorum textu 75. priuationem esse non ens simpliciter, atqui non ens simpliciter est nihil, sicut ens simpliciter est aliquid, ergo sentit Aristoteles priuationem esse nihil. Et sane priuatio nihil est aliud, quam absentia formæ in materia, seu non esse formæ; atqui non esse formæ, & parentia formæ in materia, est nihil: ergo priuatio est nihil. Quare.

**DICENDVM** 1. priuationem neque esse ens reale, neque ens rationis: prima pars patet, nam ens reale est unum, verum, bonum inseparabiliter: adeò ut si alterum horum desit, non sit ens reale: atqui priuatio saltem, bona non est, sed mala, cum priuet suum subiectum bono sibi debito; nempè formâ, que est perfec-

Etio materiae, ergo non est ens reale. 2. omne ens teale participat aliquod esse, priuatio autem nullum participat esse, sed tollit omne esse, maximè secundum illos qui sentiunt totum esse venire à formâ è quorum numero sunt Compl. ergo non est ens reale. Secunda pars probatur, ens rationis non est nisi obiectiuè in mente: priuatio non est obiectiuè in mente, sed suo modo in materia, ergo non est ens rationis. Minor probatur, nam nullo intellectu cogitante materia est priuata formis, quibus caret, licet adhinc proximæ dispositiones, idque realiter: quia veræ sunt hæ enunciationes, materia affecta forma ligni, & calida usque ad ultimum gradum caloris realiter priuat formam ignis illi debita: ergo priuatio, est suo modo in materia, nullo intellectu cogitante & sic non est ens rationis.

D I C E N D V M 2. priuationem rectè definiri, carentiam formæ naturalis in subiecto, ad eam recipiendam apto. Dicitur carentia formæ naturalis in materia, quia formæ supernaturales, non competent materiae: additur, in subiecto apto, ad distinctionem puræ negationis, quæ carentia est formæ in subiecto non apto. Vnde carentia formæ naturalis in materia, est priuatio: carentia verò formæ supernaturalis in materia, est pura negatio. Quæri solet hoc loco, an differentiæ distinctiæ priuationis & negationis se teneant ex parte earum, vel ex parte subiecti, vel ex parte formarum quarum sunt priuationes. Aliqui scribunt se tenere ex parte formarum, ac probant, quia omnis priuatio ab eo habet esse, à quo sumit suam specificationem; atqui sumit suam specificationem à forma, ergo & suum esse, & consequenter suam differentiam distinctiavm, & constitutivam. Alij contrà, docent se tenere ex parte subiecti, quia ex eo quod subiectum sit aptum aut nō aptum, exurgit priuatio, aut negatio. Censent alij illam differentiam se tenere ex parte earum, quia unumquodque per aliquid sibi intrinsecum & essentiale constituitur, & per id quod constituitur in se, distinguitur ab alio,

Probabilius est illam differentiam sumi ex aptitudine vel ineptitudine subiecti : quia posita dispositione subiecti , ponitur priuatio : sublata dispositione subiecti tollitur priuatio , & ponitur negatio: differentia vero specifica priuationum sumitur ex diuersitate specifica formarum, ut docebitur quæstione sequenti.

D I C E N D V M 3. ad Physicum spectare , ut agat de priuatione naturali. Ratio est , quia priuatio est principium generationis naturalis , seu terminus à quō procedit generatio: adeo ut nulla esset generatio , si nulla esset priuatio , ex eo enim quod materia sit priuata formis quas appetit habere , hinc sit , ut mutuae fiant rerum generationes & corruptiones : ergo cùm sit Physici agere de rerum ortu & interitu : ita eiusdem est agere de termino à quo procedit ortus , & ad quem tendit interitus.

## Q V A E S T I O II.

*Utrum priuatio sit in materia : an vnica sufficiat pro omnibus formis , nec vnde an speciem sumat à formis : & an differat à materia , & à formâ .*

S V P P O S I T A existentia priuationis in rerum natura , querendum esset , ubinam illa sit , nisi constaret ex dictis , suum domicilium habere in materia , tūm quatenus est priuatio formarum , tūm quatenus est carentia accidentium : quia formæ & accidentia inexistunt materiæ , & idem omnino est subiectum formarum & accidentium , quod est & eorum priuationum. Restat inuestigandum , an vnica sufficiat priuatio pro omnibus formis possibilibus: & altera vnica pro omnibus accidentibus aduentitijs ; vel utrum pro numero formarum & accidentium possibilium , ponendus sit numerus priuationum substantialium , &

accidentalium; adeo vt, quemadmodum sunt infinitæ species formarum possibles, infinitaque cuiusque illarum individua possibilia; tot etiam sint species priuationum, totque illarum individua; vt id capias.

**A D V E R T E,** triplicem esse unitatem in rebus, genericam, specificam & numericam. Generica sumitur à genere; specifica, à specie; numerica verò à differentia individuali. Hoc sensu homo & leo sunt unum generis; Petrus & Paulus, sunt unum specie; sed Petrus est unum quid numero. Ijs positis, scribit Ruuius nec simul, nec successiuè posse esse in materia plures priuationes quæ differant generem: & quidem rectè, eiusque ratio concludit. Nam, ait, distinctio genericæ priuationum non petitur nisi ex distinctione genericæ formarum, sed formæ non differunt generem, sed tantum specie, ergo priuationes formarum in materia, sunt eiusdem generis. Minor patet, nam omnes formæ cuiusque sint speciei, conueniunt in genere formæ. Hic est aduertendum, illum loqui de sola priuatione formarum, ut colligitur ex eius verbis: si enim esset sermo de priuatione tūm formarum, tūm accidentium, certum est plura esse genera priuationum simul & semel in eadem materia, quia forma & accidens differunt generem & sic, duplex est genus priuationum in materia, unum substantialium, alterum accidentalium.

**Q**uod spectat ad unitatem specificam & numericam priuationum tūm substantialium, tūm accidentalium in materia; scribit idem Doctor, non posse esse simul plures distinctas specie aut numero, sed unicam tantum quoad speciem & quoad numerum; & quidem rectè suo sensu. Distinguit enim duplē priuationem in materia; remotam & proximam. Remotam dicit esse indeterminatam & confusam, quia pullulat ex potentia vniuersali, quæ vt confusæ respicit omnes formas, ita etiam priuationes quæ ex illa flunt sunt indeterminatae, & confusæ: Proximam verò dicit esse determinatam & distinctam, quia vt pullulat ex potentia proxima ad hanc vel illam for-

mam debet esse determinata & distincta, quemadmodum forma est determinata. Et sanè, hæc doctrina Ruuij Peripatetica est, cùm procedat de priuatione, prout est principiū generationis. Sed si latiori significatu sumatur priuatio, non est dubium quin tot sint priuationes specie & numero distinctæ, in materia, quæ sunt formæ & accidentia specie & numero distincta possibilia. Et ut res elucescat, sit hæc ratiocinatio Ruuij; quod non est in se distinctum, nec determinatum, non potest dici unū vel multiplex specie, aut numero, quia unitas specifica & numerica priuationū petitur à distinctione specifica & numerica formarū, & formæ nō sunt distinctæ neque determinatae prout terminat potentiam uniuersalem, sed tantum prout explēt potentiam particularē, ergo plures priuationes specie & numero distinctæ, non possunt esse simul in eadem materia, sed unica tantum quæ pullulat ex potentia particulari. Sed contrà, nam. i. si materia esset spoliata omni forma, priuata esset omni forma, ergo in illa essent tot priuationes, quæ sunt formæ possibles, & eodem modo quo illæ formæ sunt inter se: atque illæ formæ sunt distinctæ inter se, quia una nō est alia, sed singulæ à singulis distinctæ sunt, distinctione specifica & numerica, ergo & priuationes earū inter se distinctæ sunt in materia, eadem distinctione quæ formæ, quia speciem sumunt, atque individuationē à formis.

VRGET Ruuius, priuatio sumit suam distinctionem specificam & individualem, à forma quam remouet à materia: sed repugnat materiam esse simul priuatam diuersis formis, sed unica tantum, pro qua disposita est: ergo repugnat habere simul plures priuationes, secundum speciem, sed unam tantum. Probat minorem, nam materia non censetur priuata, nisi solùm ea pro quæ disposita est: atque tantum disposita est ad unam, ergo, unam tantum habet priuationem.

AT contrà, materia non censetur proximè priuata nisi ea forma pro qua disposita est, concedo; non est (absolutè loquendo) priuata alijs formis, quas potest habere, nego. Est enim ex se apta nata recipere om-

nes, & omnes appetit æqualiter, atque ijs omnibus, priuatur, tanquam suo bono adæquato quod si impe- diatur exercitium sui appetitus, hoc est per accidens, nempè ex incōpossibilitate formarū & dispositionum, vel ex imbecillitate agétium naturaliū: in ordine vero ad agens supernaturale, sanè potest illud, simul mate- riæ vnire omnes formas, ergo in illo priori instati, de- terminatè poterat materia recipere omnes formas: nō poterat autem determinatè illas recipere, nisi per de- terminatas generationes, & generationes determinatæ postulat determinatas priuationes: quia priuatio est principiū generationis, & omne principiatū determi- natum petit principia determinata, ergo tot sūt deter- minatæ priuationes in materiā, quot sunt possibles formæ, determinatè generadæ per veras & determina- tas generationes.

**D I C E N D V M** est igitur 1. in vna eademque nu- mero materia sublunari, esse infinitas numero priua- tiones formarum, & accidentium. Ratio est evidens, quia eius appetitus, vniuersaliter se extēdit ad omnes formas possibles; estque ipsa materia, apta nata, ad il- las omnes recipiendas, si daretur agens proportiona- rum: ergo, ijs omnibus priuatur, donec introducan- tur: atqui illæ sunt numero infinitæ, expetūtque infi- nita numero accidentia quibus inducantur in mate- riā, ergo, infinitæ sunt actu determinato, priuationes in materia, tūm formarum tūm accidentium.

**D I C E N D V M** 2. in materia sublunari dari actu negationem omnium formarū cœlestium, earumque proprietatum: in materia vero cœlesti, esse negatio- nem omniū formarum sublunarium earumque acci- dentium. Ratio est; quia materia cœlestis est, incapax formæ sublunaris, & materia sublunaris, incapax for- mæ cœlestis: & consequenter accidentium earum for- marum, ergo, in vtraque est negatio alterius formæ, & accidentium, non autem priuatio, quia priuatio, est in subiecto apto.

**Q u o d** spectat ad distinctionem priuationum in- ter se, & à materiâ & à formâ. **Videò 1.** materiâ & for-

nam existere posse sine priuatione, nam ante aduentum formæ, priuatio est in materia, sine formâ; adueniente forma perit priuatio, & remanet materia cum forma video. 2. materiam & formâ esse entia realia & positiva, priuationem vero nec ens reale nec positiuū esse, sed nihil : & tamen pugnare cum forma : illam exuere à materia: illius machinari interitum, àquâ habet totum suum esse ; quia speciem sumit à formâ & nisi esset possibilis forma, nulla esset priuatio. Nihilo minus video, nec priuationes inter se , nec à materia & à formâ differre plusquā ratione: quia nihil sūt aut si aliquando habent esse, per modum entis, illud totū habent à mente, & sic distinguntur sola mente, quia ab eo habent distinctionem, à quô habent suam entitatem , Deindè nec res sunt, nec modi rerum, ergo neque modaliter, neque realiter differunt inter se, nec à materia & forma. Docet Ruuius priuationem distinguiri realiter negatiuè à materia & forma , quod putet distinctionem realem, duplē esse, vnam positivam, alteram negativam. Positiuā dicit esse inter entitates positivas, vt inter Petrum & Paulum : Negatiuā vero, inter entitatem positivam, & realem negationē aut priuationem eius: vt inter ens & non ens. Sed numquam vidi negationem aut priuationem realē, licet viderim materiā, realiter priuari forma, & formam realiter priuari materia; & ipse dixerit suprà, priuationē esse nihil.

**Q** u a r i t u r vndē sumant suam specificationē. Respondeo, suam speciem sumere à formis, vel ex ordine ad formas: ratio est, quia priuatio est essentialiter carentia formæ , ergo de formalī dicit respectum ad formâ. Sicut enim materia, suā sumit speciem, ex modo tendendi in formâ : ita priuatio , speciem sumit ex ordine quem dicet ad formam. Deindè ab eo sumit priuatio suam specificationem, à quô sumit suam denominationem: sumit autem suam denominationem ex ordine quem habet ad formam? quia ea quæ priuat materiam forma ignis , denominatur priuatio formæ ignis, ergo, ex tali ordine ad propriam formam, sumit suam denominationem. Iterum, omne ens relativum

sive transcendens sive cathegoricum, sive rationis, suam speciem sumit ex ordine ad terminum, vel potius ille ordo est illius differentia constitutiua, ut patet in omnibus relationum generibus. Cum igitur priuatio sit ens relativum respiciens essentialiter formam cuius est carentia in subiecto apto, suā speciem sumet ex ordine ad talem formam. Quod autem talis relatio sit formale constitutuum priuationis positum sumptae, constat ex eo quod impossibile sit concipere priuationem secundum ea quæ essentialiter includit, nisi talis relatio sui ad formam includatur: & præterea per talem ordinem ad propriam formam, distinguitur essentialiter una priuatio ab altera, & ab illo ordine petitur differentia distinctiua & constitutiua. Atque hinc colligitur, omnes priuationes quæ reperiuntur in materiâ, eodem modo distingui inter se, per mentem, specificè & numericè, quo formæ differunt inter se: itavt priuationes sint diuersæ speciei, si sunt formarum diuersæ speciei. Sed progrediamur.

---

### QVÆSTIO III.

*An priuatio suscipiat magis & minus; an detur progressus & regressus ad habitum: & quo sensu, priuatio sit principium generationis.*

**S**VNT qui negant priuationes intendi aut remitti, quod sitæ sint in indiuisibili, & quod indiuisibile nequeat augeri aut minui vlo modo, quia caret partibus, ex quarum detractione minuatur, & quarum additione augeatur. Aiunt enim, priuatio est carentia, seu absentia formæ in materiâ, atqui absentia omnis rei consistit in indiuisibili, neque enim potest aliquid esse absens, nisi sit totum absens, neque aliquid præsens, nisi sit totum præsens, ergo priuatio sicut in indiuisibili, proindeque nec intenditur nec remittitur.

Sed contrà, absentia rerum, quæ fiunt in instanti, secundùm totam suam entitatem, vt sunt formæ substantiales, sìstit in indiuisibili, concedo : absentia rerum quæ fiunt successiue, per prius & posterius, vt qualitates elementorum, nego. Qua propter.

**D I C E M D V M** est 1. quasdam priuationes accidentales, suscipere magis & minus: quasdam vero non suscipere magis, & minus. Probatur, Nam omnis priuatio specificatur à formâ, ergo illa priuatio intenditur & remittitur cuius forma intèditur & remittitur, vt calor, frigus, humilitas, siccitas; quædam vero, quæ nō intenduntur neque remittuntur vt quantitas & præsentia localis, ergo quædam priuationes accidentium intenduntur, & remittuntur, quædam vero, neque intenduntur, neque remittuntur, sed sìstunt in indiuisibili.

**D I C E N D V M** 2. nullam Priuationem substancialē suscipere magis & minus. Nam, forma substancialis dum sit, secundum se totam sit, ergo nullum potest assignari instans in quò materia sit magis aut minus priuata forma substanciali. Ratio est euidens, nam idèo priuatio caloris est intensior & remissior, quia forma quâ priuatur, est intèrior & remissior: ergo à pari, priuatio formæ substancialis non intèditur aut remittitur, quia forma illa, nec intenditur, nec remittitur. Confirmatur, nam subiectum priuatum omni calore, magis priuatur, quam dum adest primus gradus, & minus habito primo gradu, quam dum nihil caloris erat: quia quâ proportione intenditur calor, eadē proportione minuitur eius priuatio; & quo plus minuitur calor, eo plus augetur priuatio, vt patet.

**M A I O R** est difficultas de regressu, ad habitum: quam de progressu ad priuationem. Circa hoc dicendum est, dari quidem viribus naturæ progressum à priuatione ad habitum, & ab habitu ad priuationem; sed non à priuatione, ad habitum, dari regressu. Videmus enim à priuatione fieri transitum ad formâ per generationem, & deinde transitum à formâ, ad priuationem per corruptionem: sed numquam videmus à priuatio-

ne formæ corruptæ fieri denuò ad eandem regressum vi naturali. Quod enim semel interijt numquā futurum est vt redeat virtute naturali: iuxta illud, à priuatione ad habitum non datur regressus. Diuinitùs autem res secus fit, quia posset Deus reproducere quod semel obiit, vt fiet in resurrectione mortuorum, secundum illud Iob, & in carne mea videbo Deum Salvatorū meum. Superest inuestigandum, quò sensu priuatio sit principium generationis.

DICENDVM est non in ratione entis, sed in ratione non entis, priuationem esse principium à quō progreditur generatio: est enim tale principium quantum formaliter est carentia formæ debitæ subiecto: sed eo modo sumpta, est non ens, seu non esse formæ, ergo in ratione non entis, est principium generationis 2. pars liquet nā in ratione entis, est ens rationis: atqui, ens rationis non cōcurrerit ad generationem, ergo neque priuatio, sumpta in ratione entis.

DICENDVM deinde, priuationem non esse principium generationis, simpliciter vt est priuatio: sed formaliter vt est priuatio formæ debitæ subiecto propter acquisitas dispositiones: vnde, priuatio pullularis ex potentia proxima materiæ, ad hanc formā, est principiū generationis: non autē illæ, quæ sequuntur potentiam vniuersalem. Sed satis de priuatione, ad formam progrediamur.



# DISPVTATIO

## QVINTA:

*DE FORMA SVBSTANTIALI.*

**P**XPOSITIS quæ ad materiam & priuationem spectant supereft de formâ agendum, vt indè, ad totius compositi constructionem fiat progressus: præcedūt namque partes & deindè pullular totum; nec immerito præmisimus priuationem, quia formam præcedit in materia: cum generatio sit transitus à priuatione ad formam in materia. Occurrit inuestigandum 1. quid & quotuplex sit forma, & an sit admittenda in quois composito, 2. An ante generationem, formæ præexistant in materia, & quid sit educi de potentia materiæ. 3. Vtrum formæ, tūm substantiales, tūm accidentales naturales & supernaturales, educantur de potentia materiæ. 4. Vtrum formæ cœlorum, & elementorum in prima sui productione fuerint eductæ, vel concreatæ ad creationem materiæ. 5. Nūm formæ viuentium educantur, nūm habeant proprias existentias & subsistentias, & vtrum possint plures species formarum, simul esse in eadem materiâ informatiue. 6. Nūm forma sit tota essentia compoſiti, nūm sit nobilior materia & composito. 7. Vtrum

formæ artis educantur de potentia materiae. Ultimò, vtrum ex materia & forma, fiat vnum per se media vniōne : & an totum à suis partibus distinguatur Quoad primum sit.

---

## QVÆSTIO I.

*Quid & quotplex sit forma, & an sit in quouis composito Physico.*

**F**O R M A dicitur, quidquid aliud perficit, & constituit in aliqua specie. Hoc sensu, rationale est forma animalis ; albedo, parietis : anima, corporis organici. Diuiditur autem in Metaphysicam, Physicam seu naturalem, supernaturalem, & artificialē. Metaphysica est omnis differentia, generica, specifica & individualis. Physica diuiditur in substantialem & accidentalem. Substantialis est, quæ simul cum materia compositum statuit:accidentalis vero, quæ materiam disponit; vt calor, frigus, humiditas, siccitas, quæ disponunt materiam ad introductionem vnius formæ, & expulsionem alterius. Formæ supernaturales sunt, quæ nequeunt ab agente naturali produci, sed à supernaturali: quia nimis superant vires naturæ: huiusmodi sunt, habitus infusi, omniumque gratiarum genera; vt fides, spes, charitas, gratia excitans, cooperans, iustificans. Forma denique artificialis, ea dicitur quæ fit ab arte, vt forma statuæ, forma cathedræ & similes, quæ à naturâ non prodeunt sed ab arte. De formis Metaphysicis, agit Metaphysicus; de supernaturalibus Theologus: de Artificialibus, quisvis artifex in sua arte, at de naturalibus per se agit Physicus: & primò quidem de substantialibus, tūm vero de accidentarijs.

**V E R V M**, formæ substanciales aliæ dicuntur informantes, aliæ assistentes. Forma informans ea est

quæ materiam afficit, eique vnitur intimè, vndè resultat totum compositum naturale: assistens verò, quæ non vnitur subiecto, nec cùm eo efficit totum aliquod per se: sed quodammodo illi adest, & assistit, aliquid circa illud operando. Hoc modo, se habet dæmon in cadavere, dùm illud assumit: aut nauta respectu nauis: aut etiam intelligentia respectu Cœli quod mouet. Forma denique informans, alia est naturaliter separabilis à materia, sine sui corruptione, vt anima rationalis quæ naturâ suâ cùm sit immortalis, nec è materia educitur, nec à materia dependet in suo esse & conseruari: alia inseparabilis, sine sui corruptione, vt sunt cæteræ aliæ formæ corporeæ, quæ vt à materia dependent in suo fieri; ita & in suo conseruari. Hæ sunt formæ Cœlorum, elementorum & mixtorum omnium non viuentium, & viuentium animâ vegetatiuâ & sensitiuâ. Multiplici autem insinuitur nomine. Vocatur enim. 1. forma, quod deformitatem materiæ poliat. 2. Pulchrum, quod pulchritudinem tribuat materiæ, vndè Aristoteles lib. 1. Phy. ait materiam appetere formam vt turpè appetit pulchrum. 3. Ratio, quod essentiam tribuat toti composito, & essentia rei cum ratione rei, reciprocantur: vndè indifferenter dicitur, hoc esse de essentia, vel de ratione rei. 4. Dicitur quidditas, quia quidditas & essentia rei, sunt idem: & essentia specifica petitur semper à formâ. 5. dicitur participatio diuinæ essentiæ; diuina proles; quidpiam diuinum: exemplar & character: quia vnicuique rei notam imprimit quâ à cæteris dignoscatur; estque quasi idæa diuinæ essentiæ saltem per quamdam analogiam; quia quemadmodum Deus est purissimus actus: & principium omnis operationis: ita, forma substantialis est purus actus, & principium omnium operationum, quæ oriuntur à corporibus naturalibus. Materia enim est pura potentiuæ passiuæ: formâ verò purus actus actius. At quæritur vtrum hæc forma detur in quois composito Physico.

N Y L A videtur esse authoritas veterū Philoso-

phorum admittendi formas substantiales, præterquam solius Aristotelis, toto hoc libro, & 7. Met. cap. 4. sed hæc sufficit, ut potè quæ sit rationi conueniens. Respsuit tamen formam Galenus, quod putet animam nihil differre à sanguine vel à temperamento: eiusque mentem aperiunt aliqui, hoc modo, si daretur forma substantialis in singulis compositis, maximè in viuentibus: quibus anima esset forma constitutiva: atqui id quod in viuentibus dicitur anima, non est illa forma substantialis, sed accidens aliquod quod dicitur temperamentum, seu temperies primarum qualitatum, ergo nulla datur forma substantialis. Probant minorem, illud est anima in viuentibus, quod solo posito in corpore organico, statim resultat viuens, & quod dissoluto, dissoluitur viuens: posito autem solo temperamento resultat viuens: illo vero dissoluto, deperit viuens, ergo huiusmodi temperamentum, est id quod dicitur anima in viuentibus. Sed contrà, ad 1. si daretur forma substantialis in viuentibus, illa esset anima, concedo: id autem quod dicitur anima non est substantia, sed accidens, nego. A nullo enim accidente possunt oriri operationes vitales. Ad 2. posito temperamento, simul cum anima, ponitur viuens concedo: sublato temperamento cum anima, tollitur viuens, concedo, ergo temperamentum est dispositio ad vitam, concedo, est ipsa anima, nego. Vrgent aliqui, posito sanguine viuit leo, fluxo sanguine non viuit leo, ergo sanguis est anima leonis. Sed contrà nam pariter ego dicarem, positis dispositionibus ad formam, ponitur forma; ergo dispositiones ad formam, sunt forma: quod tamen absurdum est, in Philosophia Peripatetica, & impiissimum in fide Christiana. Docet enim Philosophus dispositiones præcedere formam, & sic non esse formam: docet & fides, sanguinem non esse animam, sed aliquid inferius anima.

E s t & alius osor formarum qui hoc modo, suam stabilit opinionem, si esset forma substantialis, aliquā se prodiret operatione: sed nulla substantia est ope-

ratiua , quia omnis operatio est ab accidentibus , vt patet in igne qui calefacit per suum calorem , & exsiccat , per suam siccitatem: ergo nulla est admittenda forma substantialis. Deinde , si illa esset admittenda , maximè dum lignum conuertitur in ignem : atqui ibi nulla fit conuerso substantiae in substantiam ; sed accidentium in alia accidentia : quia videmus accidentia ligni , conuenient in accidentia ignis , non autem substantiam ligni in substantiam ignis , ergo nulla est admittenda forma substantialis. Sed contraria , nulla substantia est operativa immediata per se , concedo. Per sua accidentia nego. Ignis enim calefacit lignum . per suum calorem , & exsiccat illud per suam siccitatem : sed illud conuertit in ignem , per suam formam . vnumquodque enim est propter suam operationem : & simile sibi simile producit.

D I C E N D U M est , dari actu formas substantiales in compositis Physicis , quæ simul cum materia componant totum. Ita Arist. lib. 1. Phy. & cæteri Peripateticæ. Probatur 1. ex mutuâ transmutatione rerum naturalium , quæ non fit tantum secundum accidentia , sed etiam secundum substantiam. Dum enim lignum , ex frigido fit calidum , aut ex sicco humidum , mutatione fit penes accidentia : at quando ex ligno fit ignis , & ex igne cineres , mutatione fit penes substantiam , unde 1. modo fit alterum 2. modo fit aliud. Probatur 2. ex cōstitutione rerū naturaliū. Cœlum enim , elemēta , & mixta non fluunt ex solâ materiâ & accidentibus : aliqui materia esset ex se substantia complēta , vel completeretur ex accidentibus : si primū , corrueret doctrina Aristotelis , qui docet materiam esse substantiam partialem : Si secundum , totum compositum esset ens per accidens , & sic non daretur scientia de illo : nec ullū esset ens per se , in tota rerum vniuersitate , sed sola entia per accidens , quæ conflarent totum vniuersum : & tamen ens per accidens , supponit ens per se , quia accidens subsistit in ente per se , & sic tota inuertitur natura si adimatur forma substantialis. Probatur 3. ex specifica rerum distinctione. Cœli enim specie dif-

ferunt ab elementis, elemēta à mixtis : & inter mixta reperitur specifica distinctio substancialis: Nam lapis, à ligno differt : equus, à bove : lupus , à leone : inter plantas etiam reperitur specifica distinctio: Nam laurus à querco differt , & olea à castanea : ergo sanè admittenda est forma substancialis. Nec dicas differre quoad accidentia. Nam variæ operationes quæ ab ijs oriuntur, varia arguunt principia essentialia operandi, & variæ proprietates, varias arguunt rerum essentias: atqui in ijs sūt variæ operationes, variæque proprietates : Nam cœli varios influxus imittunt in hæc inferiora , elementa inter se variè agunt & reagunt : mixtorum , alia fouent , alia nocent : ergo variæ sunt eorum essentiæ, & consequenter variæ formæ, quia eorum materia est eiusdē rationis: & si nihil substatiæ in ijs esset præter materiā, in omnibus essent cædem proprietates, exdēque operationes. Deindè, si deesset forma, orbi deesser omnis perfectio, quia omnis perfectio , est à formâ : & sine forma, omnia informia essent, & fortè informes, qui formam amittūt. Sed age: datur materia, ergo, & forma: datur cōpositū Physicū, ergo & materia & forma: datur generatio, ergo, & forma genita: vel actio erit sine effectu; via sine termino, & alia quæ longè distant à verâ Philosophia. Sed qui definiatur forma videamus,

**D O C E N T** Complutenses q. 1. de forma concl. 2. formam esse actum primum corporis , eò quòd sit actus primus materiae, ajunt enim , sicut materia prima est prima, potentia substantiæ corporeæ, ita forma est primus actus illius. Idque adeò clarum esse putant, vt non indigeat majori probatione. Sed qui potest fieri vt forma sit actus corporis , eo quod sit actus materiae, cùm materia non sit corpus. Est enim materia pura potentia , corpus verò aliquod totum , ergo si forma sit primus actus materiae, non potest esse actus corporis : Nisi velint, corpus & materiam esse formaliter idem. Docent autem §. 3. formas omnes educi de materia, non de corpore : & q. 2. §. 2. formam vniri materiae, non corpori : & q. 6. §. 2. de Corrupt. subst. formam

formam desinere in materiam, nō in corpus; ergo forma erit quidem actus materiæ, sed non corporis. Nisi sit eorum mens formam esse actum constitutiuum corporis naturalis, simul cum materia. Quare.

AVDIENDVS est Ruuius q. 1. de forma, vbi rectè definit formam *actum substantiale vnum per se constituentem cum materia*: & Suares tom. 1. Met. disp. 15. sect. 5. num. 1. vbi scribit, *formam esse substantiam quamdam, simplicem, incompletam, qua ut actus materia constituit cum ea essentiam composita substantia*. Vbi vides, ex materia & forma, fieri totum compositum, & sic in singulis compositis, esse singulas formas actu, si composita sint actu: nec refert quòd sint eiusdem vel diuersæ speciei, quia composita diuersæ speciei, nequeunt esse, nisi per formas diuersæ speciei, cùm tota diuersitas essentialis sit à formâ. Hic posset quæri. An omnes fornix sint generabiles & corruptibiles: diuisibiles, an indiuisibiles, seu corporeæ, aut incorporeæ: & an sint communicabiles pluribus subiectis. Hoc vltimum nequit percipi, nisi prius scias, formam triplicem esse, numericam, specificam, & genericam. Numericæ est prorsus incommunicabilis, quia nequit volui de materia, in materiam; specifica communicabilis est pluribus indiuiduis materijs, vt patet de forma ignis quæ pluribus inest subiectis, genericæ vero pluribus compositis specie diuersis inest, vt anima quæ plantis, brutis & homini inest. Quòd spectat ad generabilitatem, corruptibilitatem & diuisibilitatem formarum id excutietur sequenti quæstione. Quæri posset 2. an forma & materia realiter distinguantur; secundum Thomistas differunt quoad essentias, non quoad existentiam, quia utriusque est una & eadem existentia. Secundum alios qui melius rem perceperunt, differunt realiter quoad essentiam & quoad existentiam. Primò quidem, quia essentia non differt nisi ratione ab existentia. Secundò, materia fit creatione, forma fit educatione: materia, ex nihilo; forma ex præexistente materia, dependenter à materia & realiter separabilis est à materia cùm.

subsistat per se non minus quam materia. Quarto, actus & potentia in Metaphysicis, differunt Metaphysicè, ergo, in Physicis, Physicè. Rursus, contrahens & cocontrahibile Physice, realiter sese afficiunt, ergo seipso differunt: Iterum partes componentes Physice, Physice differunt: vltimò, materia differt realiter à formâ ut ostensum fuit suprà, ergo, forma differt realiter à materia. Addo quòd saltem anima nostra quæ forma quædam est, realiter separatur à materia, ergo, & cæteræ forme, si in minus naturaliter, saltem diuinitus; quinimò singulis momentis videmus etiam naturaliter formas quædam diuelli à materia, & alias exurgere de nouo, quòd satis arguit distinctiō nem realem earum à materia: An verò, ante sui productionem præexistant in materia, & quid sit illas educi de potentia materiæ: Videamus.

## Q V A E S T I O II.

*An formæ substanciales præexistant in materia  
ante sui generationem, & quid sit eas educi  
de potentia materia.*

**F**VIT & hæc opinio apud veteres Philosophos, nec potentia nec actu contineri formam in potentia passiuā materiæ primæ, nec in virtute actiuā agentis naturalis disponentis materiam, sed in virtute actiuā cuiusdam agentis superioris, qui eam producit & exhibet vniendam materiæ, per agens naturale, cuius est disponere materiam, & formam aliundè productam, vnire. Hæc opinio tribuitur Platonii in Phædone, vbi docet formas induci in materiam ab intelligentijs iuxta ideas quas de formis conceperunt; eamque sequitur Avicenna lib. suæ sufficientiæ, vbi expresse docet dum ignis ex ligno generatur, formam

illius non præextitisse potentiam vel actu in materia, sed ab intelligentia quadam produci, & ab agente naturali viri materiae. Ratio eorum est quia materia est pura potentia receptiva formarum, ergo nullo modo concurrit ad productionem, sed ad solam receptionem formarum. Verum haec ratio conuincit quidem de anima rationali quæ sit independenter à materia, sed non de corruptibilibus, quæ fiunt ex materia, & desinunt in materiam. Ut enim præexistunt in potentia activa agentium naturalium, ita præexistunt in potentia passiva materiae, agentia namque natura-  
lia, quia vim limitatam habent, subiectum postulant circa quod operentur, ergo, illud subiectum debet suo modo concurrere passiuè, quia patitur in se fieri formas: & sic formæ præexistunt in potentia passiva materiae quemadmodum in potentia activa agentium naturalium, Quare.

ALII, alio modo Philosophantur. Dicunt enim formas omnes, actu præexistere in materia non quidem formaliter in esse formæ, sed sub quibusdam indiuisibilibus, ex quibus extrahuntur per generationem. Sed contraria, si enim formæ fierent ex atomis indiuisibilibus, desinerent tandem in indiuisibilia, & sic continuum fieret ex punctis, quod repugnat, ut dicitur suo loco. Docent alij quos refert Diuus Thomas. 1. parte q. 1. art. 8. formas esse quidem actu in materia ante carum generationem, sed non apparere: in lucem vero prodire per generationem: itaut illud esse actuale formarum non incipiat fieri per generationem, sed tantum manifestari oculis nostris. Sed contra, nam inde sequeretur 1. materiam actu continere infinitum numerum formarum actu existentium. 2. formas omnes eiusdem & diuersæ speciei, esse simul cum suis proprietatibus in eadem materia, quod implicat de via naturali, & nescio utrum hoc possit fieri diuina virtute propter oppositionē dispositionum, & formarum inter se: denique maximum esset chaos & confusio rerum: quinimò pluries esset eadem forma in rerū natura. Nam eadem quæ essent actu in materia ligni

cædem essent in materia ignis, & cædem in singulis aliis materiis, quia non est potior ratio cur latitarent in una materia, quam in alia: sed omnes essent simul in eadem materia, quod Chymericum est. Docent alij, formas non præexistere quidem in materia ante sui generationem, secundum totam suam perfectionem entitatiuam: sed tantum secundum quasdam inchoationes, perfici verò per generationem. Sed inde sequeretur, 1. Substantiam suscipere magis & minus. 2. eamdem numero formam secundum aliquid sui gigni, secundum aliquid sui non gigni: & sic, partim generabilem esse, partim generabilem non esse, quod implicat.

D I C E N D V M est igitur, nullam formam substantialem præexistere actu in materia ante sui generationem, sed potentiam tantum. Prima pars paret, nam terminus nō est prior via, nec effectus prior suā causa: sed generatio est causa, & via ad formam, ergo forma nō est prior sui generatione. Deinde, si forma existeret antequam generaretur, aliquid esset actu antequam produceretur, hoc autem implicat, quia quidquid existit beneficio suæ productionis existit, cum existentia sit terminus productionis. Ultimò, si formæ omnes actu existerent in materia ante sui generationem, vel illi essent vnitæ, vel non vnitæ, non ultimum quia forma non existit naturaliter nisi vnta formæ; neque primum quia plures nequeunt esse simul in eadem materia, nisi inuertatur vniuersa Philosophia, quæ docet vnumquodque compositum constitui ex vnicâ forma. 2. Pars probatur, nam præexistere potentiam in materia, nihil est aliud quam posse gigni in materia concorrente passiuè: atqui omnis forma fit dependenter à materia, se habente passiuè, ergo omnis forma, ante sui generationem præexistit in potentia materiæ. Probatur minor, nam omnis forma, dempta anima rationali, fit ab agente naturali, naturaliter operante: omne autem agens naturale propter debilitatem, & limitationem suæ virtutis, indiget subiecto aliquo circa quod operetur; ergo, omnis forma fit de-

pendenter à subiecto. Vbi aduerte, formas omnes substantiales corporeas, ante sui generationem, esse in potentia passiva materiæ, & in potentia activa agentis naturalis, quatenus agens vim sibi insitam habet producendi formam, materia verò vim sibi innatam ut recipiat formam, ad eiusque concurrat productionem. Potest autem dupliciter considerari, quod forma sit in potentia materiæ. Primò, remote, quando nimirum in materia nihil ipsius formæ, aut eius dispositionum reperitur, sed sola potentia universalis ad omnes formas. Secundò, proximè, quando adsunt dispositiones ad aliquam formam in particuliari.

DIFFICULTAS est quomo do fiat eductio formarum è materia. Educationem distinguit à generatione Ruuius quæst. 2. de formâ, censet enim quidquid generatur educi, sed non quidquid educitur generari: illam formam asserit generari, quæ procedit à forma in formam in materia; illam verò educi quæ procedit à sola priuatione sui in materia. Hoc sensu prima productio elementorum fuit eductio: quia nulla præcessit formâ, conuersio verò quæ sit modo in elementis, est propriè generatio, quia præcedit forma aliqua in materia. Sed docuit quæst. de priaci- pijs generationem progredi, non à formâ præcedente, sed à priuatione ad formam, & in responsione ultimâ, asserit falsum esse quod præcedat illa forma in vera generatione, cum tota essentia generationis sita sit in mutatione, de priuatione ad formam in materia. Complutenses disp. 4. q. 2. §. 3. docent formam educi de potentia materiæ, nihil aliud esse, quam contineri in potentia eius, ut in causa materiali, & reduci ad actum per actionem agentis transmutantis materiam ex non esse formæ, ad esse formæ. Addunt tamen formas materiales non educi de potentia materiæ, si nulla præcesserit forma; sed concreari cum materia. Vbi aduertes, secundum Complutenses, formas corporum & elementorum non præexistisse potentiam in potentia materiæ, nec proinde eductas fuisse, neque

genitas: sed nihilo simil cum materia fuisse creatas.  
Verum id discutetur suo loco.

INTERIM, ex Diuo Thoma, ad veram generationem plura requiruntur ex parte materie. 1. recipit in se dispositiones. 2. in ultimo indivisibili terminatio dispositionum, concurrit passione cum agente ad educationem formae. 3. formam educatam in se recipit unitate. 4. media mutua sui unione cum formâ totum compositum constituit. 5. formam sibi unitam fouet donec altera accedit. Atque ex ijs quinque, ratione secundi tantum dicitur forma educi de potentia materiae; reliqua enim exercet materia erga animam rationalem, quæ non educitur, sed creatur. Primo enim disponitur corpus per organa. 2. creatur anima. 3. unitur corpori. 4. media unione resultat homo. 5. vegetat anima in corpore, & suas exercet operationem. Ars naturæ æmula id satis indicat, nam. 1. disponitur lignum. 2. ex illo fit forma statuae. 3. concipitur illi unita. 4. ex mutua illa unione resultat totum opus. 5. stat opus, donec iniuria temporis aut alio quouis casu pereat: sed progrediamur.

### Q V Ä S T I O III.

*An forme omnes substanciales, & accidentales,  
naturales & supernaturales educantur  
de potentia materiae.*

**V**T sensus questionis percipiatur. Aduerte, formas substanciales eas esse quæ unum cum materia componunt totum substantiale ut lignum: formas vero accidentales, quæ sunt vel ornamenta substancialia, vel principia operandi substantiae, ut calor in igne frigiditas in aqua. Sunt autem forme accidentales in duplice genere, naturales scilicet & supernaturales. Haec sunt quæ ordinem naturæ excedunt, nec possunt ab

vlo agente naturali produci, ut lumen gloriæ, diuina  
qua grati Deo existimus, fides, spes, charitas, & cæte-  
ræ virtutes infusæ: necnon plurimæ qualitates quæ ex  
omnium Theologorum sententia ordinis sunt pæ-  
ternaturalis: naturales autem appellantur quæ agen-  
tium naturalium vim non superant, eæque vel deno-  
minant subiectum cui inhærent, ut quantitas, quali-  
tas, relatio; à quibus substantia denominatur relata,  
qualis, quanta: vel non denominant, non quia realia  
accidentia non sint, sed quia videntur esse entia val-  
de diminuta, quæ ob hanc causam, species & formæ  
intensionales nuncupantur, cuiusmodi sunt species  
impressæ rerum quæ ab obiectis in sensus externos  
deriuantur. De ijs omnibus formis quæritur, nūm  
educantur de potentia: duplarem efficiunt naturalem  
formam Complutenses quæst. 5. de forma. §. 2. &  
Ruuuius quæst. 3. nempè eam quæ sit actione distin-  
cta à suo subiecto, & eam quæ sit eadem actione qua  
suum subiectum & in eorum doctrina, formæ produ-  
cta à initio mundi cum materia, omnesque propri-  
tates emanantes ab existentijs, non dicuntur educi,  
sed comproduci, quia simul incipiunt esse cum suis  
subiectis, & fiunt eadem actione qua sua subiecta.  
Quod si fiunt actione distincta ab ea qua fiunt ea-  
rum subiecta, certum est apud Ruuum eas educi de  
potentia subiecti; & quidem recte, nam educi, non  
est aliud quām fieri dependenter à subiecto formæ  
autem naturales fiunt ita in materia; & proprietati-  
tes omnes dependenter ab essentijs, ergo dicuntur  
educi de suis subiectis. Notant Complutenses §. 3.  
quæst. 5. de formâ, proprietates rerum creabilium  
concreati, rerum verò educibilium, coeduci: hoc  
sensu quantitas cathegorica concreatur materiae,  
& omnes facultates animæ nostræ concreantur cum  
illa: quia materia, & animæ nostræ, fiunt per crea-  
tionem: qualitas verò elementorum ut modo fiunt,  
dicuntur educi, quia coruin formæ educuntur: in  
prima autem productione fuerunt concrictæ, quia  
formæ elementorum fuerunt concretae cum materia.

Eorum fundamentum videtur esse, quod putent ad veram educationem requiri, ut subiectum praextiterit tempore sine tali forma, adeo ut educatio sit essentialiter transmutatio de priuatione ad formam, & nullam putant praecedere formam in materia respectu quantitatis, ut in prima rerum productione respectu formarum, aut in essentijs rerum respectu suarū proprietatum.

DICENDVM tamen est, omnes formas substantiales, accidentales: naturales, supernaturales, & intentionales, propriè educi de potentia subiecti. Primò enim, nullam formam arbitramur fieri eadem actione quā fit suum subiectum, sed realiter diuersâ: quia termini distincti, fiunt actione distinctâ. 2. Materia prima fit creatione, Quantitas ab ea profluit emanatione: ceteræ formæ fiunt educatione, & earum proprietates effusione. Atqui effusio proprietatum ab essentia nequit fieri nisi concurrente essentiâ, neque quantitas emanare à materia nisi ea concurrente, ergo omnis forma fit per educationem è subiecto. Arguunt Complutenses; Qui dat formam, dat consequentia ad formam, ergo qui educit formam seu essentiam ex quā hæ proprietates emanant, coëducit etiam proprietates & sic non fiunt actione distincta. Sed contrà, nam effectus realiter distincti fiunt actione realiter distincta, quis autem negauerit, quantitatem categoricam realiter distingui à materiâ, & proprietates formarum à formis, cum formæ & materiæ sint veræ substantiae: proprietates verò mera accidentia. Probatur autem formas omnes substantiales materiales educi de potentia materiæ, quia formæ huiusmodi fiunt dependenter à materia & conseruari nequeunt nisi in materia, saltem naturali via, ergo educuntur de potentia materiæ; consequentia patet, quia educi non est aliud, quam fieri dependenter à materia. Deinde, quod habet omnes suas operationes ita à materia dependentes ut non possit operari nisi in ea & dependentes ab ea, habet etiam suum esse dependens ab illa, quia operari sequitur esse, & modus operandi sequitur mo-

dum essendi : atqui formæ omnes naturales ita ha-  
bent omnes suas functiones dependenter à materia  
ut non possint naturaliter quidquam efficere nisi  
materia, & circa materiam, quia virtus agentium li-  
mitata est, ut postuleat semper subiectum circa quod  
suas exerceat operationes, ergo dependentes à mate-  
ria in operari, & in esse, & consequenter in suo edu-  
ci. Confirmatur, nam si forma materialis non de-  
penderer in suo fieri, esse, & operari à materia, fieri  
posset extra materiam, existere posset extra materiam  
& posset operari extra materiam: ergo creari posset, &  
creare, quia nullo pacto indigeret materia, & sic su-  
perflua esset materia ; nobiliorque esset vniuersus or-  
bis, si ex rebus per se subsistentibus constaret, sine ma-  
teria, quam cum materia : præterea illæ formæ ynitæ  
materiæ maximo bono frustrarentur, nempe subsi-  
stentiâ perse, independenter à materia, quia omnis de-  
pendentia arguit imperfectionem : & sic illæ formæ  
perfectiores essent nulla existente materia, quia ut  
patet essent instar animæ nostræ incorruptibiles, &  
immortales. Deinde, si formæ materiales non educe-  
rentur è materia, vnius generatio non esset corruptio  
alterius quod est contrà Philosophum ; cùm enim  
introduceretur vna, alia non corrumperetur, sed  
per se subsisteret extra materiam, vel in ipsa materia,  
nihil enim vetat cùm ex suppositione nullatenus de-  
pendeat à materia.

PROBATVR omnes formas accidentales Physicas,  
& intentionales educi, nam, quæ sunt dependenter à  
subiecto, nequeunt conseruari, neque operari nisi in  
subiecto, quinimo, separatæ realiter per diuinam om-  
nipotentiam, semper dicunt dependentiam à subiecto  
& vellent naturali impetu restitui subiecto. Et sanè  
videmus omnia accidentia dependere à subiecto cum  
iungereant subiecto, & fiant ab agente naturali in sub-  
iecto concurrente: Nisi enim ita fierent, sed extra sub-  
iectum, creari dicerentur, quia fierent ex nihilo. Vnde  
sic arguo, vel accidentia Physica sunt in subiecto  
concurrente, vel ex nihilo ; non ex nihilo, quia non

subsistunt per se, sed per subiectum, ergo ex subiecto fiant & sic dicuntur educi. Formas intentionales fieri in subiecto, & educi de potentia subiecti, patet nam constat hæc accidentia recipi in medio, ut contingit in speciebus sensibilibus, quarum aliquæ in speculo, in aëre, & in aqua subiectantur, & omnes indifferenter in sensibus externis; derivantur enim ab obiectis in sensus externos, & ex sensibus externis in internos, vnde sequitur, semper esse in aliquo subiecto. Non dico tamen migrare de subiecto in subiectum, sed tantum immitti ab obiecto in sensus species impressas, quæ simul cum sensu immittunt aliam, in sensum internum, & deinde alia immittitur in intellectum, ut dicetur in libris de anima. Dependent tamen semper in fieri, esse, conseruari & operari à subiecto, quia, fiant actione quæ versatur circa subiectū.

**O B I C I E S;** Angeli posse fiant deferre ex oculo in oculum diuersas rerum imagines, quod nequit fieri nisi existant extra omne subiectum, neque enim deferunt subiectum sed species impressas, ergo illæ species non dependent à subiecto. Probatur antecedens, nam præstigijs efficiunt ut quæ longè fiant tanquam præsentia inspiciantur, quod sanè non alio modo contingit quam quod. Demones minimo temporis intervallo deuehunc rerum species in oculos corum quitalia inspectare desiderant: hæc autem delatio non videtur fieri posse nisi species ipsæ per se subsistant extra subiectum, ac proinde nisi fiant, atque conseruentur independenter ab omni subiecto. Nam gratis fingetur Deum ad arbitrium præstigiorum & Demonum frequenti miraculo huiusmodi species extra omne subiectum separatas conseruare; sequitur ergo accidentia intensionalia non educi de potentia subiecti, cum possint existere naturaliter extrâ omne subiectum.

**S E D C O N T R A,** quotiescumque enim Demones rerum cognoscibiliū species immittunt in facultatē cognoscētrem si facultas illa sit corporeā, ut oculus, non separatas à subiecto eas deportate: hoc enī naturales

vires Angelorum excedit; sed simul illas cum subiecto deuherere. potest enim noster intellectus ita rem concipere, cum vult Democritus efficere, ut oculus hominem videat ab hinc centum leucas distantem, defert particulam aëris circumstantis illum hominem. in qua nimirum particula sit prædicti hominis imago seu species impressa, & illam particulam aëris obicit oculo contuentis ut speciem similem in ipso oculo producat, quā postea oculus videre possit hominem illum quantumvis maximè distans. Quod si facultas sit spiritualis non corporea v. g. intellectus, velit que efficere ut ille cognoscat hic aliquid quod Romæ geritur, aufert tunc speciem corpoream eius rei in aliquem ex sensibus aut in imaginationem prædicto modo, & ita excitat intellectum ad talē cognitionem eliciendam; quod illi est perfacile, cum ille modos cognoscat, quibus ad intelligendum mens possit permoneri.

Quod spectat ad accidentia supernaturalia ut sunt virtutes infusæ fides, spes, charitas, gratia-iustificans, lumen gloriæ, & visio beatifica, sunt qui negant educi de potentia subiecti, sed creari; quod superent ordinem naturæ, viresque excedant omnis agentis naturalis. Eorum ratio est, quia omnis effectus exceedingens vim actiuam naturæ, excedit etiam vim passiuam subiecti naturalis; proindeque, cum nullum sit agens naturale quod possit illum effectum attingere, neque etiam erit ullum subiectum ex quo possit educi. Sed contraria, nam in anima rationali duplex est potentia, una naturalis, ex qua facultates naturales per emanationem educuntur; altera obedientialis, ex qua passiuè concurrente, causa prima supernaturalis, accidentia supernaturalia educit. Unde accidentia huiusmodi potentiam quidem naturalem excedunt, at non obedientiale; quia anima subiectur Deo, & se exhibet in subiectum, ad dona supernaturalia attin-genda. Ratio est quia haec dona supernaturalia sua accidentia, ergo postulant inhærere, subiecto, nec obstat quod sint entia supernaturalia, nam sive accidē-

supernaturale, siue naturale, semper dicit inhærentiam, & naturā suā nequit fieri per creationem sed per educationem, quia creatio est rerum per se subsistentium, educatio vero rerum per se consubsistens si sint formæ substanciales, vel inhærentium si sint accidentia. Sed an formæ Cœlorum & elementorum fuerint educæ in prima rerum productione videamus.

---

## QVÆSTIO IV.

*An formæ Cœlorum & Elementorum in prima  
sui productione fuerint educæ  
vel creatae.*

**V**A M V I S ex dictis superiori quæstione constet Omnem formam substancialē, corpoream educibilem esse de subiecto, non autem creabilem ex nihilo: peculiaris tamen difficultas est de formis Cœlorum & elementorum in prima mundi productione, cùm constet nullam tunc præcessisse priuationem in materia, sed in eodem instanti temporis p[ro]ductam fuisse materiam cum formâ. Circa hoc docent Completenses q. 3. §. 2. formas Cœlorum non fuisse educatas, sed concreatas, ad creationem totius. Idemque censent dicendum q. 4. de formis elementorum, in prima sui productione. Trobant primum ex D. Th. 1. p. q. 46. art. 3: vt ipsi notant, hac ratione, partes perse non fiunt sed ad productionem totius comproducuntur: at Cœlum & elementa creata sunt, ergo formæ illorum non fuerunt educæ sed concreatae ad creationem totius. Confirmant ex D. Th. eadem q. 46. hoc modo, fieri ordinatur ad esse, ergo cuius est esse, eius est fieri: & quorum est coesse ad existentiam alterius, vt in partibus contingit, illorum erit compaudi ad productionem alterius, sed Contrà, ne-

gatur ideo fieri partes, quia sit totum sed potius dicendum, ideo fieri totum quia sunt partes, quia partes sunt priores toto. Deinde totum fieri, non est fieri partes, nec fieri partes, est fieri totum: sed partes vniuersitatis fieri totum. Vnde prius existunt partes, quam fiat totum, quia prius existunt partes quam vniuantur, & prius vniuersitatis debent, quam resultet totum. Ad confirmationem, fieri ordinatur ad esse, concedo, ergo cuius est esse, eius est fieri concedo, atqui solius compositi est esse, nego, quinimodo ideo totum existit, quia partes existunt, non est contra, ergo totum existit per existentiam partium, non partes per existentiam totius, quia totum nullam habet existentiam nisi quam mutuatur a partibus vniuersitatis, vnde docent Philosophi totum non distingui realiter a suis partibus vniuersitatis, & concedunt Complutenses, q. 4. de composito. §. 3.

DEINDE profitentur se assertores esse doctrinæ Diuini Thomæ, at docet Doctor Angelicus 1. p. q. 90. art. 2. ad 2. eam formam educere de potentia materiæ quæ dependet a materia in suo fieri, & conseruari, ut recte notat Ruuius q. 2. in 1. probatione: at qui formæ Cœlorum & elementorum sunt huiusmodi, quia producuntur fuerunt in materia, & conseruantur in materia, ergo fuerunt educatae, non creatæ, quia illis conuenient omnes conditiones veræ educationis nempe dependere in fieri & esse a materia. Vrgent aduersarij, omnis vera educatio est mutatio subiecti de priuatione ad formam, atqui nulla præcessit priuatio nisi imaginaria, quia eodem instanti quo materia fuit producita, eodem etiam habuit formam Cœlestem vel elementorum, ergo formæ Cœlorum & elementorum in primâ sui productione non fuerunt educatae, sed concreatae. Sed contraria, nam idem instans temporis secum patitur tria instantia naturæ, in 1. fuit facta materia ex nihilo per creationem, in 2. educata fuit forma ex materia per generationem, in 3. fuit unita materiæ, vnde resultauit totum: quare.

CONCEDIT quidem Ruuius formas cœlorum & elementorum fuisse educatas, sed non genitas: quia ta-

lis eductio non fuit vna mutatio , ait enim mutatio dicit transitū alicuius subiecti ad vnā formā in alterā, velsaltem à priuatione præexistente : sed materia Cœlorū & elementorum non transiuit ab vna forma ad alteram , nec à priuatione ad formam, ergo non fuit vera mutatio nec proindē generatio, sed tantum evactio, adducit ad se Aristotelem lib. 1. de gen. cap. 4. vbi habet quod generatio sit mutatio totius in to-tum nullo sensibili remanente : at qui productio formæ Cœlorum & elementorum non fuit mutatio, quia nulla præcessit forma corrumpeuda, nec vlla priuatio expellenda , ergo nec fuit generatio. Sed contraria, nam ex eodem, q. de principijs, forma præcedens se habet per accidens ad generationem , ergo generatio non est mutatio de formâ in formam: sed tantum de priuatione ad formam , præcessit autem priuatio saltem natura,in prima rerum productione, ut fuit ostensum, quare.

DICENDVM est, i. formas Cœlotum & elementorum non fuisse concreatas ad creationem materiæ, neque ad creationem totius, sed eductas de potentia materiæ ; nā concreari nihil est aliud quā plura entia vel multiplici actione diuersa vel eadem indiuisibili produci simul ex nihilo , atqui formæ Cœlorum & elementorum nec eadem indiuisibili actione , nec multiplici diuersa , productæ fuerunt cum proprijs materijs ex nihilo, ergo concretæ non fuerunt , sed eductæ vnum enim infertur ex alio. Quod non eadem indiuisibili actione, probatur nam distincti termini postulant distinctas actiones ibi autem sunt distincti termini nempe materia & forma:deinde, conseruatio rei nihil differt à prima sui productione continuata, atqui potest conseruari materia sine forma & forma sine materia, ut patet de anima rationali, ergo materia & forma non sunt eadem indiuisibili actione. Quod neque etiam multiplici actione creativa patet. Nam quale est existere:tale fuit fieri & quale fieri tale est operari : atqui operari & esse formæ Cœlorum & elementorum dependent à ma-

teria, ergo & earum fieri & sic non fuerunt productæ ex nihilo. Deinde, si quid impediret quominus Cœlorum formæ dicerentur educi de potentia materiæ, esset maximè quia sunt incorruptibiles: at hoc nihil obstat quinimò hoc maiorem arguit dependentiam à materia: nisi enim materia illis vniuersitatem indissolubili nexu, deperirent, ergo maximè dependent à materia. Probatur efficaci ratione de formis elementorum & eodem modo philosophandum, de Cœlestibus. Formæ elementorum quæ de nouo fiunt dum inter se transmutantur, aut cum in mixta conuertuntur vere dicuntur educi de potentia materiae, ergo, & cum primò productæ sunt elementa. Probatur consequentia, nam 1. elementorum formæ quæ modo fiunt sunt eiusdem speciei cum ijs quæ initio mundi productæ fuerūt 2. quidquid in ijs quotidianis transmutationibus elementorum reperitur, inuenire est etiam in prima illa productione præter corruptiōnem formæ præcedentis in materia, quæ omniaq; per accidens est ad veram eductionem. ergo quemadmodum haec quotidiana transmutatio elementorum est vera eductio, ita & illa prima productio.

DICENDVM 2. eductionem formæ Cœlorum & elementorum in primâ sui productione fuisse veram generationem. Probatur nam tota essentia generationis sita est in mutatione de non esse formæ ad esse formæ in materia: atqui eductio forme Cœlorum & elementorum fuit huiusmodi, ergo fuit vera generatio, nec dicas eductionem esse alienam à generatione: si nulla præcesserit forma, quia concedunt omnes, totam essentiam generationis sitam esse in mutatione de priuatione ad formam in materia.

**QVÆSTIO V.**

*Utrum forma viuentium educantur, Num ha-  
beant proprias subsistentias & Num possint  
plures forma simul informare  
eandem materiam.*

**T**RIA esse viuentium genera docet Aristoteles lib. i. de anima , nempe vegetativum, sensituum & rationale: vnde triplex sit anima oportet, vegetativa, sensitiva, rationalis. Docuere omnes Philosophi Aristotele vetustiores, triplex illud genus animæ de potentia materiæ educi, quod putauerint etiam rationalem per traducem produci, in quem errorem incidit Tertullianus lib. de Carne Christi: sed hæc per se satis refellitur opinio, quod ex fide habeamus animum nostrum immortalem esse & ostendemus, cum Deo, in lib. de anima. Quare absolute.

**D I C E N D U M** est, Omnes animas plantarum, arborum, & brutorum animalium verè educi de potentia materiæ, solam animam rationalem non educi, sed creari; prima pars patet, Nam formæ illæ fiunt in materia concurrente, & tandem resoluuntur in materiam: nec possunt viribus naturæ extra materiam subsistere: Quis enim unquam vidit animam bruti aut plantæ alicuius extra suam materiam? Deinde ex seminibus in terram immisis videmus pullulare plantas, herbas, segetes, arbores, ergo fiunt virtute seminali: quidquid autem sit ex semine, ex subiecto dicitur fieri, ut patet, ergo idem dicendum de animabus sensitivis brutorum, nec enim fiunt ex nihilo sed ex semine, ut colligitur ex earum dependentiâ à corpore eiusque organis; quia neque imaginatione, neque sensu communi quidquam possunt percipere

percipere, nisi per species corporeas à sensibus exteri-  
nis mutuatas. Id colligitur etiam ex earum extin-  
ctione cum corpore, non enim superstites remanent  
post corporis interitum sed pereunt omniō : id au-  
tem quod non educitur de potentia materiae, separa-  
tum potest existere à materia , nec ab ea depeudet  
absolute in suo operari ut patet de anima rationali  
quæ separata existit, intelligit, vult. Quòd si prout  
vnitur corpori egeat organis, ut plures sui operatio-  
nes exerceat cuiusmodi sunt nutritio, augmentatio,  
sensatio, visio, auditio, &c. Id sanè illi conuenit non  
formaliter quâ rationalis, sed quâ virtualiter sensi-  
tiua; & id satis arguit animā sensitivā educi de poten-  
tia materiæ, non autē rationalem, sed hæc pars pro-  
betur. Diximus in assertione animam rationalem non  
educi, sed creari, quia quidquid educitur corporeum  
est, & corruptibile, anima nostra neque corruptibilis,  
neque corporea, ergo educibilis non est. Quòd sit in-  
corporea patet, nā est tota in toto, & tota in qualibet  
corporis parte : quod sit incorruptibilis, docet fides,  
& ratio dictat , quia appetit immortalitatē & nullus  
appetitus insitus à natura, est frustra, cùm natura ni-  
hil efficiat frustra, sed de ijs fusiūs in lib. de anima.

**Q** uæ s t i o n e m mouet Ruuius, vtrum anima  
nostra, prout vnitur corpori, habeat propriam subsi-  
stentiam partialem, distinctam à subsistentia partiali  
materiæ; vndè potest etiam oriri dubium, vtrum aliæ  
animæ plantarum & animalium, necnon & cæteræ  
formæ, Cœlorum, elementorum, & mixtorum non  
viuentium, habeant etiam proprias sibi subsistentias  
partiales.

**P**ROPONIT Ruuius q. 4. de forma, nullum esse Phi-  
losophorum, qui eas partiales subsistentias concedat  
formis materialibus, licet nullus sit præter Thomistas  
& Ruuium qui eas non admittat. Scribit igitur ipse q.  
4. formas materiales omnes carere propria subsisten-  
tia partiali & citat pro se D. Th. 1. p. q. 45. art. Fonse-  
cam 5. M. cap. 8. q. 5. & Suarium tom. 2. Met. disput.  
34. sect. 5. num. 14. eius verba sunt, subsistere per se

dicit subsistere, sine dependentia à subiecto à quo aliquid sustentatur per inhærentiam: sed forma materialis dependet in suo esse à materia tanquam à subiecto in quo inhæret, & à quo sustentatur, ergo non conuenit illi subsistere per se, etiam partialiter. Sed contrà, nam statim addit illum modum, quo forma existit in materia, non esse accidentalem, sed substantialem, atqui omnis modus existendi substancialiter est subsistentia, non inhærentia, ergo, forma habet subsistentiam non inhærentiam. Fingere autē modum existendi, medium inter inhærentiam & subsistentiam inauditum est, & non debet admitti, cùm omne ens sit ens per se, vel per aliud. Dicit, ille Doct̄or, modum existendi formarum in materiâ, esse inhærentiam substantialem; sed repugnantia est in ipsis terminis; nam omnis inhærentia est accidentium; quemadmodum omnis subsistentia est substantiæ, nec enim differt substantia ab accidente, nisi per subsistentiam, neque accidens à substantiâ, nisi per inhærentiam. Deindè, scribit Ruuius quæst. 4. de materia duplē esse subsistentiam, nemp̄ totalem & partialem; totalem autem ait esse totius compositi, ergo partiales sunt materiæ & formæ oportet, maximè cum tota essentia compositi fiat ex partialibus, essentijs partium, totalis existentia compositi ex partialibus existentijs Partium, & totalis subsistentia compositi ex partialibus subsistentijs partium, vt colligere est ex eodem Doctore cap. 3. qu. 1. de distinctione totius à partibus vnitis, vbi docet totum esse realiter idem cum partibus vnitis. Si enim totum sit idem secundum essentiam, existentiam & subsistentiam cum suis partibus vnitis, sequitur planè eius essentiam non distingui ab essentia partium, nec eius existentiam & subsistentiam, ab existentia & subsistentia partium: atqui, si forma non habeat propriam subsistentiam, nec materia nisi partiale, totum verò totalem; sequitur totum secundum suam existentiam distingui realiter à partibus vnitis vt patet, quia eius subsistentia non erit subsistentia

formæ neque materiæ, ergo, vel totum distinguitur realiter secundùm existentiam à partibus vnitis; vel materia & forma habent subsistentias partiales, ex quibus resultat subsistentia completa totius. Quo posito, sic arguo subsistentia totius distinguitur realiter, à subsistentia partium, ergo substantia totius differt realiter à substantia partium, quia subsistentia est formale constitutuum substantiæ: atqui secundum Ruuium, substantia totius est eadem cum substantia partium, ergo subsistentia totius est eadem cum subsistentia partium, & sic materia & forma habent suas proprias subsistentias, ex quibus resultat subsistentia totius, quemadmodum essentia totius resultat ex essentia partium, secundùm veram philosophiam.

DICENT Complutenses q. 2. de forma §. 2. partes non fiunt per se primò, sed per productionem totius, ergo per se non habent subsistentiam, sed subsistunt per subsistentiam totius: ratio eorum est, quia totū est terminus productionis, & fauet Ruuius quâ parte docet formam esse terminum, quo, generationis, totum verò terminum. quod. Sed contrà, nam scribunt Complut. q. 4. de composito. §. 3: totum distingui sola ratione ratiocinata à suis partibus vnitis, ergo realis essentia totius est realis essentia partium: & realis existentia ac subsistentia compositi, realis existentia & subsistentia partium componentium, & sic materia & forma habent sibi partiales subsistentias. Deinde falsum est partes produci per productionem totius, sed potius totum per productionem partium, quia partes sunt priores toto, & ideo existit & subsistit totum, quia partes existunt & subsistunt, non è contrà, deindè fieri totum non est fieri partes, sed partes vni.

DICENDVM est igitur omnem animam vegetatiuam & sensitivam, necnon omnes formas corporeas Cœlorum, elementorum, & mixtorum habere sibi proprias subsistentias. Ratio est eidens, quia sunt substantiæ, ergo per se subsistunt, omnis enim sub-

stantia dicitur à subsistendo , vel à substando accidentibus. Nec obstat quòd omnis forma sit in materia, quia illi non inhæret , nec inexsistit, sed consistit: vnde, non est in materia tanquam in subiecto inhæsionis, sed tanquam in subiecto informationis , seu constitutionis , quia cùm materia constituit totum. Et sanè eodem modo philosophandum est de cæteris formis , ac de anima rationali , quatenus forma est: atqui quatenus forma est, & actus primus substantialis corporis Physici organici, habet propriam subsistentiam & tamen corpori inexsistit, seu consubsistit, ergo pariter cæteræ formæ habent proprias subsistentias, quibus materiae inexsistunt, seu consubsistunt. Fit igitur totum ex materia & forma subsistentibus per se, per proprias subsistentias , itavt essentia , existentia & subsistentia materiae, se habeant, ad essentiam, existentiam, & subsistentiam formæ , vt potentia se habet ad actum.

**Q**UESTIO est , vtrum plures formæ possint simul subsistere in eadem numero materia : & in pluribus materijs vna & eadem numero forma, quoad primū negant aliqui vlla virtute naturali & supernaturali, plures formas totales non subordinatas eamdem numero materiam simul actu informare : partiales vero & subordinatas id posse. Formæ totales , sunt quæ per se sufficiunt ad totum constituendum, nec ullam inter se admittunt subordinationem, vt forma ligni, ignis , lapidis <sup>accipitro</sup> partiales vero quæ per se non sufficiunt, sed <sup>accipitro</sup> materia sua subordinantur formæ principi, cui subseruiunt, vt sunt forma ossis, carnis, nerui, tendonis & aliæ huiusmodi , quæ in ipsis viuentibus reperiuntur subordinatae animæ tanquam formæ superiori quæ totum constituit in propria specie. Aliunt itaque in singulis viuentibus præter animam dari quidem formas partiales : sed neque via naturali, neque supernaturali. Dari plures totales in eadem numero materia; probant. 1. ex incapacitate materiae quæ vñica expletur forma. 2. ex incompossibilitate formarum & cōtrarietate qualitatum. Videmus enim

vnam expellere aliam , & materiam satis expleri per vnicam formam, licet potentiam habeat ad omnes; vnde concludunt, materiam appetere quidem omnes sed illas non posse simul introduci , sed successuè tantum , propter mutuam oppositionem & qualitatem contrarietatem. Stabiliunt suam opinionem, tūm ratione, tūm ex absurdis quæ indē sequerentur. Ratio est , quia immitaretur rerum vniuersi ordo, qui postulat, vt vni materia, sit vna forma, & decet diuinam sapientiam omnia efficere cum ordine, pondere & mensura , iuxta illud ; quæcunque sunt à Deo ordinata sunt. Præterea eius diuina scientia practica, qua nihil differt à sua omnipotentia, principium est & origo, seu exemplar totius ordinis, ergo nihil potest cadere sub diuinam omnipotentiam quod alienum sit ab ordine, pondere, mensurâ: atqui si plures essent formæ,disparatæ & totales in eadem numero materia, ibi inesset maxima rerum confusio, inordinatio, inæqualitas, & primum chaos videretur induci in rerum naturam , ergo probabilitas est non posse plures formas simul informare eamdem numero materiam.

P L V R A etiam sequerentur absurdæ. I. enim plures homines essent vnuus homo; plures leones , vnuus leo , vel etiam vnuus homo esset multiplex homo : & vnuus leo, multiplex leo ; quia suppono plures animas rationales, pluresque animas leonis, simul idem corpus informare. Secundò, non est potior ratio cur plures animæ hominis & leonis, vnicam actuent materiam , quam animæ omnium aliorum animalium; supponatur igitur in vna & eadem numero materia ponи animam rationalem & animam leonis, animam lupi & ouis : animam vulpis & gallinæ : elephantis & acari : ergo idem corpus erit magnum & paruum quadrupes & bipes: quod inuoluit manifestam reputantiam. Ponantur etiam simul in eadem materia animæ omnium avium, perdicis, corurnicis, psyraci, philomelæ, turdi, merulæ, noctuæ, turturis, &c. Ergo ibi poterunt singulæ edere suos cantus , ergo

suauiſſima omnium musica audiri : quid ſauuius? ſed quid absurdius? melius eſt igitur ſi dicamus id non poſſe fieri ex parte rei, maximè cum tot reſultarent chimeræ, nec vnum reſultaret ex ijs omnibus formis compositum, nec plura; vel ſimul vnum, & plura propter vnitatem materiæ, & pluralitatem formarū.

**I**D E M docent Complutenes q. 6. de forma §. 2. vbi afferunt implicare contradictionem, quod duæ formæ ſubſtantiales ſint ſimul in eadem portione materiæ: addunt ſub finem §. implicare etiam quod vna & eadem numero forma ſubſtantialis informet ſimul duas portiones materiæ, & eorum ratio eſt huiuſmodi, ſicut materia dat ſe formæ per modum ſubiecti: ita forma dat ſe materiæ per modum actus: ergo ſicut repugnat vnam materiam dare ſe ſimul duabus formis per modum ſubiecti, ita & eamdem formam communicare ſe ſimul duabus materijs. Proband primum hoc modo, duæ formæ ſubſtantiales ſeipſis ſunt immediatè incompossibiles, ergo ſi ſemel Deus vult formam aliquam informare quamdam portionem materiæ non poteſt velle, quod eadem materiæ portio ſimul informetur ab alia forma. Sed eorum ratio procedit de via ordinaria, non autem de potentia absoluta Dei. Quare repondeo in forma poſitâ formâ in materia non poteſt impediri eius effectus formalis qui eſt expellere alteram formam, de via ordinaria, concedo, de via extrodinaria, nego. Quinimò dicunt aliqui, etiam de via ordinaria poſſe ponи duplē formam ſubſtantialem ſimul in eadē portione materiæ, ut contingit in ferro ignito, ſed id falſum. Nam ferrum ignitum quidem eſt, ſecundum partes ſubtiliores ſuperficierum, quæ amiferunt formam ferri: at non ſecundum partes ſolidiores ferri quæ retinent ſemper formam ferri: quare.

**DICENDVM** eſt, poſſe plures formas ſubſtantiales eiusdem ſpeciei ſimul informare eandem numero materiam; & vnam & eamdem formam, ponи in pluribus materijs realiter diſtinctis. Ratio eſt, quia incompossibilitas formarum non petitur ex illis, ſed ex

dispositionibus quæ solæ contrariæ sunt , quia substantiæ nihil est contrarium : atqui formæ eiusdem speciei habent easdem dispositiones, ergo non videatur repugnare , quin poni possint simul plures in una eademque numero materia. Hoc sensu plures animæ rationales possent actuare idem corpus humanum, plures animæ leoninæ plura corpora leonū , & sic de cæteris : sed nullo pacto si essent diuersæ speciei, propter impossibilitatem dispositionum , alia enim organa interna petit anima acari , alia anima bouis, aliamque configurationem externam petit anima humana, aliam anima leonis : & sic de cæteris. Præterea aqua petit frigus , & humiditatem ; ignis verò calorem & siccitatē, ergo, nequeunt illæ formæ simul se compati propter naturales qualitates, nisi velis eas esse quidem simul secundum entitatem at non secundum actiuitatem, quod probabile est. Secunda pars patet, nam potest Deus simul ponere idem corpus in pluribus locis, & idem numero accidens in pluribus subjectis, ergo & eandem numero formā in pluribus materijs. Et sanè si mea vox possit simul recipi in pluribus auribus , quidni , eadem forma in pluribus materijs, præsertim cum id fiat de potentia Dei aboluta? non video repugnantiam. Sed progrediamur.

## QVÆSTIO VI.

*Vtrum forma sit tota essentia compositi ;  
Num sit nobilior materia  
& toto composito.*

**C**VM constet ex dictis , totum Compositum Physicum fieri ex materia & formâ, quemadmodum ex genere & differentia fit species, & ex corpore & anima fit homo ; quæritur vtrum tota essentia compositi consistat in sola forma , vel in materia &

forma docet Diuus Thomas 7. Met. super text. 34. & in opusculo de ente & essentia, materiam non tantum esse partem constitutiuam compositi, sed etiam specificatiuam, hac ratione, definitio explicat essentiam rei, sed materia est pars definitionis compositi Physici, ergo est pars essentiæ illius. Sed contrà, duplex est pars compositi, vna constitutiuæ altera specificatiuæ, materia est simpliciter constitutiuæ; forma vero, constitutiuæ & specificatiuæ simul. Diu Thomas opinionem stabiliunt quidam hoc modo, si sola forma est tota essentia, anima separata erit tota species humana: atqui hoc non potest dici, ergo neque id vnde sequitur. Distinguo, anima separata est tota species specificatiuæ, concedo, constitutiuæ, nego, constituitur enim species ex genere & differentia, sed specificationem sumit à sola differentiâ. Scribunt alij, materiam neque partem constitutiuam esse compositi, sed vehiculum formarum, quemadmodum subiectum, est vehiculum accidentis, probant ex definitione compositi, quod putent illud definiri eo modo, quo concretum accidentale solet describi, nempè album, subiectum habens albedinem; & ignem materiam habentem formam ignis, sed hæc rerum explanatio videtur esse ridicula.

Quare.

**D I C E N D U M** est cum Aristotele solam formam esse partem specificatiuam, actiuam, distinctam, determinatiuam, denominatiuam, & perfectiuam totius compositi Physici: materiam vero esse partem subiectuæ constitutiuam eiusdem. Ratio est, quia ex materia & forma fit totum, ergo materia & forma sunt partes illud componentes, seu constituentes; sed quia forma actuat materiam, eamque determinat ad certam speciem, perficit eius imbecillitatem, totumque denominat, atque distinguit illud à quoque alio; hinc fit ut censeatur esse tota eius essentia. Probatur quia essentiæ rerum sunt diuersæ: atqui res sublunares non differunt secundum materiam, sed secundum formam; ergo sola forma est tota rerum

essentia, stricto modo sumpta. Deinde, sicut se habet forma artefacti ad suam materiam: ita forma substantialis ad materiam primam, sed forma artefacti est tota essentia illius quod dicitur ens artificiale, ergo pari modo forma naturalis erit tota essentia compositi Physici. Deinde totum operari est ab esse rei, atqui totum operari est à forma quia materia est præ passiva, ergo.

An verò forma sit nobilior materiâ & toto composito, non est utique certum; censent nounulli materiam esse nobiliorem formâ hac ratione: incorruptibile est nobilius corruptibili, materia est incorruptibilis, forma verò corruptibilis, ergò forma, est ignobilior materia. Resp. incorruptibile est nobilius corruptibili nobilitate durationis, concedo, nobilitate entitatis, nego. Quis enim negauerit entitatem formæ esse longè perfectiorem entitate materiae, cum hæc sit pura potentia, illa, purus actus: hæc contrahibilis, informis, malefica; illa verò contrahens, informans, munifica? Forma etiam perfectior est toto composito uno sensu, imperfectior alio sensu: perfectior est, quatenus totum perficitur per formam, iuxta illud, propter quod unumquodque tale, & illud magis tale; sed imperfectior, quatenus totum præter formam complectitur materiam. Deinde, finis est perfectior medijs ordinatis ad finem, quia natura semper progreditur ad imperfectioribus ad perfectiora: atqui forma est medium ad totum, & natura ordinat materiam & formam ad totum, ergo totum est nobilius formâ. Sed hæc de forma naturali, ad artificiales accedamus.

**QVÆSTIO VII.**

*An forme artificiales educantur de potentia materie.*

**D**E formis naturalibus egimus prout educuntur de potentia passiva materiae & activa agentis, inuestigandum, an formæ artis etiam educantur ab artificibus de materia subiecta, quod est inquirere, vtrum materia subiiciatur arti, quemadmodum naturæ saltèm secundùm quandam potentiam obedientalem, eo modo quo natura subiicitur gratiæ, & alijs qualitatibus quæ superant naturam.

**P**RIVS aduertendum est, formas artis tanta cum diuersitate fieri, ut difficile sit admodum statuere quod pacto ab ipsis artificibus attinguntur. Aliæ enim non alio modo fiunt, quam motu locali partium materie, & varia illarum dispositione, seu configuratione extera, vt dum figulus ex argilla vasculum fingit: ex rudi enim & informi luto in orbem circumacto, & partibus illius diuerso modo ad se inuicem appositis huius aut illius vasis formam educit. Interdum vero sola applicatione alicuius instrumenti, ut cum admoto sigillo corpori molliusculo characterem imprimit. Aliquando vero remotis quibusdam partibus, noua quasi exurgit forma; ut cum dolabrum lignum expolitur, aut alio quoquis instrumento ita configuratur, vt ex illo ( quod dicitur ) fit Mercurius. Alias etiam contingit, vt ex varijs corporibus coagmentatis, seu compactis forma resultet artis; vt cum ex trabibus, lapidibus, alijsque huiusmodi fit domus. Atque alijs etiam modis contingere potest, vt fiant artefacta, quæ omnia recensere nimis effet longum. Quærimus tamen, vtrum vniuersum loquendo formæ artis educantur de potentia subiecti.

DICENDVM est, formas artificiales non propriè, sed per analogiam tantum educi de potentia subiecti. Id enim propriè dicitur educi, quod posituum est & reale, fitque actione distincta ab ea qua sit eius subiectum : formæ autem artificiales non sunt entia positiva ratione sui, sed ratione subiecti tantum, cùm ex se nihil sint aliud, quām materia ipsa ex qua fiunt, hoc aut illo modo disposita, ergo participant tantum analogicè rationem educationis, eo quod fiant in subiecto, & conseruentur dependenter à subiecto, ad similitudinem formarum realium. Quod autem non sint reales, positivæ, patet 1. quia fiunt ab arte, & ars non attingit opera naturæ. 2. quid reale advenit ligno, dum ex illo sit statua, aut aliud quodvis opus artefactum ? sanè nihil præter configurationem externam, quæ aut nihil est, aut si sit aliquid, non saltem realiter superadditum subiecto. Si enim concipiatur ut aliquid superadditum, sanè est ens rationis, cùm concipiatur aliter quām sit. Vnde dupliciter possunt formæ artis concipi, primò materialiter pro materia ipsa hoc aut illo modo disposita, & sic concipiatur aliquid reale. 2. pro sola configuratione, abstractando ab omni materia, & sic sit ens rationis: concipiatur enim aliquid quod neque est, neque esse potest. Quidni enim potest fieri, ut illa configuratio externa ligni in statua sit aliquid realiter diuersum à ligno ? certè non video. Sed ad formam substantiam eiusque vniōnem cum materia : redeamus.

## Q V A E S T I O V I I I .

*Virūm ex materia & forma fiat vnum per se;  
immediatè, vel mediante vniōne.*

**A**RISTOTELES, s. Met. text. 13. ens diuidit in vnu per se, & vnum per accidens, vnum per se, dicit

esse illud quod vnam habet essentiam, vnicā definitione explicabilem, vt homo, lapis: vnum per accidēs, quod vnam non habet essentiam, sed plures, nec vnicā, sed multiplici explicatur definitione, vt album, exercitus. Vel vnum per se, fit ex potentia & actu essentialiter ordinatis ad vnum: vnum per accidēs, ex pluribus entibus cōpletis, non subordinatis ad vnum sed tantum accidentariō. Quæritur vtrūm ex materia & forma fiat vnum per se vel vnum per accidens.

**VTRVMQUE** négant aliqui, hac ratione; ens per se vnum, est ita vnum, vt omnem excludat à se pluralitatem: sed compositum ex materia & forma, non est huiusmodi quia includit plura, ergo, non est per se vnum. Sed contrā, ens per se vnum vnitate simplici, vt Deus; excludit à se omnem pluralitatem, concedo, ens per se vnum, vnitate cōpositionis essentialis, nego. Vrgent, id non est vnum, quod est plura, sed compositum est plura cum non sit aliud quām materia & forma; ergo non est vnu. Distinguo, non est vnu simplex, concedo, non est vnu cōpositum, nego. Vrgēt 2. id non est vnu per se sed per accidens, quod nō est tale ex se, sed per aggregationē multorum: atqui cōpositum Physicum est vnum per aggregationē multorū, fit enim ex materia, forma, vniōne, & accidētibus alijs ergo, non est vnu per se, sed per accidens. Sed contrā, nam fit essentialiter ex materia & forma, & sic est vnu per se: fit accidentariō ex alijs accidentibus, & sic est ens per accidens. Sed non quærimus, nisi vtrūm fiat vnum per se, ex materia & forma & iuxta hoc.

**DICENDVM** est, ex materiā & forma, fieri vnum per se. Ita Aristoteles 8. met. text. 15. vbi disertè afferit, neminem posse dubitare, quin ex potentia & actu fiat vnum per se, vel nihil esse vnum per se: & statim addit materiam & formam se habere instar potentiae & actus: vndē cōcludendum est ex illis fieri vnum per se, idque docet vniuersa Schola: sed probatur ratione: id est vnum per se, quod potest vna definitione explicari: sed compositū ex materia & forma est huiusmodi, ergo est vnum per se. Probatur mi-

nor, vnica definitione explicatur quidquid proprio constat generè, & propria differentia, sed compositū Physicum, constat materia, tamquam generè, & forma tanquam differentia, ergo est vnum ens per se. 2. ex duabus partialibus substantijs fit vna totalis, non verò multiplex; ergo ex materia & forma fit vnum ens per se non multiplex. 3. ex genere & differentia, ex potentia & actu fit ens per se vnum, atqui materia & forma sunt genus & differentia; sunt potentia & actus; ergo ex materia & forma fit ens per se. Vltimò, vel ex materia & forma fit per se vnum; vel nihil est per se Physicè vnum, quia nihil est per se Physicum, quod non constet materia & forma: vndè, cum materia sit potentia, forma verò sit actus & ex potentia & actu fiat ens per se vnum, sequitur ex materia & forma fieri ens per se vnum. Sed an materia & forma vniantur immediate per se, vel mediante aliqua vnione, videamus.

ASSERIT Ocham partes vniri per solam indistanciam sui; Thomistæ addunt indistantiæ, contiguitatem mutuam vtriusque partis. Docet Scottus vniōinem esse relationem partium vnitarum: at relatio hæc posterior est vniōne: indistantia vero & contiguitas partium, quid prius vniōne: debent enim prius accedere ad se partes, quām vniantur; & prius debent vniiri quām resultet relatio vniiri. Melius fortè qui docent, præuias dispositiones esse vniōnem, sed errant & ij, cùm dispositiones præcedant formam, & possent esse dispositiones sine forma cùm tamen nequeat esse vniō, nisi vniat actu, & nequit vniire nisi partes existent actu. Scribunt alij partes immedia-  
tè per se vniiri, sine illo nexu distincto sed ij coincidunt cum indistantia & contiguitate; probant tamen hoc modo; materia est essentialiter potentia, & forma intrinsecè est actus, & earum quælibet ingenita propensione in alteram prope nitit ut totum componar ergo nullo alio superaddito possunt vniiri. Sed contra, nam homo naturali propensione tendit ad bonum & tamen nequit vniiri bono, nisi quodam me-

dio. Vrgent; materia & forma sese immediatè respiciunt, ergo per se immediatè vniuntur. Sed contrà nam respiciunt se. vt vnibiles per medium quoddam. Id patet ex Aristotele 6. eth. vbi, ait nullum finem acquiri posse nisi per media : atqui forma est finis materiæ , & totum est finis formæ , ergo vniuntur quodam medio.

SCRIBIT Ruuius q. 6. de formâ hanc fuisse mentem D. Th. 3. contra gentes cap. 7. materiam & formam immediatè vniiri : sed tradunt Complutenses q. 2. disp. 6. de compo. sanctum Doctorem contrarium docere 1. p. q. 76. art. 1. in solut. ad 6. quare afferunt necessarium esse aliquem nexum ex natura rei à partibus distinctum ; idemque tenet Ruuius. q. 6. probatque disertis verbis. Quamobrem.

DICENDVM est materiam & formam non vniri immediatè. Ratio est, quia possunt existere materia & forma intimè præsentes , & tamen non vniri , vt patet in anima rationali quæ sit in corpore organico creatione , & postea vnitur generatione , ergo cùm vniatur adueniet illis partibus aliquid de nouo, quod antea neutri illorum intererat, quo formaliter vniatur, & sic admittenda est tertia aliqua entitas à materia & forma distincta quâ dicantur inter se formaliter copulari. Confirmatur, quia non potest fieri transitus à contradictorio ad contradictorium, nisi aliqua interveniat in re mutatio : atqui totalis fieret transitus si non admitteretur in composito Physico vinculum à materia & forma distinctum, ergo illud concedendum est. Maior est certa, neque enim mens concipere, potest, quo pacto res aliqua transeat à non esse vniito ad esse vnitū, nisi fiat in ea aliqua mutatio, & aliquid de nouo acquirat, quod antea non habebat, per quod dicatur vniri. Deindè , partes compositi iam vnitæ, cùm antea non essent vnitæ, nouam habent relationem seu respectum qui dicitur à Philosophis relatione vniōnis , ergo debet assignari in composito fundatum talis relationis , quod sit distinctum ab entitate partium , quia possunt existere partes & non

vniri , ergo dum vniuntur aduenit illis aliquid de nouo , quo vniantur . Sed rursus si partes vniantur per solam contiguitatem & indistantiam , nullum datur continuum , sed tantum contiguum , vel continuum , & contiguum erunt idem : id autem repugnat Aristoteli , qui continua distinguit à contiguis , dum hæc definit , quorum extrema sunt simul ; illa verò quorum extrema sunt idem , ergo dantur continua ; atqui nullum continuum , cuius partes non vniantur communi vinculo , & totum compositum Physticum vnum ex continuis est , non enim est quantitas discreta , ergo eius partes communi vinculo vniantur oportet . Ultimò , in homine , vnio est terminus ut quo , generationis , totum verò compositū , terminus , ut quod , atqui per generationem non fit materia , neque forma , quia utraque fit creatione , ergo fit vnio . Quare indistantia partium est conditio ; contiguitas , medium necessarium , dispositiones , præcedunt educationem formæ , & consequēter vniōne ; relatio vero vniōne posterior . Partes enim ut vniantur debent disponi , intimè affici , & deindè vniōri nec dicas vniiri vniōnem per aliam vniōnem , quia vnio vniendo vnitur , quemadmodum actio fit efficiendo . Sed an illa vnio , sit vna vel multiplex , Videamus .

## QVÆSTIO IX.

*An vnio materie & formæ sit multiplex  
vel una.*

**Q**UEMADMODVM fuerunt aliqui qui nullam admiserunt vniōnem in composito distingui à partibus ; ita fuerunt aliqui qui duas posuere , alteram ex parte materiæ alteram ex parte formæ . Alij verò vnicam tantum admittunt quæ utramque attingat

partem. Qui vnicam ponunt, probant hoc modo, non sunt multiplicanda entia sine necessitate: multiplicantur autem si duæ ponantur vniōnes, quia vna sufficit: si enim vnicō punctō duæ lineæ coniungantur, ut fatentur cum Aristotele omnes bene sentientes, quidni ad coniunctionem materiae cum forma sufficiat vniō substantialis vnicā? Et sanè, data altera vniōne, vel vniōt duo extrema vel non: si vniat, superflua est altera, si non vniat, ergo non est vniō, quippe quæ non habet suum effectū formalem. Nullibi enim potest esse vniō quin vniat, quia eius essentia non sīstit in aptitudine, sed in actuali exercitio vniendi. Confirmant, nam vniō quæ se tenet ex parte materiae, vel attingit formam simul cum materia, vel solam materiam: si vtrāque attingit, certè vtrāque vnit, atque ita illa vna sufficit: si vtrāque non attingit, sed solam materiam, sanè eam non vnit formæ, nec consequenter ea, quæ se tenet ex parte formæ, vniōt formam materiae, quia non attingit materiam, aut si attingat, illa sola sufficit, & alia est superflua, Quo posito sic arguunt, nec per vniōnem fit talis cōiunctio, neque per vniōnem formæ; quia illa, quæ est ex parte materiae, non attingit formam, neque illa quæ ex parte formæ, attingit materiam, ergo, duplex vniō superflua est, & sufficit vna.

HANC opinionem sequitur Ruuius q. 6. tract. 2. de forma: & probat hac ratione, vniō partium ordinatur ad vnitatem compositi per generationem efficiendi tamquam ad finem; hanc autem vnicam esse constat, ergo vniō partium vnicā erit. Sed contrà, vniō partium ordinatur ad vnitatem compositi, concedo, ergo quo modo compositum est vnum, ita & vniō partium, concedo; quis autem non videt compositum esse vnum, ex pluralitate partium, & consequenter secundum illum, vniōnem esse multiplicem. Complutenses q. 3. de composito. §. 2. scribunt vniōnem esse vnicam entitatiū, realiter vero formaliter multiplicem, ut sensus sit, eamdem indivisiibilem entitatem, attingere duo quæ vnit: adeo ut

cius

eius entitas sit quidem simplex , sed eius officium sit duplex,vnire nempe materiam formæ,& formam materiae. Et sanè id videtur verum , nam idem nexus qui vnit materiam formæ , vnit item formam materiae, quia nequit vnum vniri alteri,nisi alterum alteri vniatur,vt patet.Sed videndum , vtrum ille nexus sit indiuisibilis necnè hoc est , vtrum sit simplex entitas , an composita ex duplice partiali : & arbitror esse non simplicem entitatem , vt volunt Complutenses , sed multiplicem partialem.Quod probo ex illis in resp.ad 44. nam, aiunt, causalitates materiae & formæ , sunt illarum nexus , & illarum nexus est earum causalitas atqui causalitates materiae & formæ , non sunt vna simplex entitas , sed composita ex multiplici partiali; quia per eos , eodem loco , causalitas materiae est sustentatio, causalitas verò formæ est informatio , & informatio realiter differt à sustentatione , ergo vno non erit vna simplex entitas , sed composita ex multiplici partiali. Quod autem sustentatio sit entitas realiter diuersa,ab informatione probatur , nam materia & forma sunt causæ realiter distinctæ , ergo earum causalitates, realiter differunt. Ratio est eidens nam fiunt causæ per causalitates; quemadmodum album & nigrum, fiunt huiusmodi,per albedinem & nigredinem, Quare.

D I C E N D U M est, admittendas esse duas vniōes partiales, inuicem in fieri & conseruari, dependentes, quarum altera se tenet ex parte materiae , altera ex parte formæ , & ex quibus resultet vna totalis composita. Probatur 1. ex ratione quâ Ruuius probat oppositam sententiam. Ait enim quoad sensum , vno partium desumitur ex vnitate compotiti : atqui vnitatis compotiti non est simplex entitas , sed composita ex materia & formâ , ergo, vno partium erit quidem vna, sed non simplex entitas , sed composita ex causalitate materiae,& causalitate formæ. Quod autem vno sit causalitas materiae & formæ vel ex eo constat , quod in toto compotito , nihil sit aliud substantiale præter materiam ; formam , & sustenta-

tionem ex parte materiæ, informationē verò ex parte formæ. Probatur 2. nā codem modo philosophamur de materia & forma, quo de vnione accidentium in subiecto: atqui accidens vnitur subiecto per actualē inharentiam ex parte sui, & per sustentationem ex parte subiecti, ergo etiam forma vnitur materiæ per actualē informationem & per actualē sustentationem. Aduerte igitur, formam vniri materiæ, cum sese communicat materiæ: & materiam vniri formæ cū se se dat in subiectum formæ. Vnde, duplex illa vnio, est modus quidam substancialis corporeus, quo posito vniuntur partes, & fit totum. Dixi corporeum, vt scias etiam informationem animæ nostræ corpoream esse, quia educitur de materia per generationem actualē, quæ in nobis est tantum vnitio partium, cùm partes ipsæ, fiant per creationem. Sed an totum resultans ex materia & forma vnitis, sit tertia aliqua entitas realiter distincta ab illis, hoc in lite est, sit igitur.

## Q V A E S T I O . IX.

*An totum compositum distinguitur à suis partibus vnitis.*


**E**ST & hæc quæstio excutienda, an totum differat re, à suis partibus vnitis: neque enim potest esse totum, nisi partes sint vnitæ. Sed multiplex est totum, vnum Logicum; aliud Metaphysicum; aliud verò Physicum. Logicum est enunciatio constans subiecto prædicato, & copula; vel syllogismus constans tribus terminis; iuxta formam, figuram & modum coadunatis. Metaphysicum est species, constans genere & differentia: Physicum verò, vel est per accidens, vt aceruuſ lapidum: vel per se, & est duplex, integrale, & totum substanciale. Integrale, est vel omogeneum cuius partes sunt eiusdem rationis vt

aqua, vel eterogeneum cuius partes sunt diuersæ rationis, ut homo constans capite, brachijs, pedibus, &c. totum verò substantiale seu Physicum, est illud quod fit ex materia & forma vnitis. Posset esse quæstio de singulis in suo genere, sed de toto Physico est mox agendum, & ex illius distinctione à suis partibus vnitis poterit quis apud se statuere quid sit de alijs sentiendum. Docent Scotistæ vna cum præceptore. 3. Met. qu. 4. totum compositum ex materia & forma, esse quandam tertiam entitatem realiter distinctam à suis partibus vnitis. Probant 1. hac ratione, id quod ad aliud ordinatur, tamquam medium ad finem, realiter differt ab eo, quia nihil potest esse sibi ipsi medium, & finis: at qui, partes vnitæ, sunt media ordinata ad totum, tanquam ad finem, ergo partes vnitæ, distinguuntur realiter à toto. Quod partes sint medium ordinatum ad finem patet, nam totum non, fit, nisi præcesserint partes vnitæ. Sed contrà, id quod ad aliud ordinatur relatione reali, est distinctum realiter ab illo, concedo: ita se habent partes erga totum, nego. Totum enim non est aliud à partibus vnitis, vt se multò respiciant relatione reali. Probant 2. omnis causa differt realiter à suo effectu: partes vnitæ sunt causæ totius, ergo realiter differunt à toto. Distinguo, omnis causa extrinseca, vt efficiens & finalis, differt realiter ab effectu, concedo, omnis causa intrinseca, vt materia & forma, nego. Et ratio dictat quia id quod est intrinsecum rei, non differt realiter à re, sed id solum quod ei est extrinsecum, quia intrinsecum & essentialie rei reciprocantur.

V R G E N T alij, ex Aristotele substantia Physica est triplex, materia forma, & compositum, ergo censet Philosophus totum realiter distingui, à materia & forma. Distinguo, Philosophus censet totum compositum distingui à materia & forma diuisim sumptis, concedo: copulatiuè sumptis, nego. Ut sensus sit totum non esse solam materiam, neque solam formam, sed materiam & formam simul vnitam. Vrgent 2. quæ sunt vnum, & plura, realiter differunt, totum & par-

tes sunt vnum, & plura, ergo realiter differunt, distinguo, quæ sunt, vnum & plura, sese mutuo excludentia, realiter differunt, concedo; quæ sunt vnum & plura, sese mutuo includentia, realiter differunt, nego. Materia autem & forma includuntur, ut partes in toto. Vrgebis quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: & è contrà quæ non sunt eadem inter se, non sunt eadem vni tertio: atqui partes, non sunt eadem inter se, ergo neque eadem vni tertio, & sic realiter differunt ab illo tertio, nempè à toto. Sed contrà, quæ sunt eadem vni tertio, simplici, sunt eadem inter se concedo; quæ sunt eadem vni tertio composito, sunt eadem inter se, nego. Genus enim & differentia sunt Physicè idem cum specie & inter se, quia species est quid Physicè simplex: sed materia & forma non sunt Physicè idem inter se, quia totum non est aliquid Physicè simplex, sed compositum. Dices quæ sunt diuersa actione, differunt realiter: at totum & partes sunt diuersa actione, ergo differunt realiter: maior est certa quia productio terminatur ad existentiam, ergo ubi sunt diuersæ productiones ibi sunt diuersæ existentiae, & consequenter diuersæ res existentes. Sed contrà, totum & partes, sunt diuersa actione, concedo; totum, & partes vnitæ, nego. Actione enim qua partes vniuntur, sit & totum, quia partes vniiri, est fieri totum. Vrgebis, si totum est suæ partes, totum per se non differt à toto per aggregationem: atqui hoc pugnat cum Aristotele, ergo, totum non est suæ partes. Probatur sequela, nam si totum substantiale est suæ partes, cùm partes sint plura entia, & omne totum quod est plura entia, sit totum per aggregationem, planè sequitur totum substantiale, esse totum per aggregationem. Sed contrà, totum quod est plura entia, nullum ordinem essentialiem inter se habentia ad vnum per se conflandum, est ens per aggregationem, concedo: totum resultans ex pluribus entibus essentialiter ordinatis ad vnum per se conflandum, est ens per aggregationem, nego. Quis autem negauerit, materiam & formam ordinari essentialiter ad vnum per se conflandum. Quare.

D I C E N D U M eſt totum ex materia & forma, non  
diſtingui plusquam ratione à suis partibus vnitis. Pro-  
batur, nam si totum eſſet aliqua tertia entitas realiter  
diſtincta à suis partibus vnitis, aliiquid aliud præter  
partes & vniōnem, eſſet in toto, atqui nihil aliud eſt,  
ergo, non diſtinguitur realiter, ſed tantum ratione,  
quia alio conceptu attingimus totum, vt vnum, alio  
verò partes vnitas, vt plura. 2. in ſtatu separationis,  
vel totum haberet partes vel non, ſi non haberet, non  
eſſet totum, quia omne totum habet partes, ſi haberet,  
non eſſet separatum ab illis vt patet, ergo ſemper  
haberet partes, & tunc inciperet eſſe totum, cum in-  
ciperet habere partes, & defineret eſſe totum, cum de-  
fineret habere partes. Sed hæc de toto, ſuisque parti-  
bus; ad eius naturam & cauſas progrediamur: ſit  
igitur.



# DISPV TATIO SEX T A.

*DE NATURA, ET CAVSIS  
rerum naturalium.*



GIMVS de materia, & forma  
quatenus sunt principia cor-  
poris naturalis constitutiva:  
nunc de eisdem est agendum,  
quatenus sunt eiusdem ope-  
ratiua, & effectiuia. Vel egi-  
mus de materia & forma, sub  
ratione principij: mox agen-  
dum est, sub ratione naturæ,  
& causæ. Tradit enim Aristoteles, tunc nos habituros  
perfectam rei cognitionem, quando semel perspexeri-  
mus, quænam sint eius principia, natura, causæ, par-  
tes, proprietates, & effectus. Occurrit igitur 1. inue-  
stigandum quid sit natura: quomodo ab arte distin-  
guatur, & vtrum ars attingat opera naturæ. 2. An na-  
tura conueniat materia & formæ cœlesti & sublunari.  
3. quomodo natura differat à causa, quid & quotu-  
plex sit causa, vbi de causis in genere. 4. de causa  
materiali & formalis. 5. de causa efficiente, & ijs quæ  
ad illam spectant, fusè. 6. De causâ finali eiusque  
conditionibus. Ultimo de causa exemplari, fortuna,  
fato, & casu. Quod autem spectat ad primum sit.

---

## Q V Æ S T I O I.

*De naturâ & arte, & utrûm ars attingat  
opera nature.*

ORVM quæ sunt in tota rerum vniuersitate, vel à naturâ esse, vel ab arte, tradit Aristoteles hoc libro, & pluribus confirmat argumentis. A naturâ sunt quæcumque constant materia & forma substantiali: ab arte vero quæcumque flunt ex arte. Hoc sensu Cœlum, & elementa: mixta, perfecta & imperfecta, viuentia & non viuentia, sunt opera naturæ: statua verò, scamnum, & cathedra, sunt opera artis. Id autem discriminis intercedit inter opera naturæ, & artis, quod opus naturale habeat in se principium intrinsecum actuum & passuum generationis, corruptionis, alterationis, nutritionis, augmentationis, & loci mutationis, aliorumque motuum Physicorum: opera vero artis minimè, quatenus talia sunt, sed tantum quatenus participant naturam ipsam. Videamus enim cœlestia corpora intrinseco motu circumvolvi: elementa virtute insitâ inuicem alterari: viuentia intrinsecè nutriti, & augeti: at artefacta, nihil prorsus efficere aut pati quatenus artefacta sunt. Quamuis enim statua lignea deorsum feratur, non oritur tamen ille motus ab ea quatenus statua, sed quatenus lignea: quod nimirum lignum sit præditum grauitate: nec si calorem concipiat, id efficit quia statua est, sed quia lignum est: nec si in terram radices mittat, ex ea, statua exurget, sed lignum, aut arbor eiusdem speciei, cum illa ex qua confecta fuit statua. Vnde constat, motus generationis, vegetatiōnis, alterationis, & loci mutationis non oriri ab arte, sed à naturâ; & consequenter, opera artefacta, à naturalibus distingui, in eo quod hæc habeant

principium actuum & passuum operandi per se, non autem illa. Verum, quia opposita, oppositis magis elincedunt, de natura & arte est nobis agendum.

NATVRA sumitur. 1. pro natura naturante, seu authore naturæ; 2. pro natura naturata, seu creatura naturali: 3. pro aggregatione 1. & 2. causa, quo sensu dici solet, Deus & natura nihil faciunt frustrâ; 4. pro rerum vniuersitate, quo pacto dicimus rem aliquam existere in rerum naturâ, 5. pro essentia, seu natura cuiusque rei, siue sit substantia, siue accidens; siue realis, siue ficta: quo sensu, dicimus naturam substantiæ esse, ut per se subsistat: naturam accidentis, ut alteri inhæreat; naturam entis realis ut possit existere: naturam entis rationis ut existat in mente. Sed propriæ sumitur natura, pro sola substantia Physica, quæ cùm triplex sit, nimirum materia, forma & totum compostum, hinc sit ut triplex etiam sit natura; nempe, actiua, passiua, & composita ex vtraque.

ARS verò duplex est, liberalis & illiberalis: hæc est, quæ relinquit opus post se, ut statuaria, domiscaoria; illa verò quæ opus attingit internum, ut Grammatica, Rethorica, Logica, Musica, Arithmetica, &c. sumitur autem ars. 1. pro habitu acquisito in intellectu; 2. pro obiecto circa quod versatur habitus; pro ipso opere artefacto prout conformè est exemplari: 4. pro ipso exemplari iuxta quod debet fieri opus. 5. pro ipsa confectione operis iuxta exemplar. Definitur autem ars habitus cum recta ratione actius, siue effectiuus: vel, collectio plurium præceptionum, ad unum cumdemque finem, vitæ humanæ perutilem, tendentium: natura verò principium motus & quietis eius in quo est, primò per se & non secundum accidens. Quæritur vtrum ars attingat opera naturæ; & licet ex dictis constet, quænam sint opera naturæ & artis; tamen ad pleniorum rei explanationem.

OBSERVANDVM est, naturalia opera & artefacta, in multis conuenire, & in multis etiam differre conuenient in hoc, quod sicut naturalia procedunt à

suis causis per modum alicuius similitudinis in natura,  
quia agens naturale formam sibi similem generat  
in materia : ita artifex , effectum suum ideæ similem  
producit in materia : faber enim lignarius prius ef-  
format sibi in mente ideam cathedræ & deinde ca-  
thedralm posituam conficit iuxta illam ideam. 2. con-  
ueniunt in eo , quod sicut agens naturale progreditur  
ab imperfectioribus ad perfectiora : ita & artifex.  
Natura enim prius disponit materiam , quam inducat  
formam : pariter & artifex. 3. sicut agens naturale eger  
materia circa quam occupatur , propter debilitatem  
suæ virtutis : ita & ars , materia semper indiget circa  
quam operetur. 4. sicut in rebus naturalibus contin-  
gunt aliquando monstra , vel ex defectu , vel ex excellu  
materiæ , vel ex aliquo alio casu : ita in rebus artificia-  
libus contingere solent monstra seu peccata artis ; vt  
si quis artifex intendens efficere arcam , efficeret cy-  
taram. Differunt vero , ars & natura. 1. quia natura rei  
est ipsam et rei substantia : ars vero nec est substantia  
artificialis , nec operis artefacti. 2. quia natura est prin-  
cipium operandi : ars vero principium dirigendi ope-  
rationem. 3. differunt ex parte materiæ quia in na-  
turalibus , materia est substantia incompleta quæ  
simil cum forma constituit totum : in artefactis vero  
est substantia completa , vt lignum , aurum : & alia id  
genus ex quibus fit opus. 4. ex parte formæ quia in  
naturalibus , est substantia partialis Physica ; in artifi-  
cialibus vero quedam configuratio externa materiæ.  
5. differunt , quod forma artificialis reperiatur in  
sola superficie materiæ : in naturalibus vero , mate-  
riæ primæ viscera penetret. Sextam differentiam addit  
Diuus Thomas lib. 2. contrà Gentes capit. 76. quod  
forma inducta per artem non habeat virtutem pro-  
ducendi aliam sibi similem , ut domus domum : sicut  
forma naturalis , quæ tota apta nata est ad aliam sibi  
similem procreandam , ut ignis ignem. His positis ,  
scribit Albertus Magnus lib. 3. de mineralibus capit.  
9. Artem posse efficere effectus naturæ. Probat 1. ex  
eo quod Magi Ægyptiorum quosdam serpentes per

artem magicam ediderint. ex eo quod arte chymica possit fieri verum aurum. 3. addunt alij, ex Aristotele lib. 1. polit. cap. 5. Dedali statuas huc illucque , per artem deambulasse : & columbam Architæ, artis beneficio volasse : ut refert Gellius lib. 10. Refert & Valerius , fortunæ simulachrum Romæ via Latina l is fuisse locutum arte : sed potius crediderim id præstigijs factum fuisse, quam vlla vera arte. Quare.

DICENDVM , effectus supernaturales , à causa supernaturali; naturales à naturali : opera vero artefacta à sola arte proficiisci : itavt agens artificiale nequeat opera naturalia aut supernaturalia attingere, neque agens naturale , opera supernaturalia : licet supernaturale agens possit opera naturæ & artis , efficer; quia est causa superior continens virtute causas omnes inferiores. Ita docent communiter Doctores, Ruuius, Complutenses, &c. nulla enim causa potest effectum aliquem edere nisi illum contineat aliquo modo, formaliter vel eminenter, quia omnis effectus debet contineri in sua causa : sed ars nullo pacto continet in se effectus naturæ, ergo non potest illos edere. Probatur minor, nam ars est accidens inhærens in intellectu artificis; opus vero naturæ , est substantia: sed nullum accidens potest attingere productionem substantiæ, ut docet melioris notæ Philosophi & suppono dicendum suo loco, ergo nulla ars potest attingere productionem substantiæ. 2. ab eo fit effectus naturalis , à quo oritur operatio naturæ quia terminus operationis & operatio oriuntur ab eodem principio : sed à sola natura potest oriri operatio naturæ, ergo effectus naturalis potest tantum oriri à natura, non ab arte. Denique, si vlla ars posset opus naturæ attingere maximè ars Chymica , applicando actiuia passiuis : atqui hoc nequit dici , quia id censetur impossibile viribus naturæ applicatis per artem , quod numquam ab ipso mundi exordio potuit reduci ad actum, & numquam visum est verum aurum, arte Chymica : quidquid Chymerici dicant ( dicunt enim & nō faciūt) ergo nequitylla ars attingere opera naturæ.

DOCENT quidem Complutenses, Ruuius, de Racionis & alijs doctissimi viri, posse artem ita applicare naturam, vt indē sequatur aliquis effectus naturalis, vt dum ex applicatione herbarū & Medicamentī restituitur sanitas: aut dūm saltatio fit ad numerum ex arte; aut cantus ex arte musica; sed hoc arguit tantum artem dirigere actionem naturae sed non attingere opus naturae. Quinimō implicat artem esse naturam; & esset natura, si efficeret opera naturae. Sed ad meliora progressiamur, ars naturam imitatur, at non affequitur.

---

## QVÆSTIO II.

*An naturæ conueniat materia & forma.*

**V**T sensus quæstionis percipiatur præmittendum est, quid, & quotuplēx sit natura. Definitur natura, ab Aristotele, *principium & causa motus, & quietis eius in quo est, primò & per se: & non secundū accidēs.* Scribit Albertus hanc definitionem non esse essentialem, sed descriptiūam, quod non procedat ab essentia, sed ab effectu. Est enim natura, potius principium essendi, quam principium motus, cūm debeat esse id quod prius concipitur in re, & prius est in re esse, quam operari, vndē, melius dicetur natura, principium essendi; quam principium operandi; Nec hæc opinio sua caret probabilitate. Respondent tamen Complutenses, esse essentiale, quia datur per intima, & essentialia rei definitæ, principia. Aiunt enim, principium primum & radicale motus, non conuenire naturæ ratione alicuius accidentis, quia accidentia ad summum, sunt principia instrumentaria, non vero radicalia, seu prima motus. Ergo, id per quod, ens naturale constituitur essentialiter tale, erit etiam id per quod constituitur principium motus. Verū, dupliceiter debet spectari corpus naturale. 1. in genere,

propter simpliciter constituitur ex materia & forma, quae sunt principia essendi: 2. in specie propter sunt principia operandi, actiue aut passiuè, & utroque modo conuenit illi natura. Primo quidem, modo, quia materia & forma constituunt corpus naturale: secundo verò modo, quia materia & forma sunt principia intrinseca operandi & patiendi: & sic rectius Complutenses, quam Albertus. Ratio est eidens nam allata definitio non datur per motum & quietem, sed per principium motus & quietis: ut sensus sit naturam cuiusque rei, esse principium radicale omnium operationum naturalium, quae ab illa re proficiuntur: non autem ipsas operationes, vel earum cessationem.

Ex dictis queritur, 1. num materia & forma sint naturae partiales, totum verò compositum natura totalis. Negat Valesius controvacia 11. materiam esse naturam. 1. enim natura est principium & causa motus illius in quo est, atqui, materia nullius motus est causa, nequidem materialis, quia causa materialis motus, est subiectum in quo fit motus, & subiectum in quo fit motus, non est materia, sed totum compositum: ergo, materia, non est natura. Sed contrà, totum compositum est subiectum motus, nego. Ait enim Aristoteles motum esse actum entis in potentia, & sola materia estens in potentia, cum totum compositum sit ens in actu. Respondent Complutenses materiam esse subiectum quo motus, non subiectum, quod, quia putant totum compositum esse subiectum receptuum accidentium. Sed contrà, nam accidentia sunt in eodem subiecto in quo est forma, quia disponunt subiectum ad formam, vel illam conseruant in subiecto: atqui forma non est in toto composito, tanquam in subiecto etiam ex illis disp. de forma; sed in materia prima cuius est actus primus substantialis, ex eisdem: ergo accidentia sunt in materia prima, & proinde motus per quem fiunt accidentia; quia in eo subiecto est motus, in quo est terminus motus. Vrgent alij, natura est id per quod res naturales distinguntur ab artificialibus: atqui non distinguntur per mate-

tiam, sed per formam, quia eadem materia quæ est in ligno est in statua lignea, ergo materia non est natura sed sola forma. Sed contra, nam materia formæ naturalis est substantia partialis: materia verò formæ artificialis, est substantia completa; vel sic, ad formam naturalem spectat materia prima; ad formam artificialem, materia secunda. Vrgent, materia prima ordinatur tantum ad constituendum totum compositam, non autem ad operandum: ergo, est quidem principium essendi, sed non operandi, seu mouendi, & consequenter, non est natura; quia natura est principium motus & quietis. At contra, nam esse ordinatur, ad operari, ergo, vnumquodque est, vt possit operari; cùm igitur, materia prima sit, oportet vt possit operari suo modo, patiendo scilicet in se fieri omnes motus, & sic est principium passionum motus & quietis. Dices, si materia esset natura, esset tantum principium motuum naturalium: atqui indifferenter subiicitur motui naturali aut violento, quia vt subest formæ lapidis, licet motus sursum sit violentus lapidi: indifferenter subit motum sursum aut motum deorsum: ergo, materia non est natura, sed indifferenter se habet ad motum naturalem & violentum. Respondeo, nullum motum esse violentum respectu materiae, sed tantum respectu formæ cui annexitur: ipsa enim, materia, vt est indifferens ad omnes formas, ita est indifferens ad omnes motus. Vnde, motus sursum, motus deorsum, motus circularis circa centrum, sunt naturales respectu materiae: sed sūt naturales vel violenti respectu formarum, quarum aliæ, motum postulant sursum, aliæ deorsum. Quare.

DICENDVM est, materiam & formam, esse naturam. Ita Aristoteles lib. 2. Phys. cap. 1. vbi scribit materiam, formam & compositum esse naturam, quia ab ijs oriuntur omnes operationes naturales. Et lib. 5. Met. ait, substantiam compositam ex materia, & forma, esse perfectissimam naturam; vnde sequitur, materiam & formam, esse naturas partiales. Ratio dicitur, nam, natura est principium, & causa motus

naturalis ergo , id omne est natura , à quo oritur motus naturalis:atqui omnis motus naturalis oritur à materia passiuè,& à forma actiuè. Ergo omnis natura imbibitur in materia & in forma. Minor patet, nam omnis motus naturalis, est generatio , vel corruptio ; alteratio , vel nutritio , augmentatio , vel loci mutatio : & omnes hi motus fiunt à formis in materia, medijs accidentibus naturalibus, ergo, materia est natura passiva, forma verò,natura activa: & accidentia sunt instrumenta naturalia.Vndè,materia est quidem imperfectior natura,quàm sit forma,quia nobilius est agere quàm pati , sed id non impedit quominus ratio naturæ, sit intrinseca materiæ, æque ac formæ , quia æque concurrit materia ad motus Physicos, ac forma. Forma enim agit,materia patitur forma actus elicit , materia recipit. In mutua enim pugna elementorum id cernitur præclarè,vnum agit per formam, medijs qualitatibus : aliud verò patitur per materiam , vt docebitur suo loco. Atque ex ijs colligitur totum compositum esse naturam completam, quia fit ex materia & forma , vndè dicitur ens naturale, seu corpus naturale quia constat naturis: priuationem verò nullo pacto esse naturam,quia nec est principium passuum , neque actuum motus & quietis naturalis , nisi forte per accidens , quia nec influit in effectum naturalem, nec in se recipit talem motum , sed ad summum, est id à quo incipit talis motus.

H̄is autem suppositis, quòd nimirūm materia,& forma sint naturæ partiales;totum verò compositum, natura totalis, quæstio est grauissima inter Doctores Vtrūm, ratio naturæ , conueniat materiæ & formæ Cœlorum , elementorum , & mixtorum omnium viuentium & non viuentium.Scribit Durandus,neque Cœlo conuenire naturam,neque terræ , sed alijs elementis & mixtis, hac ratione , natura est principium motus & quietis; ergo, non conuenit nisi ijs quæ suâ naturâ postulant moueri & quiescere: atqui Cœlum non postulat quiescere,sed moueri:terra verò postu-

lat quiescere, & non moueri, ergo illis non conuenit natura. Consequētia patet, nām terra semper stetit immobilis; Cœlum verō perpetuō circumvoluit nec quiescere potest: Vnde, hæc duo extrema, Cœlum & globus terræ, suo ambiunt quidem amplexu natūram (nemp̄ elementa & mixta perfecta & imperfecta) ex mente Durandi: at non sunt natura. Idem sentit Scottus cūm Alberto, Ratio huius est, quia 1. motus Cœli non fit ab intrinseco, sed ab intelligentia, quæ est intrinseca Cœlo. 2. nullus motus naturalis est infinitus, quia natura aborret ab infinito: sed motus Cœli est infinitus duratione, cūm nequeat vñquā absolui, ergo non est illi naturalis, nec proinde potest Cœlo conuenire natura. Scottus ait 1. motus naturalis tendit ad perfectionem quamdam acquirendam, nulla autem acquiritur perfectio in Cœlo per suum motū, ergo, non est illi naturalis. 2. nullus motus naturalis fit in proprio loco, sed ibi quiescit (vt patet) tamquam in centro: atqui Cœli sunt in proprio loco; ergo, eoru motus non est naturalis. Verūm hæ rationes parum probant. Nam 1. vt propensio naturalis terræ est tendere deorsum, & ignis sursum; propter levitatem vnius & grauitatem alterius: ita propensio naturalis Cœlorum est, vt tendant nec sursum, nec deorsum, sed circa centrum. Vnde, quemadmodum summa perfectio terræ est acquisitione centri deorsum, ignis verō sursum, ita summa perfectio Cœli est acquisitione cœtri circa centrum: & sic corruit ratio Scotti. Ad Albertum respondeo 1. intelligentiæ impulsu quo Cœlum voluitur, esse iuxta propensionem naturalem cœli, & sic esse illi naturalem 2. illam infinitudinem motus circularis Cœlorū non esse contraria naturam rerum, sed potius propter conseruationem totius naturæ, nisi enim perpetuō volueretur Cœlum non fierent rerum generationes, & corruptiones. Quod spectat ad Durandum, dico. Cœlum ita moueri vt possit natura sua quiescere: & terram, ita quiescere, vt possit moueri: quinimò hæc perpetuō mouetur, motu alterationis, generationis & corruptionis,

dum ex illa fiunt plures herbæ, plures plantæ, plura-  
que animalia, quæ fiunt ex pūtri materia; ex quibus  
deducitur, naturam inesse Cœlis & elemento terræ,  
vt ostendam in conclusione.

S V N T & alij qui negent naturam conuenire  
animæ, etiam propt̄ abstrahit à vegetatiua, sensitiuā  
& ratiōnali, quod putent corpora animata ideò dici  
naturalia quia constant elementis. Probant autem,  
quia natura est principium per se omnium motuum:  
atqui animæ non mouentur per se, sed per suas facul-  
tates, ergo non sunt natura. Minorem probant, nam  
bruta animalia, & homō mouentur de loco in locum,  
per facultatem progressiūam: vident per facultatem  
vīsiuam; audiunt, per audituam, & sic de ceteris  
potentijs. Pariter, plantæ nutriuntur & augentur per  
facultatem sibi insitam & accidentalem: aut sursum  
& deorsum mouentur, quia præditæ sunt qualitatibus  
elementarijs: ergo naturam non participant per se,  
sed per accidens, quia natura est principium per se  
motus. At contrā, nam licet anima suis vtatur facultati-  
bus, ad suos eliciendos actus, propterea non definit  
esse natura, quia natura, non est principium instrumentale  
motus, sed principale, radicale, & essentiale:  
vndē, quemadmodum anima vtitur suis facultatibus  
ad operandum: ita & elementa, suis qualitatibus ad  
agendum. Quare.

D I C E N D U M est 2. animam vegetantem, sen-  
tientem, & rationalem per se participare naturam. Ita  
docet Arist. lib. de partibus animalium. Et ratio est  
evidens, quia anima vegetatiua est principium motus  
generationis, nutritionis, vegetationis, & augmen-  
tionis: sensitua, motus sensationis, appetitionis, &  
progressionis; rationalis verò, motus intellectionis  
& volitionis: atqui omnes hi motus sunt naturales,  
ergo illa triplex anima participat naturam. Deinde,  
anima est actus primus substancialis corporis organici  
potestate vitam habentis, vt tradit Aristoteles lib. 1.  
de anima, ergo cum corpore organico constituit  
totum compōsitus naturale, & consequenter est

natura:

quia cōpositum naturale nequit fieri nisi ex naturis.

DICENDVM 3. Cœlis & elementis, ac mixtis omnibus perfectis & imperfectis conuenire definitionem naturæ. Nam 1. Cœli, motu naturali voluuntur circa centrum; elementa, à centro ad circumferentiam: & à circumferentia ad centrum: mixta verò sursum vel deorsum, iuxtâ illud quod in illis prædominatur elementum. 2. Cœli, multos edunt influxus, quos in hęc inferiora immittunt, vt possit hæc machina sublunaris ab interitu fere vendicare: elementa mutuò agunt & reagunt, vt ex illis fiant mixta: & mixta tandem in elementa transmutantur, vt indè perpetuò possit vniuersus orbis serie quadam naturali propagari, & rerū species per propagationem indiuiduorum conseruari: atqui hæc omnia nequeunt ita fieri, nisi Cœli, clementa, & mixta sint entia naturalia, ergo illis omnibus conuenit definitio naturæ. 3. si quid impediret quominus Cœli motus circularis esset naturalis, maximè, quia sit ab extrinseca intelligentia: atqui hoc non impedit, nam motus naturalis ille est, qui sit iuxta propensionem naturalem rei motæ, siue proueniat ab extrinseca causa, siue ab intrinseca, vt patet de lapide qui proiceretur deorsum, nulla enim fieret illi violencia. Vnde quemadmodum lapis tendit ad centrum: ita Cœlum tendit circa centrum. Et sicut lapis violenter moueretur circa centrum, aut à centro ad circumferentia: ita Cœlum, si vel sursum vel deorsum cieretur, violenter moueretur.

ATQVE ex illis colligitur naturam conuenire Cœlis, clementis, & mixtis omnibus perfectis & imperfectis, viuentibus & non viuentibus, cuiuscumque generis sint, aut speciei; maximè cùm tota rerum vniuersitas ex illis omnibus simul coadunatis resultet. Vnde, docet Aristoteles lib. 1. de Cœlo & mundo, mundum esse compaginem ex Cœlis, elementis, & alijs quæ in illis inexistunt naturis. Quæ sanè verba ultima non adderet, nisi sentiret, Cœlos & elementa, æque naturæ rationem participare, ac mixta omnia.

## QVÆSTIO III.

*Quomodo natura differat à causa; quid & quotuplex sit causa.*

**D**VO sunt in hac quæstione examinanda, primum  
an natura differat à causa: secundum, quid &  
quotuplex sit causa. Causam latius patere naturâ col-  
ligitur ex eo, quod Deus & intelligentiæ sint causæ  
plurium effectuum, & tamen non sint natura, sed su-  
pra naturam: constat eam ex dictis, naturam totam  
imbibi in materiâ, formâ & toto composito, & conse-  
quenter in Cœlis, elementis & mixtis perfectis & im-  
perfectis, viuentibus & non viuentibus, ex quibus ex-  
cluditur Deus, cum intelligentijs, quippe quæ omni-  
carent compositione ex materia & forma. Vnde natu-  
ra restringitur ad res corporeas, causa verò extenditur  
ad res spirituales. Sed quia posuerat Philosophus in  
definitione naturæ, illam esse principium & causam  
motus, hinc sit ut expositis ijs quæ ad naturam spe-  
ctant sub ratione principij, de eadem sub ratione cau-  
sæ sit nobis agendum.

CAVSAM definit Aristoteles, *id ad quod aliud sequi-  
tur per verum influxum*: eamque quadruplicem facit  
nempè materialem, efficientem, & finalem. Sed ante-  
quam quid certi statuatur de essentia & numero cau-  
sarum, prius examinandum occurrit an illæ sint ad-  
mittendæ causæ in rerum natura. Sentiant aliqui ex  
antiquissimis Theologis nullam esse causam rerum  
naturalium præter Deum, qui sua vi infinita cuncta  
creet ad præsentiam agentium naturalium, itavt dum  
ignis cernitur lignum conuertere, in ignem, id non  
fiat ab igne sed à Deo, ad præsentiam ignis. Sed hæc  
opinio coincidit cum illâ hæresi Caluinistica quæ  
docet Sacraenta nihil efficere, sed Deum, ad præ-

sentiam Sacramenti, ideoque exploditur. Scribunt alij non Deū, sed quasdam intelligentias, omnia quæ sicut in ijs inferioribus præstare ac efficere, ac proinde nullam dari causam sublunarem corpoream, sed omnes effectus inferiores ab intelligentijs efformari. Verùm hi aduersantur Durando, qui neque Deū neque villas intelligentias vult hos effectus nostros naturales attingere; sed omnia hæc sublunaria effici, à rebus elementarijs. Putat enim, Deū in prima rerum productione singulis rebus creatis vim indidisse, quā possent singulos effectus sibi similes in specie producere. Sed errat, nā dedit Deus vim singulis rebus quā possint quidem operari iuxta propriā naturā, sed cum cōcursu generali primē causæ, vt ostendetur suo loco.

**DICENDVM** est igitur, dari actu causas naturales. Ita docet Aristoteles lib. 2. Phy. ratio est, quia dantur effectus naturales, ergo dantur causæ naturales, consequentia patet, nam singulis momentis cernimus de nouo exurgere multa corpora naturalia; plures herbas; plura virgulta: plures flores: plures fructus, & similes effectus, qui sunt ornamenta vniuersi plures homines: pluraquæ animalia bruta: atqui iij effectus habent suas proprias causas, ergo vel denegandi sunt illi effectus, vel admittendæ illorum causæ. Deinde, plura videmus efformari in aëre meteora: plura in visceribus terræ metalla: plura etiam opera artefacta, & naturalia in vrbibus, ergo illorum assignanda est causa; vel effectus erit sine causa. Non potest autem ullus effectus sine causa exoriri, quia, quidquid est, vel est à se, vel ab alio: vel nec à se, nec ab alio: nihil autem præter Deum, est ita in se, vt non sit ab alio, ergo illi effectus sunt ab alio, & sic habent causam efficientem. Minor probatur, nam, si id quod est extra Deum, sit à se, non ab alio, sequitur id non esse prædictum ab alio, sed à se: atqui nihil potest seipsum producere, quia sic, esset, antequam esset, ergo nihil est à se, sed ab alio, & sic admittendæ sunt causæ rerum naturalium.

**SVMITVR** autem causa i. pro omni eo, à quo aliud,

quocumque modo procedit; in quâ acceptione conuertitur cum principio. 2. sumitur propriè pro sola re positiva & reali quæ suū cōmunicat esse alteri, cum dependentiâ per veram influxum; in qua acceptione non conuertitur cum principio, sed minus latè patet. Priuatio enim, est quidem principium generationis, sed non causa generationis: pariter in diuinis pater est quidem principium filij, at non causa filij: quia non influit esse diuersum à suo, sed eandem essentiam: in creatis verò causa influit in effectum esse diuersum quoad individuationem, si sit causa vniuoca, & diuersum secundum speciem si sit causa æquiuoca.

MULTIPLEX autem est causa definitio. Hanc tradit Diuus Thomas, lib. 2. Phy. *Causa est, ad quam sequitur esse alterius.* Hanc vero opusculi 31. *Causa est id, ex cuius esse sequitur aliud.* Et q. de potentia art. 1. ad 3. ait. *Causam esse, ad quam sequitur aliud:* atque triplicem illam definitiōnēm tanquam legitimam admittunt Complutenses. Sed contrà, nam ad priuationem sequitur esse formæ, & tamen priuatio, non est causa formæ: ad punctum sequitur linea; & tamen punctum non est causa linea: ad auroram sequitur dies, & tamen aurora non est causa diei, nisi Metaphorice tantum: ergo, causa propriè loquendo, non est id, ad quod sequitur aliud: & deinde, in diuinis ad esse Patris sequitur filius; & ad esse utriusque sequitur spiritus sanctus; & tamen neque Pater est causa filii, neque Pater & filius sunt causa spiritus sancti: ergo causa non est id, ad quod sequitur aliud.

Vrgent Complutenses, per illud, *sequitur,* debet intelligi sequela veræ dependentiæ effectus à causa, per realem influxum causæ in effectum: ergo non est mirum, si priuatio non sit causa formæ, quia non influit in formam; aut punctum linea, quia non influit in linea: aut aurora diei, quia non influit esse in diem, aut in diuinis Pater causa filij, & uterque spiritus sancti, quia ibi nullus est influxus unius in alterum, per veram dependentiam; unde, particula *sequitur,* prenotat dependentiam realem unius ab altero quæ sit

per influxum; particula verò, *aliud*, prænotat reale discrimē specificum aut numericum effectus à causa. Sed hæc verba nihil aliud sonant quam id quod ex-primitur per definitionem vulgatam quam refert Ruuius tract. 1. de causis ijs verbis. *Causa est principium per se influens esse in effectū.* Et quia hæc verba clarius explicant rationem causæ, ideo sunt alijs præponenda. Quare.

D I C E N D Y M 2. causam recte definiri principium per se influens esse in effectum. Ratio est, quia principium potest sumi tribus modis. 1. pro eo, quo posito, sequitur aliud, sine influxu, ut posita priuatione, potest sequi forma, licet nullus sit illius influxus in formam. 2. pro eo, quo posito, sequitur aliud per influxum, sine dependentia; quo sensu in diuinis posito Pater sequitur filius: & positis Patre & filio, sequitur Spiritus sanctus medio vero influxu, sineulla dependentia. 3. pro eo, quo posito sequitur aliud specificè, aut numerice distinctum, per verum influxum, cum vera dependentia: & hoc sensu, dicimus causam esse principium per se influens esse in effectum; adeo vt id quod sequitur ad aliud, non sit tantum diuersum ab illo specificè, aut numerice: sed etiam productum & effectum ab illo. Hæc autem definitio conuenit causis omnibus Physicis, materiali, formalí, efficienti, & finali; quia materia & forma mutuo amplexu influunt in totum: causa efficientis formam educit è materia, illamque unit materiæ, & sic influit in totum: finalis vero, causam efficientem mouet, ad agendum & sic influit in totum. At, an sint tantum quatuor causam genera, videamus.

S C R I B V N T communiter Doctores, neque plura neque patiora, assignari posse causarum genera, quam quatuor vulgata. Idque colligitur ex Aristotele cap. 3. lib. 2. Phy. text. 31. Sed probatur ratione, tot enim sunt genera causarum, quot sunt modi diuersi quibus aliquid potest influere esse in aliud, tanquam in effectum; vera siquidem *causa Physica* ea est quæ potest influere in effectū: quatuor autē sunt modi in-

fluendi in aliud tanquam in effectum , ergo quatuor sunt causarum genera. Probatur minor, nam vel est influxus intrinsecus, vel extrinsecus: si extrinsecus, est à causa efficiente & finali; si intrinsecus, est à materia & à forma. Effectus enim Physicus est corpus naturale; illud autem fit intrinsecè ex materia & forma : extrinsecè verò ab efficiente & finali. Id patet etiam in artificialibus, dum enim fit cathedra, sufficit lignum, sufficit forma , sufficit artifex qui illam inducat in lignum: sed etiam requiritur idea quæ vel ad finalem reducitur, vel ad efficientem; vel ad utramque, diuerso respectu. Si enim sumatur pro exemplari ad cuius imitationem fit cathedra , tunc reducitur ad efficientem regulatiam : si verò sumatur pro ipsa cathedra efformanda prout existit in intentione artificis , tunc reducitur ad finalem , quia illa cathedra quæ fieri intenditur , mouet articem ad opus : ita ut causa finalis sit prima in intentione, ultima verò in executione, nihilque differat ab ipso effectu , nisi penes modum effendi, quia nimirum eadem res prout est in intentione & mouet agens ad sui assequitionem, dicitur finis: prout verò realiter existit à parte rei, dicitur effectus. Deinde compositum Physicum, non fit ex nihilo , nec à se, sed ex aliquo subiecto , & ab aliquo alio à se distincto , & propter aliud : & per aliquid quo differat specie ab alijs: subiectum autem ex quo fit est materia ; id pet quod differt specie ab alijs, est forma : id propter quod fit est finis ; & id à quo fit, est efficiens; ergo quatuor concurrunt necessariò, ad totum compositum conflandum: sola enim materia non sufficit: nec sola forma: nec efficiens si desit materia: neque finalis si agens non habeat subiectum circa quod operetur.

DICES , forma est effectus agentis, eam eduentis de subiecto , ergo forma non potest esse causa: vel idem erit causa & effectus. Resp. forma est effectus agentis, & causa intrinseca compositi, concedo; ergo, erit simul effectus, & causa respectu diuersorem, concedo: nam respectu agentis est effectus, respectu com-

positi est causa. Dices 2. omnis causa debet esse nobilior, aut æque nobilis, ac eius effectus: at qui materia, est semper innobilior composito, ergo, non est illius causa. Distinguo, omnis causa totalis debet esse nobilior, aut æque nobilis, ac eius effectus, concedo; omnis causa partialis qualis est materia respectu compendi, nego. Deinde, illud axioma intelligitur de sola causa efficiente, ut sensus sit omnem causam vniuocam, esse æque nobilem ac eius effectum: causam verò æquiuocam esse nobiliorem suo effectu. Causa autem æquiuoca ea est quæ effectus sibi dissimiles in natura attingit: vniuoca verò, quæ effectus omnino similes in natura producit: hoc sensu sol est causa æquiuoca auri, argenti, & aliorum metallorum quæ vi radiorum solis fiunt in terræ visceribus: ignis vero est causa vniuoca alterius ignis. Dices 3. instrumenta, & exemplar sunt veræ causæ, & tamen non sunt materialis, nec formalis, nec efficiens, nec finalis, ergo plura sunt causarum genera quam quatuor. Resp. instrumentalem, & exemplarem reuocari ad efficientem ut dicetur suo loco; & ratio est, quia serra, aut calamus, vel etiam facultates naturales agentium naturantium, sunt principia formalia quibus attingunt suos effectus: exemplar verò, regula est quæ actiue dirigit operationem agentis. Sed hæc satis. An quatuor causarum genera conueniant vniuocè, an analogicè videamus.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum definitio cause conueniat vniuocè singulis  
causarum generibus: & an quatuor cause  
sint species infimæ, vel subalterna.*

**Q**UOD printum scribit C. F. Dabra de Raconis Doctor Nauarricus, q. 4. rationem causæ vniuocè conuenire materiali, formali, efficienti, & finali: siuè causæ huiusmodi spectentur quoad materiale, siuè quoad formale. Per materiale, intelligit, ipsam rem quæ dicitur causa: per formale, intelligit, ipsam causalitatem. Eius ratio est, quia, inquit, causa in genere, conuenit suis speciebus, materiali, formali, efficienti & finali, eo modo quo ens conuenit Deo & creaturis; substanciali, & accidenti: atqui ens conuenit Deo & creaturis; substanciali, & accidenti vniuocè; ergo, causa in genere conuenit suis speciebus vniuocè. Confirmat, nam, inquit, omnis causa creata & increata, omnisque causalitas, non tantum conuenient, in nomine causalitatis, sed etiam in ratione causæ, & causalitatis: suntque essentialiter causa, & causalitas: atqui hoc solum exigitur ad perfectam vniuocationem; ergo, causæ omnes conueniunt vniuocè in ratione causæ & causalitatis.

**O**PPOSITVM docet Leo Venetus §. 14. ubi scribit, rationem causæ omnino eequiuocam esse Deo & creaturis, materiali, & formali, efficienti & finali. Ratio est, quia, inquit, hæ causæ conueniunt quidem in nomine causæ, sed differunt in ratione substanciali. Alia enim est substancialia Dei, alia substancialia creaturæ, alia substancialia materiali; alia substancialia formæ; alia substancialia efficientis; alia substancialia finis, licet conueniant in ratione causæ. Et sane, eius ratio videtur esse optimæ. Nam saltem in æquiuocis, finis qui est effectus

producendus, diuersæ naturæ est, ab efficiéte: & materia, diuersa est à forma, quia nec materia potest esse forma, neque forma potest esse materia. Sed errat vterque, primò quidem Leo, nam sumit causam materialiter, cùm debeat sumere illam formaliter. Neque enim quæritur, vtrum materia, forma, efficiens, & finis sint entia vniuoca: sed, vtrum vniuocè participent rationem causalitatis: vt sensus sit, vtrum causalitas seu influxus in effectum sit illis vniuocis, seu idem in re & nomine: vel partim diuersus, & partim idem: vt censemus esse, & probabitur in conclusione: & sic non esse vniuocum, nec æquiuocum, sed analogum. De Raonis vero in eo peccat, quod putet ad veram vniuocationem solum spectare vt ratio communis pluribus, sit illis omnibus vtcumque essentialis: cùm tamen debeat esse in illis eadē & eodem modo: Iuxta hæc, vniuocæ sunt quorū nomen cōmune est, ratio vero eadem in singulis. Et ratio est, quia ens est essentiale Deo & creaturis: substantiæ & accidenti; & tamen illis est analogum vt ostensum fuit in Logicis contra præfatum Doctorem. Vt igitur scias quid hac in re sit sentiendum, macte animo lector beneuolo, concubabis enim Leonem & Draconem.

- DICENDVM est, definitionem causæ conuenire analogicè suis speciebus. Ratio est eidens, nam alia est causalitas materiæ; alia formæ: alia efficientis: alia finalis: hæc enim est Metaphorica: aliq verò sunt Physice, sed diuersæ; & vna nequit in aliam transmutari. Non enim potest substantatio conuenire formæ; nec informatio materiæ: nec causalitas agentis competere fini, aut è contrà; ergo hæ causalitates sunt inuicem incommutabiles, & sic non vniuocæ, nec etiam æquiuocæ, quia ad vnum & eundem tendunt effectum: conueniunt igitur essentialiter in ratione causalitatis: & differunt essentialiter in ratione talis causalitatis & sic analogicæ sūt. Deinde, influxus materiæ & formæ sunt intrinseci: influxus vero efficientis & finalis, extrinseci, quod arguit analogiam. Adde quod influxus finis est attractio: influxus efficientis eductio:

influxus vero materiæ & formæ mutuus amplexus;  
vel mutua inter se connectio.

SCRIBIT tamen Rutilius tract. 1. de causis in communi hanc diuisionem esse vniuocam, eo quod fit generis in suas species; non quidem infimas, sed subalternas. At recte quidem in uno, sed peccat in alio. Peccat in eo quod potest causalitatem in genere, vniuocam esse inferioribus causalitatibus causarum inferiorum; quod nequit dici. Nam si ita esset, eadem esset omnino causalitas materiæ, & formæ; efficiens & finalis: & sic materia esset forma: & efficiens esset finis in ratione causæ, quia eorum omnium esset eadem causalitas. At, in eo recte habet, quod dicas quatuor causarum genera esse species subalternas, non infimas: quia sub se alias habent. Materialis enim habet sub se cœlestem & sublunarem. formalis item cœlestem & sublunarem; at efficiens diuiditur in primam & in secundam, secunda in præcipuam & instrumentalem: præcipua in causam per se & causam per accidens: Causa per se in vniuocam & æquiuocam & instrumentum diuiditur in coniunctum & separatum, Intellectus est instrumentum coniunctum animæ: calamus vero est instrumentum illius separatum. Sed quem ordinem inter se seruēt causæ videamus.

## QVÆSTIO V.

### *De Comparatione causarum inter se, & cum earum effectu.*

**C**AVSARVM aliæ sunt intrinsecæ, aliæ vero extrinsecæ, & de ijs omnibus procedit quæstio. Quæritur igitur 1. quomodo se habeat hæ causæ inter se. 2. quomodo se habeat ad suos effectus. Quoad primum, vel possunt comparari causæ intrinsecæ inter se; vel causæ extrinsecæ inter se, vel intrinsecæ cum extrin-

fecis, & quæri, vtrum aliae sint alijs præstantiores.

Si fiat comparatio causarum externalium, cum internis, non est dubium quin externæ præstent alijs, cùm constet Dæm esse inter causas externas, quippe qui finis est & causa efficiens omnium rerum naturalium & supernaturalium: si verò fiat comparatio inter causas externas inter se, nemipè inter efficientem & finalem, licet totus effectus videatur pendere ab efficiente, quia tamen efficiēs operatur propter finem, & in gratiam finis: hinc fit ut finalis præstet efficiēti, ita plerique doctorum. Sed mihi magis placet contraria opinio, quæ docet efficiētem præstare finali, quod efficiens magis influat in effectum quam finalis, si quidem hæc tantum metaphorice agit: illa verò Physice & realiter, & suam communicat essentialiam effectui per verum influxum. Præterea, nulla data finali posset subsistere efficiens, & suum sortiri effectum, vt patet in rebus inanimatis quæ suos edunt effectus absque illa intentione finis: at absque efficiente nulla potest esse operatio; quia omnis operatio est ab agente. Deinde, illa causa nobilior est, quæ ceteras omnes mouet actu, & cui præcipue tribuitur, effectus: nam i. materia sit à causa prima: forma, sit à causa secunda: traque verò vnitur ab agente naturali; ergo, totum compositum præcipue pender ab agente: nec refert quod agens moueat à finali, nam illa motio Physica non est, sed Metaphorica tantum.

Qvòd spectat ad causas internas, materiam, & formam; certum est, materiam præstare duratione: sed à formâ vinci perfectione essentiali, forma enim est pars præcipua compositi, materia verò vehiculum formæ. Est tamen materia; causa formæ; & forma causa materiæ: quia sese mutuò causant. Materia causat formam, dum sese exhibet in subiectum formæ; forma verò causat materiam, dum sese exhibet in sociam materiæ. Nisi enim materia vniretur forme in nihilum abiret; & sic, forma illi dat esse, & censetur causa illius esse, sed quomodo se habeant causæ ad suos effectus, videamus.

CAUSA est semper prior suo effectu, saltem naturâ. Ratio est, quia, quod dat alteri esse, debet esse prius illo, alioquin non posset illi dare esse. Probatur nā id quod non est, non potest alteri dare esse, iuxta illud, nemo dat quod non habet. Præterea, operari supponit esse, ergo nihil potest operari, quod nō sit: & consequenter prius debet esse causa, quām possit operari suum effectum.

Si causa & effectus spectentur ut correlata, nec causa prior est suo effectu; nec effectus prior suâ causâ. Ratio est, quia ex Aristotele relata sunt simul naturâ & cognitione: nequit enim esse causa in actu primo, nisi sit effectus in actu primo: nequit causa esse in actu secundo, nisi sit effectus in actu secundo: causa, ideo causa est, quia effectus est: & quo modo est effectus, eodem modo est causa: si causa sit in esse possibili: pariter & effectus: si effectus sit in esse impossibili, pariter & causa. Si verò spectetur nobilitas causæ & effectus: causa ut causa, nobilior est effectu: quia, nobilius est dare, quām accipere; nobilius est esse independens: quām dependens; & effectus dependet à causa, ac accipit suum esse à causa: si verò causa & effectus spectentur secundum proprias entitates, abstrahendo ab omni causabilitate, & effectibilitate, certum est, causas æquiuocas esse nobiliores suis effectibus: vniuocas vero æquè nobiles. Vnde, causa sumi potest. 1. pro causabilitate, & effectus pro effectibilitate, & sic effectus vincitur à causa. 2. pro entitate suæ essentiæ, & sic causa æquiuoca est perfectior effectu; vniuoca verò æquè nobilis ac eius effectus, ut docebitur suo loco. Sed hæc de causis in genere, ad easdem in specie descendamus.

## QVÆSTIO IV.

*De causa materiali & formalis.*

**D**I XI M V S suprà quatuor esse causarum genera, materialem, formalem, efficientem & finalem, nunc est inuestigandum quænam sit earum causalitas, & natura. Duplex est causalitas causæ, vna dicitur causalitas in actu. 1. altera causalitas in actu. 2. vel si vis, vna dicitur causalitas in actu signato: altera verò in actu exercito. Causalitas in actu 1. est virtus causandi: causalitas in actu 2. est actuale exercitium illius virtutis. Hoc sensu, vis illuminandi in sole est eius causalitas in actu 1. actualis verò illustratio, est causalitas illius in actu 2. pariter in materia, potentia receptiva formarum, est eius causalitas in actu primo: actualis verò receptio, eius causalitas in actu secundo. In forma etiam, vis actuandi materiam, est causalitas formæ in actu 1. actualis verò informatio causalitas in actu 2. Quæritur, vttùm duplex illa causalitas sit in materia & forma, aliquid superadditum, vel aliquid essentiale.

**S**CRIBVNT aliqui esse aliquid superadditum, nempe præuias dispositiones, in materia: & vim informandi, in forma. Nam, aiunt, materia nequit vñiri formæ: neque forma materiæ per se immediatè, & per proprias essentias, nudas, & puras ab omni medio, sed per aliquid interiacens, ergo illud erit earum causalitas in actu 1. atqui, illud est dispositiones ex parte materiæ, & vis informandi, ex parte formæ: ergo, causalitas in actu 1. materiæ, & formæ; est aliquid illis accidentale, seu superadditum. Sed contrà, nam materia & forma immediatè per se vniuntur, nec aliud mediat præter vñionem, in actu 2. ergo in actu 1. essentia materiæ & formæ est sibi ipsi causalitas, nec aliud

requiritur, cùm sint essentialiter ordinata ad mutuum amplexum, propter constitutionem totius.  
Quare.

D I C E N D U M est materiam & formam constitui causas in actu 1. per suas proprias essentias: in actu verò 2. per actualem vunionem. Ita docent communiter Philosophi, & probatur; nam causalitas materiæ in actu 1. est posse recipere formam: causalitas verò formæ, est posse actuare materiam: atqui, materia potest per suam substantiam recipere formam: & forma potest per suam substantiam actuare materiam: ergo, causalitas utriusque in actu prima, est propria utriusque essentia, seu substantia. Minor probatur, nam materia est essentialiter potentia, forma verò essentialiter actus: potentia autem & actus sese mutuo afficiunt immediate per proprias essentias; ergo, materia & forma sese mutuo afficiunt per proprias essentias, immediate. Secunda pars patet, nam causalitas materiæ in actu 2. est actualis receptio formæ: causalitas vero formæ actualis informatio materiæ; atqui actualis informatio materiæ, & actualis receptio formæ in materia, est utriusque nexus & vniō; ergo illa vniō, est illarum causalitas in actu 2. Confirmatur, nam illud est causalitas earū in actu 1. per quod possunt influere in effectum: illud verò, causalitas in actu 2. per quod actu influunt in effectum: atqui, materia fit potens influere in effectum per suam substantiam, quantum potest se communicare formæ: & forma fit potens influere in effectum per suam substantiam, quantum potest se communicare materiæ, ex qua mutua communicatione resultat totum, ergo utriusque causalitas in actu 1. est propria cuiusque substantia: non quidem simpliciter ut substantia; sed ut talis substantia, nempè ut potentia & actus: seu ut recipiens & recepta. Altera pars patet, nam causalitas in actu 2. est id per quod actu influunt esse in effectum: atqui materia & forma actu influunt esse in effectum per vunionem, ergo, vniō est illarum causalitas in actu 2. Minor probatur, cum, materia, & forma influunt

actu esse in effectum per id , per quod sese afficiunt: atqui sese afficiunt per vniōem , ergo , illa vnio est causalitas earum in actu 2. Confirmatur , nam positā vniōne, causant totum, sublatā vniōne, non causant totum: ergo , illa vnio, est earum causalitas actualis. Atque ex ijs sequitur 1. ex materiā & formā fieri totum. 2. materiam & formam esse causas intrinsecas, & essentiales effectui , à qđ sola ratione possunt distinguī: efficientem verò & finalem dici extrinsecas, quia non constituant, sed efficiunt, totum.

DVBIVM occurrit propter Ruuium cap. de causalitate formæ; vbi scribit causalitatem materiæ, & formæ in actu, esse quidem vniōem , sed quæ sit eadem realiter entitas ex parte vtriusque : At qui fieri possit ut sustentatio materiæ; & informatio formæ sint vna & eadem simplicissima entitas , non video : maximè cùm constituant diuersas in specie causas. 1. enim vbi sunt diuersæ species, ibi sunt diuersæ differentiæ: ibi sunt diuersæ species causalium , ergo , & diuersæ differentiæ; non constituuntur autem causæ, per suas entitates, sed per suas causalitates, ergo illæ causalitates sunt diuersæ. 2. diuersæ causæ , sunt diuersæ, quia causalitates earum sunt diuersæ: atqui causalitates materiæ, & formæ sunt sustentatio & actuatio, ergo actuatio & sustentatio sunt diuersæ, idque realiter: quod probo, causæ realiter diuersæ constituuntur per realiter diuersas causalitates, quemadmodum diuersa colorata per realiter diuersos colores: materia & forma sunt diuersæ causæ, ergo per diuersas realiter causalitates. Ait Ruuius per eamdem numerο entitatem , diuerso modo spectatam , constitui diuersas causas. Sed contrà , nam materia & forma non sunt diuersæ causæ per diuersam considerationem mentis, sed realiter independenter à mente, ergo debent constitui causæ, per diuersas entitates realiter distinctas.

DOCENT Complutenses q. 1. concl. 2. causalitatē in actu 2. posse spectari vel in fieri vel in facto esse, & sic causalitatem materiæ, in fieri esse generationem

receptam in materia : causalitatem verò in facto esse, esse vniōnem substantialem, prout recipitur in ipsa materia. At, ratio quā vtuntur probat contrarium: illam enim exprimunt ijs verbis, illa est causalitas in fieri materiæ, per quam materia actualiter concurrit ad suum effectum in fieri : sed recipiendo in se generationem, & sustentando illam concurrit ad suum effectum in fieri ; ergo generatio ut recepta in materia erit causalitas in fieri illius: at, quis non videt debuisse ita concludere, ergo receptio seu sustentatio generationis in materia, est causalitas in fieri, materiæ. Sed hæc de causis intrinsecis, ad extrinsecas, efficientem & finalē, progrediamur.

---

## QVÆSTIO VII.

### *De causa efficiente.*

HIS expositis quæ intrinsecè constituant totum compositum, res postulat ut de illis quæ intrinsecè concurrunt agamus. Hæc sunt causa efficiens, & finali. Quibusdam quæstionibus explicabitur natura agentis: deinde, ad finalē progrediemur. Prīus obseruandum est, causam efficientem diuidi in causam per se, & causam per accidens. Causa per se est illa à quā per se primò pender effectus, ut, statuarius est per se primò causa statuæ: causa per accidens est ea, à quā per se primò non pender effectus, sed accidentariò tantum; hoc sensu Logicus est causa per accidens saltationis, quia per actidens est ut qui saltat sit Logicus. Causa per se diuiditur in præcipuam & instrumentaliam: Causa præcipua est ea quæ propria virtute agit, ut ignis, Sol, manus: instrumentalis verò ea quæ in virtute alterius operatur, vel saltem quæ postulat ab altera moueri, ut serra, calamus. Vtraque hæc causa bipartitur. Instrumentalis diuiditur in coniunctam

iunctam & separata. Prima est quæ suâ naturâ coniungitur cum principali agente, ut lingua, & manus in homine: separata verò, ea quæ assumuntur in instrumentum, ut calamus, scrra.

DEINDE, causa principalis diuiditur in primam & in secundam. Causa prima est illa, à qua ceteræ omnes pendent in esse & operari illa verò, à nullo pender, nec in esse, neque in operari; sed absolute independentis est & à se, & à quocumque alio, nempe Deo. Causa secunda diuiditur in uniuersalem; quæ plures potest edere, effectus, ut sol: & particularēm quæ ad unum est ordinata effectum, ut ignis, leo, bos. Causa particularis diuiditur in uniuocā, & æquiuocā: hæc est quæ attingit diuersos in specie effectus, seu quæ producit effectus sibi dissimiles in natura: illa verò quæ attingit effectus sibi similes in natura. Ignis est causa vniuoca alterius ignis; sol est causa æquiuoca respectu ignis, quem producit. Causa iterum siue æquiuocā sit, siue vniuoca diuiditur in proximam, & remotam: proxima est que proximè attingit effectum, remotaverò quæ remotè attingit effectum. Hoc sensu calor ignis est causa proxima, caloris producti in mea manu: ipse vero ignis est causa remota.

D I V I D I T V R iterum causa in immediatam & mediatam; causa immediata est que propria virtute producit effectum, ut dūm homo per se primo loquitur, seu intelligit: mediata verò, quæ non propria virtute agit, sed alienā, ut dūm homo per artem medicinæ restituit sanitatem. Rursus causa immediata diuiditur in immediatam, immediatione virtutis; & in immediatā immediatione suppositi. Causa immediata, immediatione virtutis est quæ agit propria virtute, nulla virtute aliena: immediata immediatione suppositi, quæ nullo indiget supposito, quō interierente agat. Sic, Deus est causa immediata vtraque immediatione, virtutis quidem, quia propria virtute agit; suppositi verò quia est intimè præsens singulis febus. Est & alia diuisio causæ in totalem & partialē. Totalis est, quæ, totum producit effectum sine ullo

conuersu alterius: partialis verò quæ indiget alterius concursu: vniuersus exercitus est causa totalis victoriæ, singuli milites, & singuli duces sunt causæ partiales victoriæ. Causa totalis subdiuiditur in eam quæ est essentialiter subordinata: & eam quæ non essentialiter, sed accidentariò est subordinata. Prima est, quæ alteri causæ eiusdem generis, & diuersi ordinis ita subiicitur, ut sine ea nō possit operari, quo modo omnis causa secunda subiicitur secundæ. Causa accidentariò subordinata, est quæ supponit quidem aliam eiusdem rationis se priorē, sed tamen à qua non pendeat in suo operari: sic filius subordinatur patri: potest siquidem filius independenter agere à patre. Est & alia diuisio causæ partialis, in eam quæ dicitur partialis partialitate causæ, & illam quæ est partialis partialitate effectus: partialis partialitate effectus est quæ non sola producit effectum, sed auxilio alterius, licet per se solā potuisset producere: partialis partialitate causæ, quæ per se solam nequit producere effectum. Causa totalis diuiditur in eam quæ est totalis totalitate causæ, & eam quæ totalis est, totalitate effectus. Hac est, cui soli respondet effectus, ut Deus qui per se solum agit: illa verò cui soli non tribuitur totus effectus, licet totum produixerit effectum, quia nimirum indiget concursu alterius ut sunt omnes causæ secundæ, respectu primæ. Distribuunt etiam Philosophi causam, in eam, quæ est in potentia, & eam, quæ est in actu. Causa in potentia est quæ potest agere causa in actu, est quæ actu agit. Definitur autem causa efficiens in genere, principium per se influens esse in effectum. At quæ sit eius causalitas in actu 1. & in actu 2. videamus.

## QVÆSTIO VIII.

*Vtrum crusa efficiens, habeat sibi insitam  
vim agendi: & quenam sit eius  
causalitas.*

**F**UIT vetus opinio quorundam philosophorum assertorium nullam creaturam posse aliquid operari, sed Deum omnia efficere ad præsentiam creaturarum. Ut sensus sit, sol non illustrare terras: ignem non calefacere: terram non producere, flores fructus, semina; sed Deum ipsu per se primum id omne efficere, ad præsentiam earum rerum, quibus nos tribuimus illos effectus. Nec carēt autoritate scripturæ sacræ, *Deus omnia operatur in nobis:* Corinth. 5. *Non enim sumus sufficientes ex nobis, tanquam ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Sed contrā est, quod dicitur Psal. 61 *iustus es Domine, quia reddeſ unicuique secundum opera sua.* & Apocal. 6. *opera enim illorum sequuntur illos.*

PROBANT autem aduersarij suā opinionem ratione, diuina virtus est infinita, & proximè attingit quouscumque effectus, (cūm Deus sit intimè præsens omnibus creaturis,) etgo non stat per illam quin primō per se producat omnes effectus; et autē cōformius diuinæ omnipotētiae, ut ipsa per se operetur sola, quam si vtatur ope creaturarū: ergo solus Deus agit, nō creatura. Deinde, nobilis est dependere à Deo, quam à creaturis: ac perfectius, à Deo habere suū esse, quam à creaturis, quia Deus potest nobiliore clargiri perfectionē essētialē, quam creaturæ: ergo, cūm unumquodque postulet summā sui perfectionē, ynuquodq; petit produci ab eo à quō potest id quod perfectius est, obtinere. Præterea, nō indiget causis secundis ad operandū, ergo, superflua est omnis vis creata ad operadū

Sequela patet, nam ideo est admittenda virtus operandi in creaturis, quia Deus vel non vult, vel non potest, per se solum operari: at qui Deus vult & potest, & tantum se extendit eius voluntas, quantum eius omnipotentia, quia eius omnipotentia & eius voluntas idem significatur; iuxta illud, quæcunque sunt in Deo, sunt ipse met Deus. Ergo Deus omnia operatur, & nihil fit à creaturis. Sed contrà est id quod habetur Genes 1. Germinet terra herbam virentem: producat terra animam viventem. Et Mathæi 14. terra fructificat primū herbam, deinde plenum frumentum. & Lucæ 21. videte fidelitatem, & omnes arbores, cum producunt ex se fructus, scitis quia propè est astas.

PROPTER hæc testimonia Scripturæ, & alia quæ possent afferri sunt aliqui qui censeant omnē efficiētiā esse quidem penes Deum originaliter: sed quæ sit deriuata in creaturas spirituales, non autem in corporeas. Ut sensus sit, omnes actiones, omnesque effectus qui videntur fieri in corporibus sublunaribus proficiuntur à quadam virtute spirituali; aut intelligentia, intimè præsente omnibus rebus; Poterant autem hac ratione omnis actio petit indistinctam agentis cum paciente, ita ut agens sit intimè præsens singulis partibus passi: at qui hæc intima præsentia repugnat corporibus propter eorum dimensiones impenetrabiles, quia non datur penetratio dimensionum: ergo, omnis efficientia debet tribui spiritibus; & sic præter Deum non dantur aliæ causæ efficientes creatæ, nisi merè spirituales. Sed hæc ratio non conuincit, nam licet corpora non possint se permeare propter mutuā quantitatēm habent tamen qualitates quæ penetrantur usque ad medullas & viscera rerum; vt patet de calore ignis, frigore glacie: & sic sequitur, etiam corpora habere in se, virtutem operandi.

DICENDVM est igitur, omnem causam secundam tūm corpoream, tūm spiritualem habere sibi vim insitam operandi, & producendi quo scumque effectus sibi proportionatos, & naturæ suæ conuenientes. Quod addo vt scias substantiam posse pro-

ducere substantiam, & accidens accidentia, contrà Auicen am lib. 1. su  sufficienti  cap. 10. & lib. 4. Met. cap. 4. & 5. vbi ait, talem esse ordinem rerum naturalium, vt   prima causa, vna sola substantia spiritualis omnium perfectissima processerit; ab ea, alia secunda, & ab hac, tertia usque ad infim ; qu  infima intellig tia inducat omnes formas substantiales in materiam dispositam per agentia naturalia: adeo ut corpora naturalia disponant materiam per se accidentia; illa ver  intelligentia introducat formam. Sed probatur conclusio ex Aristotele lib. 7. phy.   text. 29. usque ad 39. & ex illo axiomate, *sol & homo generant hominem*. Ratio dictat, & confirmat experientia. Nam quisque experitur se   Sole illustrari; ab igne calefieri: suo intellectu intelligere; memori  recordari; visu videre, &c. Si enim Deus h c omnia efficiat ad pr sentiam creaturarum, non potest   nobis colligi qu nam sit natura rerum ex illarum proprietatibus, & qualitatibus. Neque enim recte colliget aliquis ignem esse calidum; glaciem esse frigidam, & solem esse luminosum; ex eo quod illustret terras, si non ipse id efficiat, sed Deus ad eius pr sentiam, vel ex pacto, vel quia ita fert rerum natura, vt Deus non potuerit tribuere vim operandi creaturis; vel creatur  recipere illam vim propter quamdam implicantiam; nulla autem est implicantia, qu  hoc impediat, pr sertim c m Deus possit dare, & creatur  recipere.

**D E I N D E**, si solus Deus ageret, & non creatura; dum homo errat, non errat: sed Deus. Et sic Iudas non tradidit Christum; nec Diuus Petrus in Magistrum peccauit, sed Deus, quod impium est; ergo caus  secund  agunt & consequenter habent in se vim ingenitam ad operandum: calor producit calor  humor humorem: forma formam: sed de ijs suo loco. Interea querendum, in quo sita sit causalitatis efficientis in actu 1. & in actu 2. de actu primo, non est dubium quin sit in virtute agendi, ita ut vis illa sit ratio cur causa agat, aut possit agere, de causalitate ver  in actu 2. est maxima dissensio.

ALBERTVS Magnus l. 2. Phy. tract. 2. ponit eā causalitatē in actione & consentit Ruuius:Scotus,in relatione causæ ad effectū:alij verò interquos C.F.Dabria, in influxu quo causa attingit effectū , in qua opinione sunt Complutenses. Ratio eorum qui ponunt eam causalitatem in actione est huiusmodi , causalitas agentis est illud quod denominat agens , ut agens , & illud actu constituit in esse agentis : sed illud est actio , & nihil aliud ; ergo actio , est causalitas agentis. Ratio dictat,nam agens dicitur agens ab actione, quemadmodum album dicitur album ab albedine : ergo quemadmodum album fit album per albedinem. ita agens fit agens ; per actionem. Quod autem agens fiat agens per actionem , patet ; nam, per illud constituitur agens quod immediatè coniungitur illi post virtutem agendi : quia causa constituitur causa in actu 1. per virtutem agendi , & causa in actu 2. per id quod sequitur immediatè virtutem agendi : atqui, sola actio sequitur immediatè virtutem agendi ; ergo, actio est causalitas agentis in actu 2. Sed contrà,nam formale constitutuum rei debet esse intrinsecum rei: atqui actio non est intrinseca causæ efficienti, sed extrinseca , quia egreditur ab agente & recipitur in paciente , ut dicitur suo loco ; ergo non est formale constitutuum agentis . nec proindè eius causalitas. Quod actio recipiātur in paciente patet,nam recipitur in eodem , in quo recipitur terminus actionis, nempe forma, vel qualitas : neque enim potest actio recipi in uno subiecto,eius vero terminus in alio , ut ratio dicat, ergo, in quo recipitur terminos , in eodem recipitur actio. Vrgent illi , actio ut recipitur in paciente denominatur passio ; prout vero egreditur ab egente denominatur actio: ergo , ut passio , est causalitas patientis & ut actio , est causalitas agentis. Sed contrà , nam patiens non causat per passionem actiuam , sed per passiuam. Passio actiuam,est actio agentis prout recipitur in passo,passio verò passiuam est ipsa sustentatio subiecti , vel ipsummet subiectum prout patitur in se fieri formam ; vel qualitatem. Deindè , causalitas in

actu 2. debet esse fundamentum relationis causæ ad effectum, ergo debet esse intrinseca causæ ; actio non est intrinseca , quia transit in passum , & in causa remanet relatio ad effectum: ergo fundamentū relationis debet remanere in causa, vel relatio erit sine fundamento. Scotus ponit hanc causalitatem in ea relatione causæ ad effectum. Sed contrà,id quod est posterius causalitate , nequit esse causalitas: illa relatio est posterior : quia supponit causam, & effectum esse in actu, & nequeunt esse in actu nisi per causalitatem, ergo, illa relatio est posterior causalitate. Quod relatio causæ ad effectum sit posterior causalitate, patet: nam relatio nequit resultare nisi positis duobus extremis ; neque illa duo extrema poni, nisi ponatur id ratione cuius illa duo dicuntur poni, atqui causalitas est id ratione cuius causa ponitur , & effectus : ergo longè prior est causalitas, illà relatione. Deinde relatio nullius rei est effectiva ; ergo nequit esse id ratione cuius id quod agit , agit: atqui causalitas est id ratione cuius,id quod agit , agit , ergo illa causalitas nequit esse vlla relatio. Neque etiam influxus causæ ad effectum potest esse talis causalitas: ille enim influxus non differt ab actione ; ergo , non est causalitas quemadmodum actio. Antecedens patet , nam influxus non est aliud quam id quo medio,causa attingit suum effectum : atqui actio est id quo medio causa attingit suum effectum ,quia nihil aliud mediat inter causam & effectum præter actionem: ergo quemadmodum actio,non est causalitas agentis, ita neque influxus. Quare corruuit ratio de Raconis , & propterea.

D I C E N D V M est , causalitatem causæ efficientis in actu 1. esse vim agendi,nempe formam,& accidentia activa : causalitatem verò in actu 2. nec actionem; nec influxum : nec influere ; nec relationem causæ ad effectum: sed ipsam vim actinam prout exit in actum, vel prout exiuit in actum. Nam duobus modis potest spectari causa,vel in fieri: vel in facto esse : vis agendi prout exercet actum est causalitas in fieri : eadem vis prout exercuit actum & effectum produxit, est causa-



litas in facto esse. Ratio est euidens, nam agere, & actio: influere, & influxus, non differunt in re, sed penes vocabulum, vel ut concretum ab abstracto: at qui actio nequit esse causalitas, ergo neque agere. Par modo, influxus nequit esse causalitas, quia est idem cum actione, ergo neque influere, quia influere & influxus sunt in re idem. Superest igitur ut vis agendi prout elicit actum, sit causalitas in fieri: causalitas vero in facto esse, prout elicit actum. Ratio est, quia per id constituitur causa per quod influit in effectum; at qui influit in effectum per vim agendi: ergo, illa vis prout elicit actum est causalitas in fieri; prout vero elicit actum causalitas in facto esse. Sequela patet, nam eadem est causalitas in fieri, quae futura est in facto esse: & in facto esse eadem, quae fuit in fieri: sed in facto esse non est actio, nec influxus, nec relatio, ut fuit probatum, quia actio & influxus perire, & remanet causa in esse causæ: ergo, aliquid aliud præter actionem, & influxum, debet assignari pro causalitate in actu. siue in fieri, siue in facto esse: illud autem nihil est aliud, quam vis agendi prout exit, aut exiuit in actu. Hæc est mea opinio. Verum, ut res tanti momenti melius elucescat, videndum quid sit illa virtus agendi, an conueniat substantiæ & accidentibus.

## QVÆSTIO. IX

*Utrum virtus operandi causa efficientis sit, eius forma substantialis; vel etiam eius accidentia, & quo sensu id fiat.*

**C**ONSTAT ex dictis, causas naturales hahere in seipsis vim insitam operandi, quærendum est in quo sita sit illa vis: an in materia: an in forma: an in suis qualitatibus. Scribit Pererius lib. 8. de causis cap. vi. Neque materiam, neque formam, esse principia

actiuia sed tantum constitutiua corporis naturalis. Et de materia quidem annuunt omnes Philosophi : sed de forma negant omnes : materia enim est pure passiva, forma vero pure actiuia. Potest tamen Pererij opinio suaderii, nam idem agens quod disponit materiam, inducit etiam formam : atqui , calor ignis disponit materiam ligni, ad introductionem ignis: ergo inducit etiam formam ignis. Sed contra idem suppositum quod disponit materiam ad formam, inducit etiam formam, concedo: eadem qualitas, quam disponit materia , inducitur etiam forma nego. Quia idem suppositum, ut ignis, habet materiam, formam, & qualitates : per qualitates disponit aliam materiam , per formam inducit aliam formam , per materiam vero patitur in se fieri omnes mutationes, ab alio agente.

D O C E N T alij, formam substantialem esse quidem actiuam , at non per se ; sed per sua accidentia : ita ut accidens in virtute substantiae producat substantiam tanquam instrumentum substantiae. Ita docent Thomistæ , & præsertim Complutenses q. 5. §. 2. aiunt enim accidentia esse virtutes proximas , immediatas & instrumentarias , quibus una substantia attingit productionem alterius. Probant autem, quia substantia nequit esse immediatum principium operationis, ergo, vt titur accidentibus quibus operetur: & sic, dæmi substantia , substantiam gignit, accidens est immediatum principium illius generationis. Sed contra nam dum ignis, ignem generat in ligno, prius disponit lignum per suum calorem, deinde formam gignit per suam formam. Et sic substantia ignis titur quidem suis accidentibus ad disponendam materiam, sed ipse per se inducit formam, sibi, similem, in materia.

I D E M quod Complutenses docet Riuuius q. 4. vbi scribit accidens in virtute substantiae posse producere substantiam, hoc modo, Sol, Luna , Stellæ , & causæ vniuersales, plures edunt effectus in visceribus terræ. vt aurum & alia metalla , aut si vis meteora in aere : atqui Sol , Luna , & Stellæ non sunt contiguae illis corporibus : & tamen constat, agens debere esse præ-

sens passo, ut possit agere; ergo; sol, luna, & stellæ  
hos effectus edunt per suas qualitates & non per suas  
substantias. Sed contrâ, nam æque distant à visceri-  
bus terræ qualitates cœlorum, solis: lunæ & stellæ-  
rum: ac ipsæ stellæ; ipsa luna, & ipse sol, cùm sint in  
eadem parte determinata cœli: sed influxus formæ  
cœli, lunæ & solis æque latè patent, ac influxus  
qualitatum illorum: syderum ergo, quemadmodum  
influxus qualitarum syderum pertingunt usque ad  
medullas, & viscera terræ: ita & influxus formarum  
cœlestium & consequenter nulla est ratio Ruij.  
Quare.

D I C E N D V M est 1. substantiam, producere sub-  
stantiam; accidens, accidens. Ita Aristoteles pluri-  
bus in locis, vbi ait, simile semper gignere sibi simile.  
Ratio est, quia omnis causa efficiens; vel est vniuoca,  
vel æquiuoca: si vniuoca, producit effectus sibi simi-  
les in natura: si æquiuoca, producit dissimiles effectus  
& quidem sibi inferiores in naturâ; quia nobiliori  
modo continetur effectus in causa æquiuoca, quam  
in vniuoca: at qui substantia potest esse causa vniuoca  
& æquiuoca respectu alterius: & accidens respectu  
accidentis, non est contra accidens respectu substantiae;  
ergo, substantia producit substantiam, & accidens, ac-  
cidens. 2. omnis causa debet continere in se suum ef-  
fectum, alioquin non posset illum edere, quia nemo  
dat quod non habet: at qui sola substantia continet  
substantiam; & accidens continet accidentis, ergo sub-  
stantia fit à substantia: & accidens fit ab accidente.  
Vndè.

D I C E N D V M 2. formam producere formam, &  
qualitates producere qualitates. Hoc debet intelligi  
de causis vniuocis & æquiuocis. Ignis generat ignem:  
leo, leonem: calor, calorem: humor, humorem: sol  
gignit aurum, metallum, & cæteros effectus mirabi-  
les, quos cernimus in natura: at qualitates solis, dis-  
ponunt materiam, per qualitates à se productas in  
materia. Vndè, sol est æquiuoca autri, metalli, &  
cæterorum effectuum: quia hi effectus sunt diuersæ

speciei à sole : & qualitates solis , causæ sunt æquiuocæ qualitatum auri & metallorum , quia diuersæ sunt speciei à qualitatibus solis : sed ignis , & leo , sunt causæ vniuocæ leonis & ignis: quia sunt eiusdem speciei cum illis : & qualitates eorum vniuocæ sunt inter se , quia sunt eiusdem rationis inter se. Ex ijs colligitur formam, solis continere eminenter omnes formas non viuentes rerum naturalium: eiusque qualitates continere etiam omnes qualitates rerum inanimatarum sublunarium : at formam ignis , nullam aliam formam posse producere præter formam ignis: nec formam leonis aliam, præter leoninam: nec qualitates ignis alias, præter alias eiusdem rationis: & sic de cæteris formis & accidentibus. Colligitur. nullam formam esse per se immediatè operatiuam, sed indigere quibusdam accidentibus quibus disponat materiam: ut inde, ipsa per se inducat formam. Nec tamen sequitur inde, formam esse otiosam , sed agere per se aliam formam , dummodò accidentia disposuerint materiam,

S C R I B V N T Complutenses q. 3. §. 2. accidentia non esse causas principales respectu productionis substantiæ: sed formā substancialē in tali productione esse rationem agendi præcipuam. At , cur q. 4. §. 2. dixerint, implicare contradictionem quod substantia sit immediatè operatiua per se, & ratio operandi immediata , licet sit præcipuum & radicale principium operandi, non video; maximè cum substantia sit immediatum principium actuum substantiæ & accidentis immediatum principium accidentis. Sed tollenda est æquiuocatio, substantia (nempè formalis) est immediatum principium operandi aliam formam, immediatione virtutis: non verò immediatione instrumenti disponentis materiam , quia nimirum forma præsupponit dispositiones in materia , quæ non sunt à forma agentis , sed à suis accidentibus. Ignis enim per suum calorem & per suam siccitatem disponit materiam lignis; per suam verò formam inducit formam; & hoc est agere immediatè immediatione virtutis, non imme-

diatione instrumenti, & sic , accidens est instrumentum formæ : & forma est causa principalis , alterius formæ.

**O B I I C I V N T** Complutenses q. 4. §. 2 in creaturis, esse & operari distinguntur realiter : ergo , potentia quæ ordinatur ad esse , distinguitur realiter à potentia, quæ ordinatur ad operari, atqui substantia rei, nempe forma,, est potentia ad esse, & potentia operativa , nempe proprietas , est potentia ad operari, ergo, substantia & potentia operandi differunt realiter Sed contrà , nam ex illis q. 3. §. 2. formæ substanciales sunt rationes operandi ; atqui ratio operandi est principium operandi , ergo formæ substanciales sunt principia operandi, & sic potentia operandi est idem cum principio essendi. Melius Scotus in 1. dist. 3, vbi docet. formā substancialē esse immediatū principium producendi aliam substancialē : accidentia verò , nullo modō attingere illam productionem, sed tantum disponere materiam, ad illam. Probat autem, quia forma est principium immediatum essendi totius compositi, ergo, & principium immediatum operandi patet consequentia, nam, operari sequitur esse ; ergo modus operandi sequitur modū essendi: atqui, forma habet modum essendi per se immediatē : ergo habet modum per se immediate operādi. Deinde materia est immediata potentia patiendi, ergo forma est immediata potentia operādi. Iterum accidentia habent esse secundum quid: ergo, operantur secundum quid: substantia vero habet esse simpliciter: ergo, operatur simpliciter : atqui operari simpliciter est efficere ens simpliciter ; & operari secundum quid , est efficere ens secundum quid : & ens secundum quid est accidens: ens verò simpliciter est substantia : ergo substantia producit substancialē : accidens verò ptoducit accidens. Ultimō, nullum agens agit suprà suas vires, sed intrà limites suæ virtutis: est autem supra vires accidentis, vt producat substancialē : ergo , nequit illam attingere etiam instrumentaliter in virtute substancialē. Ratio diestat , nam in virtute substancialē potest

intelligi: vel, quod accidens acceperit in se à substantia aliquam virtutem substantialem, quæ sit inclusa formaliter vel eminenter in accidente, & per quam accidens possit producere substantiam: vel quod substantia habeat in se illam virtutem, quâ tamen non potest vti; sed indiget accidente ad illam exercendam & eliciendam in actum: atqui, hoc ultimum, nequit dici, alioquin virtus existens in substantia. esset instrumentum accidentis, atque, primum, alioquin virtus substantialis esset inheret in accidente, & sic accidens esset subiectum substantiae, vel saltem virtutis substantialis; ergo melius est si dicamus, accidens posse tantum producere accidens: substantiam vero producere substantiam. Sed melius percipietur quid de causa instrumentalis, vbi dicetur causam principalem eam esse quæ producit id quod nobilior est in effectu nempè formam: instrumentalem vero, id quod in nobilior est in effectu, nempè dispositiones. An, rerum essentiae sint causæ efficientes suarum proprietatum & quomodo ab illis profluant, videamus.

## QVÆSTIO X.

*Vtrum essentiæ rerum sint causæ effectorum suarum proprietatum: vel utrum illæ proprietates procedant à generante,*

**H**æc quæstio celeberrima est, & digna quæ hoc loco exequiatur, an scilicet passiones cuiusvis essentiæ, eadem fiant actione, quæ sit rei essentia, à suo generante: an verò diuersa, quæ sit emanatio proprietatum ab essentiâ. Ut sensus sit an intellectus, memoria, voluntas, sint facultates eadem actione productæ, quâ anima: an verò diuersa actione, quæ fluat ab ipsa anima tanquam à propria causa efficiente, & tendat ad proprietates. Et quod dicitur de passioni-

bus animæ, dici potest de alijs passionibus rerum.

SCRIBUNT nonnulli inter quos Complutenses q. 7. de causa efficiente, §. 5. eadem actione qua fit essentia, fieri etiam earum proprietates, licet haec fiant per emanationem: illa vero per veram actionem. Explicant Complut. emanationem hoc modo, naturalis emanatio passionum ab essentia, non est aliquid distinctum ab essentia, sed est ipsam et essentia connotans actionem agentis terminata ad illam, ut ad terminum priorem; & ad passiones, ut ad effectum posteriorem: quia essentia ipsa, cum postulet necessariò suas passiones, necessariò determinat agens ad illas simul producendas cum illâ, ita ut ipsa essentia deferat actionem agentis ad passiones attingendas. Ex quibus cernitur eadem actione generantis, fieri primario essentiam rei: secundariò vero proprietates essentiæ. Idem sentit Capreolus in i. q. 3. art. 2. vbi docet dimanationem passionum ab essentia non esse veram actionem, sed esse sequelam quandam ad essentiam; adeo ut passionem fluere ab essentia, nihil sit aliud, quam actionem generantis prius naturâ terminari ad essentiam, deinde vero ad proprietates. Addit, quod potentiae animæ ideo dicuntur fluere ab anima vel produci, aut causari ab ea, quia eadem productio, quæ primò terminatur ad esse animæ, terminatur secundariò ad esse potentiarum. Volunt igitur hi doctores emanationem non esse veram actionem distinctam à prima rei generatione; sed esse quandam sequelam, vel potius eandem generationem prout attingit ea quæ subsequuntur ad esse rei. Probant autem hac ratione, qui producit esse, sufficienter producit ea quæ consequuntur ad esse: sed passiones consequuntur ad esse rei, ergo fiunt ab eodem, à quo fit esse rei: atqui, esse rei fit à generante; ergo à generante fiunt passiones: neque autem fieri passiones à generante, nisi per generationem essentiæ, ad quam necessariò subsequuntur passiones: ergo eadem, actione fiunt passiones à qua fit essentia. Confirmant, nam ex communī axiōmate, qui dat esse, debet dare necessaria ad esse: atqui

proprietates sunt necessariae ad esse, quia nequit esse  
vita essentia sine suis qualitatibus, ergo qui gene-  
rat essentiam debet etiam generare proprietates.

S E D contrà, nam 1. vbi sunt termini realiter di-  
stincti, ibi sunt actiones realiter distinctæ: essentia &  
passiones, sunt realiter distinctæ, quia accidens differt  
realiter à substantia, & essentia est substantia, passio-  
nes vero sunt accidentia: ergo realiter: differt actio  
quâ fit essentia, ab ea quâ fiunt eius passiones. 2. que  
fiunt per prius, & per posterius non fiunt eadem  
actione: atqui essentia & proprietates fiunt per prius  
& per posterius, ergo fiunt diuersa actione. Quare.

D I C E N D U M est, essentiam fieri agenerante; pas-  
siones vero ab essentia genita. 1. pars patet, & com-  
munis est in schola, nam ignis gignitur ab igne, &  
leo à leone. 2. vero probatur, nam proprietates leonis  
vt rugibilitas & similes; proprietates ignis, vt calor  
& siccitas: & proprietates aliarum rerum, sunt rea-  
liter separabiles à suis essentijs, & separatim possunt  
existere: atqui nequeunt separatim existere, nisi con-  
seruentur per aliam actionem ab ea, à quâ conserua-  
tur earum essentia, nec hoc fieri potest nisi fuerint  
productæ per aliam actionem ab ea, per quam pro-  
ducta fuit earum essentia, quia conseruatio rei, est  
prima rei productio continuata; ergo per actionem  
quâ fit essentia, non fiunt eius proprietates: nec  
proindè fiunt à generante, quemadmodum essentia,  
sed ab ipsa essentia, Quod probo, proprietates pro-  
fluunt ab essentia, ergo fiunt ab essentia. Id patet, nam  
profluere ab essentia, est essentiam influere esse in  
proprietates, atqui influere esse in proprietates, est  
producere proprietates: ergo essentia producit pro-  
prietates. Deinde, dum aqua calida restituit se ad  
pristinum frigus non adest generans: ergo, alia est  
assignanda causa, talis effectus: atqui, nequit assignari  
alia quam forma aquæ, ergo illa est causa suarum  
proprietatum. Idem dicendum de alijs qualitatibus  
& passionibus rerum. Nota tamen, essentiam esse cau-  
sam materialem, & efficientem suarum proprietatum.

Est causa efficiens quia illas efficit.: est causa materialis quia illas recipit. Est enim emanatio, actio immanes, quæ remanet in eodem subiecto a quo elicetur. Nota 2. generans esse quidem causam remotam proprietatum, sed non causam proximam: quia proxime attingit essentiam seu existentiam essentiae, at remote tantum attingit proprietates; non quod influat usque ad illas mediæ essentiæ: sed quia attingit solam essentiam, & sola essentia cum concurso 1. causæ effudit proprietates.

SUPEREST examinandum quid sit emanatio. Docent Complutenses §. 5. posse eam spectari actiuè vel passiuè. Si actiuè, non esse aliud quam essentiam prout connotat actionem agentis terminari ad se primariò, ad passiones vero secundariò: si passiuè vero, nihil esse aliud quam ipsasmet passiones prout connotant essentiam, illas passiones exigentem. At contra per illos eodem §. eadem est actio quæ fit essentia & proprietates, licet primariò attingat essentiam, secundario vero proprietates ergo eadem actio pro diuerso termino habet diuersam appellationem: prout terminatur ad essentiam, dicitur generatio: prout terminatur ad passiones, dicitur emanatio, ergo, emanatio non est essentia nec passiones, sed tantum fit inter essentiam & passiones; est enim (ex illis) actio eadem quæ attingit essentiam & passiones licet per prius attingat essentiam: & per posterius passiones. Sed contra, nam eadem actio nequit attingere duplum effectum, maximè ex illis, qui docent effectum identificari cum actione: si enim eadem actio attingat essentiam & proprietates, & actio identificetur cum effectu, sequitur essentiam identificati cum suis proprietatis, quod est inauditum. Addunt illi eodem §. 5. eadem actione fieri essentiam primario, primam proprietatem secundario, deinde secundam, & sic eodem ordine usque ad perfectiorem; itaut, una sic earum omnium indubius actio. At contra, nam eadem actio nequit esse substantialis & aocidentalis, esset autem substantialis dum terminaretur ad essentiam

tiam, & accidentalis, dūm terminaretur ad proprietates, quia omnis actio speciem sumit à termino ad quem tendit. Vnde chymæra esset illa actio, quia resultat ex diuersis naturis, & consequenter Chymærica est illa opinio, quia simile, sibi simile producit. Est igitur generatio, actio quā fit essentias emanatio vero actio distincta, & posterior, quā sunt proprietates actiuè ab essentia, concorrente primâ causa: sed hæc satis. An accidens dūm producit accidentes, sit illius causa principalis, aut illud attingat ut instrumentum substantiæ. Videamus.

## QVÆSTIO XI.

*Virūm accidens producat accidens ut instrumentum substantiæ, vel ut causa principalis.*

**D**OCVIMVS suprà, accidens non posse producere substantiæ virtute propriâ, neque virtute aliena nempè in virtute substantiæ: sed substantiæ producere substantiæ, & accidens ab accidente; quia simile, sibi simile producit. Mox examinandum occurrit, nūm accidens sit causa principalis alterius accidentis, quemadmodum substantia est causa principalis alterius substantiæ; vel, virūm unum accidens, aliud accidens producat, ut instrumentum substantiæ. Ut id percipias obseruandum est i. quid sit causa præcipua, & quid sit causa instrumentaria. Sribit Scottus & quidem recte, causam præcipuam eam esse quæ producit id quod præcipuum est in effectu, nempè formam instrumentariam verò, quæ producit id quod minus præcipuum est in effectu, nempè dispositiones. Hoc sensu, ignis per suam calorem, & suam siccitatem, materiam quæ subest formæ ligni disponit illi tribendo calorem & siccitatem: at per suam formam alteram sibi similem formam producit in materia disposita.

& sic, forma ignis est causa principalis alterius formæ ignis: at eius accidentia causæ sunt instrumentariæ ignis, quia ijs vtitur ignis ad suum effectum producendum. Id patet etiam in artificialibus, nam artifex vt causa principalis suis vtitur instrumentis ad opus efficiendum: pariter in supernaturalibus agens præcipuum vtitur instrumentis quibus suos elicit actus: & sic triplex est genus instrumenti, naturale, artificiale & supernaturale. Naturale est institutum à naturâ in ordine ad effectum aliquem excedentem virtutem propriam dispositiūe, vt calor nativus, & virtus nutritiua respectu animalis, quia ijs vtitur animal ad disponendum cibum in ordine ad propriam substantiam, quod non possent præstare hæ virtutes sine concursu animæ cuius sunt instrumenta naturalia: artificiale est illud quod assumitur ab artifice, ad opera artis perficienda, vt serra, penicillus, calamus; instrumenta supernaturalia sunt ea quæ Deus assumit ad effectus supernaturales gratiæ præstandos, vt sunt sacramenta. Non est hic proprius locus disputandi de supernaturalibus aut de artificialibus, sed tantum de naturalibus, quandoquidem in ipsius naturæ explanationem, versamur.

**S C R I B I T** Ruuius q. 5. de causa efficiente, accidentia producere sibi similia accidentia tanquam causas instrumentales substantiæ. Probat nam causa instrumentaria ea est quæ eleuatur à causa principali eò quod non habeat ex se vim producendi effectum ad quem naturâ suâ ordinatur: atqui accidens dum producit aliud accidens eiusdem speciei, habet ex se vim producendi illud, quia utrumque est eiusdem ordinis & eiusdem speciei; ergo unum respectu alterius, non est causa instrumentaria, sed præcipua.

**A T** contrâ, nam unum accidens, non ordinatur ad aliud accidens producendum, nisi vt medium ad formam: ergo naturâ sua subiicitur substantiæ agenti, & sic est instrumentum substantiæ: exemplum erit huiusmodi. Ignis per suum calorem, & per suam siccitudinem producit in ligno calorem, & siccitudinem dicit

Ruuius, calorem ignis esse causam principalem caloris producti in ligno : & siccitatem ignis, causam pariter principalem siccitatis productæ in ligno, quia nimurum calor & calor ; siccitas & siccitas, siue sint in ligno, siue in igne, sunt eiusdem speciei. At, non videt 1. calorem & siccitatem ignis non agere, ut principium, quod, sed ut principium, quo, quia sunt principia agendi in igne: ignem verò agere ut principium, quod, non verò, ut principium, quo, quia actiones sunt suppositorum. 2. non videt accidentia producere accidentia tanquam dispositiones ad formam, & consequenter in ordine ad formam, ergo, per subordinacionem medij ad formam : atque omnis subordinatio medij ad finem, seu ad formam, est subordinatio instrumenti ad causam principalem, ergo, accidens producit accidens, ut instrumentum substantiae. Vrget Ruuius, ignis non calefacit, ut ignis, sed ut calidus, ergo, calor non est instrumentum ignis, sed id quod formaliter constituit ignem aptum ad calefaciendum. At, inde deducitur veritas nostræ opinionis. Ignis non calefacit ut ignis, sed ut calidus ; ergo, calor est in igne, id quod vitetur ignis ad calefaciendum nequit autem ut illo, nisi ut instrumento ; ergo, calor est instrumentum ignis.

I D E M quod Ruuius docent Complutenses: qu. 3. disp. 10. de causa efficiente §. 1. vbi conceptis verbis aiunt unum accidens producere aliud accidens eiusdem speciei in ratione agentis principalis, Ratio eorum est, quia causa instrumentalis est ea quæ eleuatur ad producendum effectum se nobiliorem, & excedentem suam propriam virtutem : sed calor ut producit alterum calorem, non eleuatur ad producendum effectum se nobiliorem, neque excedentem propriam virtutem, quia uterque calor est eiusdem perfectionis & eiusdem ordinis, ergo, unus non est causa instrumentalis alterius. Sed contraria, nam calor, producens alterum calorem non sifit ibi, sed progreditur ulterius usque ad formam. Hoc est, natura suâ ordinatur ad formam, non quidem productiuè, sed dispositiuè : intentio

enim naturæ est producere formam, ut resultet totum & nequit forma produci, nisi sint dispositiones: sunt igitur dispositiones in materia, tamquam via ad formam, & illæ dispositiones sunt accidentia producta ab alijs accidentibus ergo accidentia, producunt alia accidentia in ordine ad formam, & sic subordinantur formæ subordinatione medij ad finem, viæ ad terminum; dispositionis ad formam, quod est, esse verum instrumentum agentis. Quare.

**DICENDVM** est, vnum accidens producere aliud accidens eiusdem speciei, nempè calorem, calorem in materia, per ordinem ad formam, tamquam instrumentum agentis. Id patet ex dictis, nam actiones sunt suppositorum, ergo, nihil agit, ut causa præcipua nisi suppositum: atqui accidens non est suppositum, ergo, neque est causa præcipua. Deinde, ut se habet esse, ita se habet operari, quia operari sequitur esse, & modus operandi sequitur modum essendi: atqui, esse accidentium subordinatur esse substantiæ, ergo, & operari atque modus operandi accidentium subordinantur operationi, & modo essendi substantiæ, & sic vnum accidens non producit altud, nisi ut instrumentum substantiæ: quia subordinatio medij ad finem indicat rationem instrumenti.

**D I C E S**, omnis causa secunda subordinatur prima, & tamē nulla est instrumentum primæ, ergo, subordinatio non indicat rationem instrumenti. Quod omnis causa secunda subordinetur primæ, patet nulla siquidem est causa secunda quæ possit operari nisi concurrente prima, ut dicetur suo loco, ergo: omnis subordinatur primæ. Distinguo, omnis causa secunda subordinatur primæ, subordinatione ordinis causæ, in ordine ad eundem omnino effectum, concedo: subordinatione medij ad finem nego. Dixi subordinatione ordinis causæ; quia prima, est ordinis superioris propterea que dicitur. prima prioritate ordinis: secunda vero est ordinis inferioris, propterea que dicitur secunda, sicut utraque sit eiusdem generis causæ, nempè generis efficientis: at causa secunda, cum suis

accidentibus ita se habet, ut sint quidem diuersi ordinis, & eiusdem generis causæ, sed quia eumdem non attingūt effectum proximum, sed diuersum propter ea vna dicitur præcipua, quia id quod præcipuum est in effectu attingit: altera verò minus præcipua, seu instrumentalis, quia id quod minus præcipuum est in effectu attingit. Sed hæc satis. An causæ instrumentales habeant sibi insitam vim agendi. Videamus.

## QVÆSTIO XII.

*An causa instrumentales habeant propriam efficiētiā, seu propriam vim agendi.*

**P**ROCEDIT quæstio de instrumentis naturalibus, supernaturalibus, & artificialibus, ut sensus sit an omne genus instrumenti habeat in se vim ingenitam operandi, dummodo eleuetur à causa principali vel dummodo adiuuetur à causa præcipua; quia nimirū instrumenta subiiciuntur operationi principalis agentis; itavt nequeant agere, nisi agente causa principali; aut nisi mouente causâ præcipuâ. Sensus est, an calor in igne, intellectus in anima: ferræ in artifice: & sacramenta nouæ legis in ministro: habeant ex se aliquid virtutis ad suos edendos effectus, dummodo concurrat causa præcipua cum illis: vel, vtrum tota operatio procedat ab agente principalis; itavt illa instrumenta nihil efficiant actione propria.

S E R I B I T Durandus in lib. 2. dist. 1. q. 4. & cum illo plures alij, instrumenta nihil efficere virtute propria, sed principale agens omnia moliri ad præsentiam instrumenti. Explicat hoc modo, instrumenta, inquit, habent tantum potentiam obedientialem quæ subiiciuntur operationi agentis: ergo, nihil ex se efficiunt. Hoc sensu, nec calor ignis esset actius; nec ferræ in manu artificis aliquid ageret; nec Sacramen-

tum concurreret ad gratiam ; sed tantum obediret passiuè, operationi agentis. At contrà, nam Sacra-  
menta & Physicè & moraliter producunt id quod signi-  
fican, cùm sint signa practica, non speculatiua: & fer-  
ra lignum scindit ex se, & calor ignis calefacit per se,  
vel est ratio cur ignis calefaciat , quia actiones sunt  
suppositorum. Vrgent aduersarij, actio non conuenit  
instrumento nisi in virtute agentis principalis , quia  
calor ignis non calefacit, nisi quia ignis concurrit; nec  
serra lignum scindit, nisi quia artifex illam mouet: nec  
Sacramentum producit gratiam , nisi quia Sacerdos  
illud administrat: ergo instrumenta nullam vim ha-  
bent, sed causæ principales agunt, ad præsentiam co-  
rum. Sed contrà, instrumenta non agunt, nisi concur-  
rente causâ principalis concedo, ergo, nullam habent  
vim agendi solitariè; concedo , nullam habent vim  
agendi cum causâ præcipua; nego.

COMPLVTENSES qu. 2. de instrumentis § 2. asse-  
xunt , de ratione causæ instrumentalis esse, vt habeat  
actionem quæ sit prævia ad actionem principalis  
agentis, & vim agendi distinctam, à vi principalis cau-  
sa. Hoc vltimum probant, ex D. Thoma. I, p. q. 45.  
articulo 5.vbi sic ait, *causa instrumentalis non partici-  
pat actionem causa superioris, nisi in quantum per ali-  
quid sibi proprium, dispositiuè operatur ad effectum prin-  
cipalis agentis.* ex quibus deducitur, instrumenta dis-  
ponere materiam, ad formam generandam per agens  
principale. Et sic ignis per suum calorem disponit li-  
gnum ad formam ignis generandam per ignem. Et 2.  
contra Gentes c. 21.art. 6.vbi habet , *omne agens in-  
strumentale exequitur actionem principalis agentis, per  
aliquam actionem propriam, & naturalem sibi.* Ex qui-  
bus appetet mentem D. Th. esse, vt instrumenta ha-  
beant sibi propriam vim agendi, quâ possint dispone-  
re materiam, ad formam constitutuam totius, produ-  
cendam per agens principale : actionem verò instru-  
menti esse præviam ad actionem principalis causæ.  
Ostendunt hoc modo, actio instrumeti non est nece-  
saria causæ præcipuae nisi vt illâ mediâ, agens præci-

puum attingat suum effectum: ergo, actio instrumenti prævia est ad actionem principalis agentis. Id patet. Nam calefactio est ideo necessaria ad productionem formæ ignis in materia, quia calefactio est media ad generationem ignis; ergo illa debet esse prævia ad generationem ignis. Pariter in artificialibus, scissio ligni prævia est ad confectionem cathedræ: atque, scissio est actio instrumenti: confectione vero cathedræ est actio principalis agentis; ergo, actio instrumenti est prævia ad operationem principalis agentis. Similiter in supernaturalibus, Sacramentorum actio videtur præcedere actionem Dei, quia ipsa Sacra menta disponunt animam, Deus vero infundit gratiam, utendo Sacramentis, ergo in omnibus, actio instrumenti prævia est; ut medium, ad operationem agentis præcipui.

RVVIVS q. 3. tract. 4. de causa efficiente rectè quidē redarguit opinionem Durandi de potentia obedientiali instrumenti, quod illa potentia se habeat purè passiuè, virtus vero instrumenti debeat esse actiua, & naturā suā ordinata & proportionata, (ut medium necessarium) ad actionem principalis agentis: rectè etiā admittit operationem instrumenti præviā esse ad operationem causæ principalis: sed non placet quod doceat instrumentum eleuari à causa principali, ad effectum se nobiliorem. Nos enim Docuimus, qu. 11. accidentia ut instrumenta substantiarē attingere quidē formam substantialem dispositiūē, sed non productiūē: ergo instrumentum non eleuatur ad effectum se nobiliorem, nisi dispositiūē, & sic instrumenta agūt quod innobilius est in effectu: causæ vero principales, id quod est nobilius in effectu. Quare.

D I C E N D V M est, omnia instrumenta habere vim sibi insitam agendi id, ad quod naturā suā ordinantur. Probatur, nam, instrumentum est id quod medio agens principale attingit suum effectum: ut ignis producit alium ignem; medio suo calore: artifex conficit cathedralm, mediā dolabré, serrā: Sacerdos producit gratiam, medio Sacramento; ergo, Sacramentum, serra, dolabra, & calor habent in se vim propriam qua

possint illos præstare effectus. Neque enim possunt id efficere per potentiam obedientialem, saltem in naturalibus & artificialibus, cùm contrarium experiamur. Calor enim ignis, natura sua actiuus est: ferrum etiam dispositum in ferram, quamdam vim habet ex se, ut possit scindere lignum, propter duriciem, soliditatem, & densitatem suam: vnde, calor ignis natura sua ordinatur ad disponendam materiam, ad formam ignis, non autem ad solam calefactionem: pariter serra non ad aliud fit finem, quā propter scissionem, & sic de cæteris: vnumquodque enim est propter suam operationem: & operatio duplex est, una medijs ad finem, altera immediate se habet ad finem. Causæ principales attingunt immediatè finem: causæ instrumentales attingunt media; ad finem. Sed cùm media præcedant finem, hinc est, quod instrumenta agant antecedenter ad finem; & sic, actio instrumenti est prævia ad operationem principalis agentis. Sed an instrumenta & causæ principales creatæ, agant independenter à causa superiori prima. Videamus.

### Q V Æ S T I O X I I I .

*Virium causæ secundæ necessariae, & liberae,  
agant independenter à Deo.*

**N**ON VLLI Theologi inter quos Durandus in z. dist. r. quæst. 5. adeò oppositi fuere opinioni eorum, qui omnia fieri à Deo contendunt, sine concurso creaturarum: vt arbitrarentur nihil modò à Deo produci, sed omnia fieri à causis secundis independenter à Deo. Putant enim, Deum ob id solum dici authorem vniuersorum, quod in prima rerum productione singulis rebus indiderit vim, & facultatē operandi, quā possent per se immediate agere nullo adhi-

bito concursu Diuino. At, docet vniuersa schola nihil posse effici à creaturâ independenter à Deo, à quô vnumquodque agens creatum, vt dependet in esse, ita dependet in operari. Stabiliunt illi suam opinionem 1. ex sacra Scriptura, Genes. 1. *Germinet terram herbam videntem & facientem semen iuxta germen suū & statim. Crescite & multiplicamini.* 2. experientia, quia videmus Cœlum moueri, & suo motu effundere suos influxus in hæc inferiora, solem illustrare terras, & suis influxibus gignere aurum, & metalla in visceribus terræ, aërem, aquam, terram multos edere effectus in ijs inferioribus: nosmet plura præstare ex nobis, quæ à Deo produci non possunt: nec possumus nos inducere in animam, Deum posse id nobiscum patrare. Ut sunt multa mala, homicidia, furtæ, blasphemæ, & alia id genus, quæ summam dedecent Diuinam bonitatem. 3. ratione morali ostendunt, Deum à principio, hunc mundum condidisse & postea quām rebus creatis, dederit esse & virtutem agendi, eisdem commisisse propagationem rerum omnium per multiplicationem individuorum; adeòvt post primam rerum creationem, nihil aliud operetur Deus per se, sed per creaturas: eo modo quo solet Rex suis pro regibus communicare potestatem qua possint regnū administrare, nullo modo cooperante Rege. At. 4. probant ratione, 1. si Deus concurreret cum causis secundis ad omnes earum effectus, idem effectus esset totus à Deo, & totus à creaturâ, quia Deus, & creatura sunt causæ totales: atqui, totus effectus non potest esse à Deo, & simul totus à creaturâ, quia sic esset totus à Deo, & non esset totus à Deo, quia esset totus à creatura, & id quod totum est à creatura, nihil eius est à creatore, vt patet, ergo, Deus non concurrit cum creaturis ad omnes earum effectus. Sed contrà, idem effectus non potest esse totus à duplice causa totali sìgillatim sumpta, si causæ illæ non sint essentialiter subordinatæ, concedo: si sint essentialiter subordinatæ, vt creatura subordinatur Deo, nego. Causæ totales non essentialiter subordinatæ sunt duo ignes,

duo homines, qui sigillatim agunt ut causæ totales: causæ totales essentialiter subordinatae sunt Deus & creatura propter dependentiam creature à Deo, in suo esse & operari, quia esse suum accepit à Deo, & virtutem operandi; nec potest hæc virtus exire in actum nisi concurrente Deo. Probant 2. si Deus concurrat cum causis secundis, vel eadem, vel diuersa actione: non diuersa actione, qui est idem numero effectus & idem numero effectus, postulat eamdem numero actionem: neque eadem actione, quia eadem actio, non potest oriri à dupli numero principio; ergo, non concurrit Deus cum causis secundis, ad omnes earum effectus. Sed contrà, eadem numero actio non potest oriri à dupli numero principio essentialiter non subordinato, concedo; non potest oriri à dupli numero principio essentialiter subordinato, nego. Ratio distinctionis est, quia eadem scissio oritur ab artifice & à ferrâ: eadem citharifatio procedit à lyra & à Citharædo, quia instrumentum, & artifex sunt causæ essentialiter subordinatae, & illa essentialis subordinatio est tanquam vnio vniens instrumentum cum causa principali, ut ex tali vniione fiat vnicca causa totalis unitate agendi: vnde, vnicca actio profluit à dupli principio vniificatio per subordinationem. Est autem subordinatio quando duæ causæ diuersi ordinis, & eiusdem generis, concurrunt ad vnum eundemque effectum, cuiusmodi est Deus, cum creatura: est enim Deus ordinis superioris, creatura verò ordinis inferiori. Deus est subordinans, creature sunt subordinatae: Deus est prima causa, creature verò causæ secundæ. Instrumenta artis, ut setra, penicillus, &c. Subordinantur artifici, eo ferè modo quo creature subordinantur Deo: vnde, quemadmodum totus effectus tribuitur instrumento, & idem totus, artifici; pariter totus effectus naturalis tribuitur & primæ, & secundæ causæ. Vnde, docent aliqui causas secundas esse instrumenta primæ, & licet id possit asserti, est tamen falsum; quia causæ secundæ sunt causæ principales suorum effectuum, quia producūt id quod

nobilius est in effectu; instrumenta verò id quod est innobilius, nempè dispositiones, ad formam.

LICET autem impium sit & falsum, atque omnino periculosum in fide, Deum non concurrere cum creaturis in omnibus suis actibus obeundis, potest tamen hoc modo vterius suaderi. Si Deus concurrat cum creaturis, concurrit etiam cum voluntate nostra ad peccatum: atqui, hoc non potest dici absque errore, quia sic Deus esset causa peccati: ergo, Deus non concurrit cum omnibus causis secundis. Sed contrà, si Deus concurrat cum voluntate, concurret ad materiale peccati, concedo: ad formale peccati nego. Materiale peccati est actio voluntatis; formale peccati, est carentia rectitudinis debitæ tali actioni. In omni enim actione humana, sunt duo consideranda, nempè, entitas actionis, & conformitas, seu diformitas actionis cum lege diuina: dicitur autem bona à conformitate sui cum lege: & mala à diformitate sui cum lege. Cùm autem omnis priuatio sit nihil, & sine ipso factum est nihil: entitas verò actionis sit aliquid reale positivum, & omne reale positivum sit à Deo: hinc sit ut Deus concurrat ad entitatem actionis voluntatis, & non concurrat ad irrectitudinem voluntatis, in qua sola sita est essentia peccati. Sed quæres, cur Deus non concurrat ad irrectitudinem actionis, cùm cōcurrat ad entitatem actionis. Resp. Deum concurrere ad entitatem actionis, quia est aliquid reale; non concurrere ad irrectitudinem actionis, quia nihil est reale. Quoties enim duæ causæ essentialiter subordinatae, concurrunt ad unum eundemque effectum, & altera facit quidquid potest & debet, altera verò non facit, nec quod debet, nec quod potest, si defectus aliquis reperiatur in effectu: ille totus debet tribui illi causæ, quæ non fecit, quidquid debuit, & potuit: non autem illi quæ quidquid potuit & debuit, fecit; atqui Deus cùm concurrit cùm voluntate nostra, quidquid debet & potest, facit: voluntas verò non facit, ergo, si aliquis defectus reperiatur in actione tribui debet voluntati nostræ, non Deo cooperanti.

Hoc patet exemplum, si scriba in sua arte peritissimus, utatur ad suos characteres efformandos duplice calamo, altero bene aptato; altero male acuminato: egregios efformabit characteres isto, informes vero illo: vnde hic defectus, nisi a calamo qui non fecit id quod debuit? Scriba quidquid potuit & debuit, fecit; calamus non fecit; ergo, totus defectus debet illi tribui. Sic Deus, & voluntas nostra, voluntas est in manu Dei, ut calamus in manu Scribæ: hic quidquid potest & debet facit, illa non facit, cui igitur debet tribui defectus nisi voluntati? Quare.

DICENDVM est 1. Deum concurrere cum causis secundis in omnibus illarum operationibus obediens. Ita docet utraque schola, philosophica quidem cum Aristotele, Theologica vero cum Divo Thoma & ceteris utriusque lingue Doctoribus. Probatur primo ex Arist. 2. Met. cap. 2. text. 5. alijsque in locis, ubi scribit causam inferiorem non agere nisi dependenter a superiori: ita ut superior simul concurrat ad ipsum causandi actum, ubi philosophus loquitur de causis essentialiter subordinatis: ergo, ex mente philosophi, in causis essentialiter subordinatis, non agit inferior, nisi superior simul operetur: atqui causæ secundæ sunt essentialiter subordinatae primæ: ergo, numquam illæ operabuntur, nisi agat prima; ergo, ad quamlibet actionem causæ secundæ concurrit Deus, vel ex mente Aristotelis, iam vero causas secundas essentialiter subordinari primæ, probatur, ea enim causa essentialiter subordinatur alteri, quæ sine illa nequit operari: sed causa secunda, sine prima, nequit operari; ergo, illi essentialiter subordinatur. Probatur minor, quia si causa secunda sine prima posset operari, iam non esset causa secunda, sed prima qui nulli subordinaretur, ergo, sine illa nequit operari. Deinde, si Deus non concurreret necessario cum omni causa secunda, non posset impedire actionem agentium naturalium: nisi ipsis obiciendo contraria: atqui id derogat divinæ omnipotentiæ, estque contra id quod experti sunt tres pueri in fornace babilonica: nam actio ignis

non fuit impedita, obiecto frigore, aut contraria aliqua qualitate, sed subtractione diuini concursus, sine quo ignis non poterat illos comburere: ergo, concurrit Deus cum causis secundis Confirmatur, nam actio qua causa secunda producit suum effectum est ens creatum: ergo, essentialiter pendet a Deo, est etiam intrinsecè ens dependens & participatum a Deo, vel ergo pendet a Deo per actionem a se distinctam, vel per se ipsam: non per aliam, quia non datur actio actionis, alioqui daretur progressus in infinitum; ergo per seipsum: atqui, non potest pendere a Deo per seipsum, nisi ipsam sit actio Dei & creaturæ, ut patet: ergo, Deus per eam non minus producit effectum, quam causa secunda. Vnde.

**DICENDVM** 2. concursum Dei cum causa secunda, non esse aliud quam actionem ipsiusmet causæ secundæ, prout procedentem a primâ. Ratio est, quia si esset aliquid aliud, vel antecederet actionem causæ primæ, vel succederet illi: vel esset simul cum illa: non potest esse simul cum illa & esse aliquid diuersum ab illa, alioquin esset diuersus effectus, pro illarum actionum diuersitate: ergo, est aliquid antecedens, vel aliquid subsequens: non aliquid subsequens, quia sic causa secunda ageret antequam agat causa prima, & sic non indigeret concursu cause primæ: quia id quod prius est, non indiget posteriori ut sit: nec operatione posterioris ut operetur, si operetur prius: ergo erit aliquid prius: si sit aliquid prius, ergo, prius agit Deus, quam causa secunda, & sic prius attingit effectum Deus, quam causa secunda, & consequenter effectus producitur a Deo, antequam agat causa secunda, & sic non est effectus causa secundæ, nec debet illa actio Dei vocari concursus, sed præcursor respectu actionis causæ secundæ: ergo, concursus diuinus nihil differt ab ea actione qua est etiam causa secundæ,

**D I C E S**, ex nostrâ sententiâ sequi neque virtutem causæ primæ qua concurrit cum causa 2, neque vim causæ secundæ, esse sufficienes ad effectuum productionem; cum neque causa 1. sola eadem ipsa efficiē-

tiā quā producit effectum cum causa 2. neque secunda seorsim sumpta eundem possit producere, sed debeat vtraque concurrere. Resp. utramque esse sufficientem in suo genere, nec tamen posse effectum produci à solā. 2. propter essentialēm subordinationem: licet causa prima id posset sola, quia non sibi subordinat essentialiter causam secundam, quamuis causa secunda subordinetur essentialiter primę. Causa enim prima cùm sit omnino independens à secundā, potest agere sine concurso secundæ, vt contingit in prima rerum productione: sed omnis causa secunda, quia essentialiter dependet à Deo in suo fieri, & conseruari; ita dependet à Deo in operari, quia operari sequitur esse: & modus operandi sequitur modum essendi. Sed, an præter concursum simultaneum quem Deus præbet omnibus creaturis, videndum est; an tribuat etiam illis concursum prætium, quem physicam vocant præmotionem.

---

## QVÆSTIO XIV.

*De prævio concurso, seu Physica predeterminatione, seu motione.*

**Q**UÆSTIONEM grauem aggredimur, ac dignam quæ omnibus suis numeris absoluatur. An scilicet præter simultaneum concursum quem præbet Deus suis creaturis ad operandum, tribuat etiam aliud qui præcedat simultaneum, & à quo causa secunda habeat, vt possit operari, cùm sine illo nequiret ullo modo agere. Negant omnes istum prætium concursum, præter Thomistas, qui hac in parte volunt iurare in verba Magistri. Vocant autem illam præmotionem; motionem virtuosam; applicacionem causæ secundæ ad operandum; Physicam prædeterminationem: excitationem causæ secundæ, à

primā : vel concursum praeium. Immò, addunt istum concursum adeò necessarium esse , vt sine ipso non saluetur subordinatio causarum secundarum cum prima; cum non tantum creaturæ dependeant à Deo in fieri & conseruari , sed etiam in operari.

**V E R Y M** , obseruandum est, causas omnes secundas vel contingenter, vel necessariò, vel liberè operari, quidquid operantur. Contingenter enim fit paries albus : Ignis, verò necessariò calefacit : at , homo liberè peccat , aut liberè honestatem sectatur. Nota. 2. causam primam se liberè huic legi obligasse , vt suum concursum simultaneum præbeat causis secundis, quoties sese offert occasio operandi, iuxta exigentiam naturæ cuiusque: contingenter cum contingentibus : necessariò cum necessarijs & liberè cum liberis, conformiter tamen ad earum species : itavt causa prima non videatur agere nisi in subsidium causæ 2. incapacis ex se , vt independenter operetur à concursu simultaneo : adeò vt si secunda absque auxilio primæ, posset vti propria sua vi, nullo pacto alterius ope indigeret : quemadmodum materia prima non indigeret concomitantia formæ , si independenter ab illa posset frui sua propria existentia. Quare duplex videtur requiri concursus Dei, unus quo causa secunda excitetur ad operandum , alter, quo simul cù causa secunda operetur Deus. Hic vocatur simultaneus & admittitur in schola Peripatetica : ille verò dicitur præuius , & non valet nisi apud Thomistas.

**SCRIBVNT** Complutenses q. 3. disp. 11. de dependentia causæ 2. à 1. §. 2. Deum præmouere causas secundas necessarias ad suos actus , influendo in illas aliquid reale Physicū, & præium, quô promoueantur, & prædeterminentur Physicè ad operandū, ac proinde nū sufficere concursum simultaneum. Et vt hæc eoru doctrina intelligatur , præmonent , hæc duo distinguunt : operari cum aliquo ex una parte, & operari in illo, aut per illum , seu mouere ipsum ad operandum ex alia : nam primum denotat tantum similitatem, seu concomitantiam concursus , vt si duo portent unum

& eundem lapidem, quiuis operatur simul cum alio, quia simultaneè cum illo concurrit: At verò ad secundum requiritur ut agens quod operatur per aliud, aut in alio, non solum concurrat simultaneè cum altero, sed per suum concursum faciat, ut alterum agat, & operetur; quia mouendo illud ad operandum, facit, ut faciat. Sic, vnum ex ferentibus lapidem, non facit ut alias illum ferat, quia illum non præmouet nec applicat ad ferendum: sed tantum simul fecit cum illo. His prænotatis, aiunt r. licet causa prima, & causa secunda necessaria concurrat simul ad actionem eiusdem causæ secundæ, tamen cum hoc discrimine, quod Deus non solum est causa illius actionis, prout est ab ipso: sed etiam per suum concursum est causa eiusdem actionis, prout est ab illa causa secunda; at verò causa secunda, & necessaria, licet sit causa suæ actionis, prout est ab ipsa, non potest tamen esse causa illius, prout est à Deo: ergo, Deus non solum causat realem illam actionem, sed etiam per suum concursum facit actu, quod causa secunda necessaria agat, & ex consequenti, non solum concurrit per concursum simultaneum: sed etiam per aliquid præsumum, & intrinsecum, per quod Physicè præmoueat illam ad operandum.

SED contrà, Deus est causa eiusdem actionis, prout est à se, & à creatura; creatura verò non est causa eiusdem actionis, prout est à Deo: sed tantum prout est à se: concedo: ergo, Deus ponit in creatura aliquid per quod illa agat. Distinguo, posuit in prima sui productione virtutem agendi in creatura, cōcedo: in instanti operationis, ponit aliquid in creatura per quod operetur, nego. Ergo, datur præius concursus, id est, prima rei productio, concedo: alius concursus præter simultaneum, in instanti operationis. Nego vel ita, Deus est causa eiusdem actionis prout est à se, & à creatura: quia eadem est actio Dei & creaturæ, concedo: Deus est causa eiusdem actionis; prout est creaturæ, quia virtus primò communicata creaturæ, est dependens à Deo in suo operari, concedo:

Deus

Deo in suo operari, concedo: Deus est causa eiusdem actionis prout est à creatura, quia in instanti operationis, Deus corroborat, auget, aut perficit illam virtutem, per qualitatem de novo productam, nōgo. Vrgent illi, illa actio creaturæ, prout est à creatura, non potest etiam esse à Deo, nisi Deus influat non tantum in eam actionem, sed etiam in creaturam agentem, efficiendo ut illa agat: ergo, debet Deus prius operari in causa secunda, quam possit causa secunda cooperari, & sic admittendus est prævius concursus: distinguo, admittendus est prævius concursus quô Deus in prima rerum productione tribuit creaturæ virtutem operandi cum concursu simultaneo, concedo: admittendus est alijs prævius concursus in instanti operationis quô Deus ponit aliquid in causa secunda, per modum vel qualitatis, vel motionis, nōgo: sufficit enim simultaneus. Vrgent 2. Deus mouet actu prædictam causam ad operandum, datque illi ut agat oportet igitur ut ponat in ea aliquid, quô faciat, ut illa faciat: illud autem non ponitur in causa secunda per concursum simultaneum; quia ille non attingit nisi actionem quæ simul est Dei & creaturæ, quinimò, est eadem ipsa actio Dei & creaturæ, ergo debet dari alijs concursus qui sit prævius, quô, in instanti operationis causa secunda moueat, prædeterminetur, & excitetur ad operandum. Sed contra, eadem recurrat responsio, Deus dedit singulis rebus vim attinendi suos effectus, in prima earum productione, concedo: dat illis illam vim modo in instanti operationis, nōgo. Tribuit enim illis modò suum concursum simultaneum tantum, quia illa vis primò producta satis sufficiens est, ut concurrente Deo simul operetur: & exeat in actum. Vrgent iterum §. 3. si Deus non præmoueret causam secundam necessariam ad operandum, sequeretur quod illa causa esset primum semouens, & primum se determinans ad illam operationem, quod est esse primum principium simpliciter: ergo, plura sunt prima principia in ordine operatio, quod est hæresis Manichæorum: Probant

sequelam, quia causa secunda & necessaria, quæ non mouetur ab alio ad operandum, est primum se mouens, & primum se determinans, quia scipsum mouet. Sed contrà, primum mouens se, & primum se determinans, est illud quod in se per essentiam habet vim agendi, & concurrendi cum cæteris, quibus ipsum dat esse, & vim operandi, concedo: primum mouens se, & primum determinans se, est illud, quod per virtutem sibi communicatam à superiori potest exire in actum concurrente simul, superiori, nego. Vrgent §.

4. hoc modo, causa secunda & necessaria, nequit agere, quin Deus simultaneè cum illa agat: ergo, etiam debet præmoueri à Deo ad agendum: probant consequentiam, nam cùm ad illam actionem requiratur necessariò concursus simultaneus duarum causarum, oportet ut vel una moueat aliam, vel utraque ab alia moueatur, aliter enim fortuitò & casu mouerentur simul: ergo, cum secunda nequeat præmouere primā, nec est excogitabilis vlla tertia à qua illæ duæ præmoueantur, necesse est ut prima præmoueat secundā: alioqui nec prima, nec secunda scirent, quando esset præbendus simultaneus concursus. At contra, scit Deus per suam scientiam visionis quæcumque sunt futura, eo modo quo sunt futura, liberè, vel necessariò, vel contingenter: ergo, non latet eum, cur, quando, & quoties sit suum concursum simultaneum præbiturum causis secundis: nempè cùm adsunt omnes conditiones ad agendum. Deinde, dedit Dens creaturis virtutem agendi, quâ possint vti dum sese præbet occasio agendi; & sese obligauit Deus ad cooperandum cum illis, iuxta exigentiam cuiusque naturæ: cum liberis, liberè: cùm necessarijs, necessariò: & cùm contingentibus, contingenter: ergo, satis determinatur causa prima ad agendum virtute sui decreti de cooperando: & causa secunda per virtutem acceptam à Deo, satis condeterminatur ad agendum positis omnibus ponendis: & sic causa prima non prædeterminat causam secundam ad agendum, nisi quatenus dedit illi virtutē agendi dum sese præberet

occasio agendi: nec causa secunda determinat pri-  
mam, nisi quatenus positis omnibus ponendis, fert  
eius natura ut agat, & nequit agere, nisi Deus coo-  
peretur. Idque docet Diuus Thomas q.3. de potentia  
art.7. de creatione, vbi scribit Deum dici causam, seu  
concausam effectuum creaturarum, quia dedit crea-  
turis vim operandi; & alibi ubi dicit causam causae:  
esse causam causati, quia dedit causae virtutem  
operandi. Sed paulo altius sunt haec repetenda  
ut quod sentiamus, aperiatur. Non tantum ad-  
mittunt Thomistae hanc prædeterminationem in  
causis secundis necessarijs, sed etiam in liberis:  
ut sensus sit, neque etiam voluntatem nostram posse  
aliquem actum elicere, nisi præexcitetur, promouea-  
tur, & determinetur a Deo. Sed huic satis faciant  
argumento, si voluntas non vult nisi mota a Deo, ergo,  
non vult liberè; consequentia patet, nam voluntas  
non potest mouere se ad aliquid volendum, nisi ad id  
moueat & determinetur a Deo: & cum mouetur a  
Deo, non potest non moueri: nam implicat contra-  
dictionem, ut mouens moueat ipsum mobile, & ut sic  
mobile non moueat, quia non datur actio, sine pas-  
sione: ergo, si Deus moueat nostram voluntatem in  
omnibus suis actibus, ipsa non est libera, sed necessita-  
ta: & sic, nec meritum, nec demeritum habet, quia  
omne opus meritorium debet esse liberum. Dicent  
forte, nostram voluntatem liberè operari, quia Deus  
illam liberè mouet: at hoc ostendit tantum libertatem  
Dei, non autem voluntatis nostræ. Licet enim Deus  
liberè moueat cœlos; & liberè concurrat cum igne  
ad combustionem, propterea non censetur ignis libe-  
rè comburere, aut cœlum liberè moueri, sed. neces-  
sario; sic voluntas nostra licet Deus cum illa concur-  
rat liberè, non est existimandū illam liberè agere, si  
præexcitetur, prædeterminetur, & præmoueat effi-  
casiter a Deo. Nam, moueri liberè, & moueri ab alio,  
quo mouente, non possit mobile non moueri, oppo-  
nuntur: nequit enim aliquid moueri liberè, si non pos-  
sit resistere, vel obedire pro arbitrio, motioni: atqui

voluntas posita prædeterminatione, non potest non moueri; ergo, illa præmotio tollit libertatem. Quare hæc quæstio enodenda.

**V E R M** prius nota, quadruplicem esse concursū Dei cum creaturis ex mente Thomistarum, nempè, productuum, conseruatiuum, prævium, & simultaneum. Sed productius duplex est, unus quō homo producitur in esse naturali, & alius quō ponitur in esse supernaturali gratiæ; à primò habet homo, quem admodum cæteræ creaturæ materiales, suum esse naturale, necnon facultates operandi; ut sunt intellectus, voluntas, memoria: à secundò vero habet suum esse supernaturale gratiæ, & simul virtutes infusas disponentes ad gratiam, vel subsequentes gratiam, fidem, spem, charitatem, gratiam præuenientem, excitantem, & cooperantem. Concursus conseruatiuuus dicitur ille quō Deus res semel productas, in esse naturali, aut supernaturali, simul cum suis facultatibus operandi conseruat: prævium vero censem Thomistæ esse illum, quo Deus producit quamdam qualitatem in ipsis causis secundis, eoinstanti quo se offert occasio operandi, per quam qualitatem ipsæ causæ secundæ fiant proxime aptæ ad operandum, cùm antea essent omnino ineptæ, & incapaces, propter. Diminutam vim agendi acceptam in prima sui productione. Putant enim illam vim non posse exire in actum, nisi excitetur, præmoueat, & quasi præterminetur Physicè, per aliquam qualitatem de novo infusam, aqua roboratur causa, & sit potens ad proximè agendum, dato concursu generali, seu simultaneo. Est autem concursus simultaneus postremus omnium, quō Deus ipse simul agit cum creaturis, cùm ipsæ per se nequeant operari independenter ab eo propter essentialē subordinationem, de quā dictum fuit suprà, ijs prælibatis.

**D I C E N D V M** est 1. nullam esse causam secundam corpoream, & incorpoream; cœlestem, & sublunarem, quæ non indigeat influxu Dei productuo, & conseruatiuo. Ratio est, quia nullum agens creatum

poteſt actu operari , niſi existat actu , & actu conſeruetur in ſua exiſtentia: operari namque ſequitur eſſe, ſeu exiſtere ; & exiſtere ſupponit conſeruari, vel faltem habet ſibi annexam conſeruationem , quia nihil poſteſt operari in eo instanti in quo prodiſcitur ſed in tempore ſubſequenti in quo conſeruatur : atqui, omnis exiſtentia eſt à Deo, & conſequenter omnis conſeruatio, quia conſeruatio eſt prima rei producțio continuata, & per primam productionem fit exiſtentia, & conſequenter conſeruatio eſt continuatio exiſtentiae: ergo, omne ens creatum indiget primā productionē, ut exiſtat; & conſeruationē, ut perſeueret in exiſtentia.

D I C E N D V M 2. nullam cauſam ſecundam corpoream , aut incorpoream; liberam , aut neceſſariam indigere alio concuſtu ad operandum, quam producțiuo , conſeruatiuo, & ſimultaneo. Probatur, nam, ut agat , actu , debet exiſtere actu , nequid exiſtere actu , niſi fit producta actu ; ergo , eget influxu producțiuo. Deinde, non poſteſt agere actu, in instanti quō produciſtitur, quia prius debet exiſtere, quām agat : ergo incipit agere actu, poſtquam ſemel incepit exiſtere actu , quia operari ſequitur exiſtere actu : atqui

- non poſteſt exiſtere actu poſt primam ſui producționem, niſi per conſeruationem quae eſt eius prima producțio continuata ; ergo, ut operetur indiget influxu producțiuo, & conſeruatiuo. Quod indigeat, ſimultaneo , patet ex dictis quaſtione ſuperiori, quia non tantum dependet à Deo in ſuo fieri , & in ſuo conſeruari, ſed etiam in ſuo operari , quia formaliter ut cauſa, eſt ens dependens ; ens creatum, & ens parti-cipatum. Sed.

D I C E N D V M 3. influxum praeium Thomistarum eſſe reſpuendum tanquam repugnantem naturę , & gratiæ Naturae quidem , nam, qualitas illa quae producenda eſt in cauſis ſecundis , per illum : ut ultimò compleantur ad agendum, vel eſt prius actione; vel ſimul cum actione, vel poſt ipsam actionem cauſarum ſecundarum. Non poſt, alioquin eſſet ſuperflua, neque

simul, quia prius tempore debet existere principium operandi antequam actu agat , cum agere supponat existere: neque ante actionem causæ secundæ, siquidem tunc quæri posset nūm illa virtus producta per prærium concursū sit eiusdem rationis cum illa quæ primō producta est, vel diuersæ. Non diuersæ rationis , vt constat , quia ordinatur naturā sua ad eumdem specie, & numero effectum, ad quem ordinatur virtute primō producta: ergo eiusdem rationis erit:& sic, admisso prævio concursu Thomistarum , calor summè intensus in igne, per primam sui productionem,fiet intensior seipso summè intenso,quia augebitur illo calore de nouo producto per prærium cōcursum: atqui,nihil potest dari melius summè maximo:nihilque intensius, summè intensio:ergo,non est admittendus ille prævius concursus, vt potè qui repugnat ipsæ naturæ. Consequentia patet. Nam ignis per primam sui productionem habuit calorem summè intensum,id est,tantum,quantum postulat eius natura, ergo nihil caloris potest illi addi; atqui , additur per prærium concursum,ergo prævius concursus repugnat naturis rerum.

D I C V N T illi, non repugnare naturis rerum,sed potius perficere rerum naturas,quia ipsæ res cum esse nequeant agere,ipse concursus efficit vt agant.Sed contra,nam qui dat esse,dat consequentia ad esse, & cùm esse sit propter operandum, qui dat esse propter operandum, dat etiam necessaria ad operandum: atqui,agens per primam productionem effectus,dat illi esse propter operandū,ergo illi dat omnia necessaria ad operandum:vbi autem sunt omnia necessaria ad operandum , nihil aliud requiritur : ergo , posita prima productione rerum,per quam res accipiunt esse & virtutes operandi , superfluuus est omnis alius influxus , præter simultaneum quo indigent creaturæ propter essentialē subordinationem ad Deum.Omnis igitur causæ secundæ corporeæ,& spirituales ; liberæ,& necessariæ per primam sui productionem accepterunt esse ad operandum & consequenter omnia

necessaria ad agendum: quod probo, qui intendit aliquem finem, debet simul intendere omnia media, quae sunt ad talem finem, & sine quibus talis finis non potest haberi: atqui , Deus producendo creaturas intendit ut operentur iuxta exigentiam propriæ naturæ ergo, communicando illis esse , cōmunicat illis omnia necessaria ad finem talis esse . qui est operari.

D I C E N D V M igitur 4. causas intellectuales & liberas in operando , vt sunt Angelus , homo , non indigere concursu prævio Thomistarum. Probatur nam si spectentur in esse naturæ, per primam productionem habuerunt esse ad operandum, & consequenter omnia necessaria ad esse; & ad operandum, nempè, intellectum ut intelligerent: voluntatem, ut vellent: memoriam ut recordarentur: si verò considerentur in esse, gratiæ per primam productionem in tali esse accipiunt illud esse , & consequentia ad illud : iuxta illud , qui dat esse, debet dare consequentia ad esse: ergo, non indigent prævio concursu, qui subsequatur primam productionem in tali esse , sed simultaneò tantum , quo possint cooperati Deo , positâ primâ productione in tali esse. Vndè, dūm Deus dat homini primam gratiam excitantem , liber est homo , vt sequatur illius ductum, aut vt respuat illius motionem: ergo , per illam fit primò potens , homo vt supernaturaliter operetur: ergo, nullo alio prævio concursu indiget, vt illi gratiæ det suū cōcurrsum: atqui per illā gratiam primò ponitur homo in esse supernaturali, saltem inchoatiuè , seu dispositiuè , quia illa gratia est qualitas supernaturalis, & per illam incipit respicere Deum , & ordinari ad Deum ; ergo , datâ illâ gratiâ sufficit illi concursus simultaneus , vt operetur.

D I C E N T fortè, illam gratiam esse præviam motionem quâ Deus efficit , vt homo agat. Sed contrà, nam prævia motio si qua sit debet necessariò supponere, rem quâm mouet, itâ existentem; ergo, homo vt præmoueat ad operâdum naturaliter, debet existere in esse naturali: & vt præmoueat supernaturaliter, debet existere in esse supernaturali , quia in omn

statu, semper operari sequitur esse; & modus operandi, sequitur modum essendi: atqui, illa prima gratia excitans, non supponit hominem in esse supernaturali, sed est via, & dispositio ad tale esse: ergo, non est praeius concursus Thomistarum, sed aliquid prius. Sed esto, sit praeius concursus illorum: data tali gratia Petro, nequit Petrus non operari, quia ab illa determinatur ad agendum, & positâ determinatione causæ non potest causa non agere, quia implicat ut mouens moueat mobile, quin mobile moueatur: ergo, Petrus non agit liberè; sed necessariò; quia necessariò moueri, est ita moueri, ut non possit non moueri; & nequit id non moueri quod ab aliquo actu mouetur, quia non datur actio, sine passione. Deinde, si Deus præmoueat hominem ad omnes sui actiones, æque præmotet illum ad malum, ac ad bonum: vel homo erit tantum liber ad malum & non ad bonum, atqui est impium assicerere. Deum præmouere nos ad malum; ergo, liberè peccamus: non possumus autem liberè peccare si Deus præmoueat nos; ergo, dicendum quod illa præmotio physica sit abroganda. Quidquid autem dixi iudicio Ecclesiæ subjicio libenter.

F V I T olim eadem ferè dissentio inter Platonicos, & Peripateticos, quæ modo est inter nos & Thomistas, asserebant Platonici causas omnes secundas, esse instrumenta primæ causæ, & sic nihil agere creaturas nisi motas à Deo: propugnabant Peripatetici, causas secundas non esse instrumenta primæ, sed principales, & sic posse agere, licet non præmouerentur à prima. Ratio Platonorum erat, illud est agens principale quod efficit & non efficitur, mouet & non mouetur: & quod est finis, atque principium motus, cuiusmodi est Deus respectu creaturarum; illud verò est agens instrumentale, quod non mouet, nisi quia mouetur ab alio: nec agit, nisi quia agitur ab alio: nec dirigit se, nisi quia dirigitur ab alio: atqui, huiusmodi sunt causæ secundæ, respectu primæ: ergo, sunt instrumenta primæ, & non mouent, nisi motæ. At contrà, Peripatetici, hoc modo causa principalis ea est

quæ attingit essentiam effectus, instrumentalis verò, quæ attingit dispositiones ad essentiam: atqui, causæ secundæ attingunt essentiam effectus, quia ignis, generat ignem: & leo, leonem: qualitates verò attingunt qualitates quæ disponunt materiam, ad formam quæ est tota essentia; ergo, causæ secundæ non sunt instrumenta primæ, sed subordinantur primæ. Ex Platone forte desumunt suam opinionem Thomistæ: sed nos Peripateticam sectamur doctrinam.

D I C E S , prima causa non potest dici prima, in ratione causæ, nisi prius operetur: nec prius operari nisi sit aliquis terminus suæ operationis: atqui, talis terminus nequit esse effectus producendus à Deo, & à creatura, neque ea actio quæ est Dei & creaturaræ; ergo, aliquid aliud: atqui, nihil aliud potest assignari præter illam qualitatem prædeterminantem, & præmouentem causam secundam ad agendum, maximè cùm illa actio Dei versetur circa causam secundam non autem circa effectum, aut circa actionem quæ est Dei & creaturaræ: ergo datur præius concursus Dei, per quem datur qualitas quædam creaturaræ, ut operetur actu, Sed contrà, prima causa dicitur prima, prioritate, subordinationis, concedo; prioritate operationis, nego: ergo debet præmovere secundam, nego. Velfic, prima causa dicitur prima, quia est nobilior, vel quia est in causa secundæ, concedo: dicitur prima, quia in instanti operationis præexcitat secundam, secundum sensum Thomistarum, nego. Sed an saltem prima causa determinet secundam ad speciem vel ad individuationem effectus, Videamus.

---

**QVÆSTIO XV.**

*Virum causa prima determinet secundam, aut  
secunda primam quoad speciem, &  
individuationem effectus.*

**H**ÆC quæstio sequitur ex præcedenti, si enim Deus concurrat simul cum creaturis in omnibus suis actibus obeundis, per eamdem numero actionē, & cause istæ non agant nisi prius determinentur ad agendum, nec prædeterminetur causa secunda à prima, sed conterminetur cum prima, quia simul agunt: queri solet, an eadem actio quæ est à Deo & à creaturis, prout est à creaturis determinetur à Deo; & prout est à Deo, determinetur à creaturis: vel prout est à Deo determinetur à Deo; & prout est à creaturis, determinetur à creaturis. Triplex autem est determinatio causæ, prima dicitur quoad specificacionem actionis & effectus; secunda quoad exercitium actus: tertia quoad individuationem actus & effectus. Potest autem unaquæque causa plures edere effectus sibi similes in natura si sit vniuoca; vel sibi dissimiles in specie si sit æquiuoca: queritur primò, vtrum prima causa determinet secundam ad speciem actionis & effectus: vel secunda primam. Secundò, an ex pluribus actibus quos posset edere modò in hoc instanti causa secunda, cur potius determinetur ad hunc, quam ad alium eliciendum. Exempli causâ, sit ignis prope stupam, ignis ille habet in se virtutem producendi in stupam, non tantum unam calefactionem, sed etiâ penè infinitas, si successiue applicetur stupæ; cur igitur modò producit in stupam hanc calefactionem potius quam aliam, cum possit edere plures, nec sit magis indiferens ad unam, quam ad aliam. Dicunt fermè omnes philosophi, illum igne esse indifferentem ac indeterminatum ex se; nec à se posse determinari, sed de-

bere determinari à Deo. Probant autem, nam eadem est actio Dei & creaturæ, ad quam eliciendam potius quam aliam, debet utraque causa determinari; est autem conformius pietati & religioni si dicamus creaturam potius determinari à Deo, quam Deum à creatura; quia illa actio ad quam determinari debent est Dei, & creaturæ: & prout est creaturæ, est etiam Dei, prout verò est Dei, non est creaturæ: quia Deus posset agere sine creatura, non autem creatura sine Deo: ergo, magis influit Deus quam creatura: atqui, non influit magis in entitatem actionis, licet influat nobiliore modo; ergo, illud magis, se debet tenere ex parte determinationis, secundum individuationem: & sic Deus determinat creaturam ad individuationē actus & effectus. Sed cōtrà, nam illa actio cuius individuationem querimus, est tota Dei, & tota creaturæ simul, quia dicitur simultaneus concursus: ergo, debet elici simul à Deo, & à creaturis: & cōsequēter determinari simul à Deo, & à creaturis: non potest autem determinari simul à Deo, & à creaturis, nisi Deus & creaturæ simul conterminetur; ergo, neque prima secundam, neque secunda determinat primam: sed æque condeterminantur simul. Vbi aduerte, materiam primam habere in se potentiam indifferentē ad omnes formas individuales, nec unam magis appetere quam aliam: ignem verò potentiam habere producendi infinitas numero formas in tali materia, nec unam, magis quam aliam appetere: quinimò vellet omnes simul introducere, & materiam simul recipere omnes, si ipsæ possent se compati simul. Sed quia ipsæ formæ propter sui oppositas qualitates, & propter ordinem vniuersi, non possunt simul se compati, & tamen debent semper esse in aliqua materia; hinc sit, ut in instanti generationis: ex illis omnibus infinitis numero formis quæ possent introduci, una tantum introducitur, licet nulla sit ex alijs quæ æque non possit tunc introduci, si se mutuo non impedirent; quare, primò occupanti ceditur locus. Cur autem prius illa, quam alia fiat, nescit homo. Deus scit:

Dicunt aduersarij, Deum determinare agens naturale ad hanc potius, quam ad aliam edendam, quia causa vniuersalior, est sapientior & prudentior quæ scit quid, cur, quando & quomodo debeat operari.

PROBANT ratione, nam licet causa secunda habeat in se virtutem producendi plures numero effectus similes vel dissimiles in specie, in se tamen est indifferens ut hunc vel illum producat, nec magis determinatur ad unum quam ad alium: debet igitur ab aliquo sibi extrinseco determinari, nec ab ullo potest sufficientius quam à causâ primâ: quia haec determinatio non potest oriiri à tempore, nec à loco, nec ab alijs circonstantijs quæ comitantur actionem, debet igitur profluere à causa prima. Confirmant, quia Deus ex æternitate sicut decreuit haec individua non alia producere hoc tempore, hoc loco, hoc ordine, ijs motibus, & ijs circonstantijs, pariter decreuit cum eisdem concurrere ad tales actiones, & non ad alias, iuxta capacitatem, & exigentiam naturæ cuiusque cause secundæ: id est, cum necessarijs necessarij, & cum liberis, liberè; & sicut scientia Dei se extendit ab æterno ad clarè & intuitiù videndum omnia possibilia futura, ita nihil sit futurum quod eius claram visionem fugiat, nequidem minimula pueruli cogitationi uncula; ita decreuit ab æterno, cum hac aut illa causa secunda concurrere tali loco; tali tempore, & tali circonstantia ad unam singularem operationem, potius quam ad aliam, cum tamen illa causa secunda posset tunc temporis aliam diuersam numero producere, dummodo Deus illi daret suum concursum: & sic causa secunda determinatur à prima secundum singularitatem actionis, nihilominus.

DICENDVM est, neque primam à secunda, neque secundam à prima determinari, quod individuatione actionis; sed utramque se se mutuo determinare, positis omnibus conditionibus ad agendum. Probatur prima pars, nam si causa secunda habens in se virtutem insitam producendi plures effectus sibi similes, vel dissimiles in specie, à Deo determinaretur ut potius

*secundâ  
habentem  
nufad scriben  
du ita cā pag 22a  
ad operari*

hunc quām alium produceret , vel esset hoc intelligendum de causa naturali sine cognitione operante, vel de liberē agente , & cum prævia cognitione effectus, vel de vtraque simul:neutrum autem dici potest, quia sic principium talis determinationis esset decreatum æternum , quō statuit Deus se concursurum in tempore cum hac causa singulari ad hunc numero effectum , hoc loco , hoc tempore , & cum ijs circumstantijs, potius quām ad alium, qui etiam posset produci eodem tempore , loco , & eisdem circonstantijs si Deus decreuisset ad illum efficiendum concurrere : huiusmodi autem decretum non potest esse principium talis determinationis , quia sequeretur hos effectus singulares necessariō fieri , vt constat : fierent enim virtute decreti quod est immutabile; ergo, causa prima non determinat secundam ad singularitatem actus. Confirmatur, nam si id ita fiat, maximē in causis necessarijs quæ agunt absque vlla prævia cognitione , & libertate. Sit igitur ignis , hic ignis ex se vim habet eliciendi decem calefactiones dummodò ad sint conditiones necessariae ad agendum , vt sunt approximatio ligni , & concursus simultaneus primæ causæ: dentur etiam decem ligna extra sph̄eram actiuitatis huius ignis: erit ne actio ? Non. Quare? numquid quia Deus non decreuit ab æterno huic igni concursum suum præbere , hoc tempore , hoc loco & cum ijs circumstantijs ? minimè; sed quia nullum ex ijs decem lignis est in debita distantia: quod vel ex eo sit manifestum , quia si vnum è decem accedat , dabitur vna numero calefactio , & non alia , non propter aliam rationem, quām quia hoc lignum & non aliud applicatur in debita distantia (hoc est) intra sph̄eram actiuitatis agentis : ergo determinatio illius ignis ad hanc numero actionem potius quām ad alteram non erit ex decreto Dei seorsim sumpto , sed à prima & à secundâ causa simul , positis omnibus conditionibus ad agendum necessarijs. Vnde , illud tritum in schola, causa necessaria est , quæ positis omnibus ad agendum requisitis, operatur,

DICET Suarius sect. 4. præsentis disp. indè sequi quilibet operationē in indiuiduo fieri contingenter à causa primā, & à secundā, si neutra alteram determinet, qui tamen modus operandi non potest tribui Deo, tūm quia repugnat perfectioni Diuinæ prouidentiæ: tūm etiam quia aliás non esset subordinatio in causa secunda ad primam, vel omnis operatio causæ secundæ casu & fortuitō eveniret. Sed respondeo, omnem operationem in indiuiduo esse quidem contingentem respectu circumstantiarum in quibus debet fieri; sed non respectu primæ & secundæ causæ: quia per accidens quidem est quod hoc tempore, hoc loco, & cùm ijs circumstantijs, hic numero ignis (exempli causa) applicetur huic numero ligno, potius quàm alteri: respectu verò causarum, primæ & secundæ, non dicitur contingenter evenire hæc, aut illa calefactio: quia ab æterno præuidit Deus has omnes circonstantias futuras esse hoc momento, hoc loco: tali modo &c. Et ex tali præuisione decreuit Deus concutere ad hanc numero actionem, quæ futura erat eo modo, quo ipse præuerterat.

QVOD spectat ad causam liberam, neque etiam hæc determinatur à Deo quoad indiuiduationē actus vel eo maximè, quia causa libera ea est quæ positis omnibus ad agendum necessarijs semper manet libera quoad exercitium actionis: ac proindè à nullo extrinseco potest determinari ad exercitium actionis, nisi illi fiat violentia. Si enim ab extrinseco determinetur non est libera, cùm per talem determinationem cogatur ad agendum, & fiat prorsus non libera. In hoc enim differunt agentia libera à necessarijs, quod libera possint agere, vel non agere ad libitum positis omnibus circonstantijs ad agendum necessarijs: necessaria verò nequeant nō operari, positis omnibus ad agendum requisitis. Deinde, si prima causa determinaret secundam ad indiuiduationem actus, determinatio huiusmodi esset aliqua prævia motio quæ causa secunda præmoueretur ad hanc potius quàm ad

aliam actionem eliciendam , & sic daretur præius concursus quem superfluum esse docuimus. Nequit enim mēs nostra cōcipere, quomodo prima causa determinet causam secundam ad hanc potius actionem eliciendam quām ad aliam , nisi illa determinatio, præmoueat causam secundam, & illam præexcitet ad operandum , cūm non posset ex se, sese determinare: determinare enim in hoc loco, & prædeterminare idē sonant. Quod autem neque causa secunda determinet primā secundum indiuiduationem actus patet, prima agit independenter à secunda : ergo nullo modo determinatur ab illa quoad indiuiduationem actus.

D e determinatione quoad speciem certum est primam determinari à secundâ. Est enim causa prima cūm sit vniuersalis, indifferens ad omnes actus cuiuscumque speciei, ad agendum quolibet tempore, quocumque modo, & quacumque circumstantia; solaque causa secunda, est ratio eur talis speciei actum producat & non alterius: cur, hīc, & nunc agat, tali modo & non alio, tali tempore, & non alio , exempli causa, ignis generans ignem , facit ut Deus concurrat ad generationem ignis , & non ad generationem aquæ. Deus enim sese accommodat causis secundis, & libere, cum liberis agit: necessariò, cum necessariis, & contingenter eum contingentibus. Quoad indiuiduationem actus, sese ex positis circumstantijs : condeterminat: sed quoad speciem, prima determinatur à secunda. Ignis determinat Deum ad ignem gignendum, aqua ad aquam, & sic de cæteris. Sed hæc de causa efficiente eiusque affectionibus , satis. Ad finalem progressiamur,

## QVÆSTIO XVI.

*De causa finali.*

**H**ACTENVS de causa efficiente, superest ut de causa finali agamus, Est autem finis id cuius gratiā aliquid sit, ex Arist. s. Met. cap. 2. test. 2. siue ut alij volunt, id cuius gratia cætera fiunt cum ipse finis nullius gratia sit. Diuiditur autem finis; in finem, cuius, & finem, cui; finis cuius, est ille, cuius obtinendi causâ sit aliquid, ut sanitas cuius consequendæ gratiâ sumitur potio amara, adhibentur medicamina, & medicus operatur. Finis cui dicitur persona in cuius gratiam operamur, ut in exemplo allato, ægrotus est finis cui operamur sanitatem: sanitas vero restituenda est finis cuius gratia operamur. Diuiditur finis cuius, in formalem, & obiectuum; formalis, est operatio quâ finem obiectuum assequimur; ut adeptio sanitatis: finis obiectivus, est ipsamet sanitas acquisita. Vt erque diuiditur in ultimum; & non ultimum; ultimo est in quem appetitus tendit ultimatè, & ad quem omnia media ordinantur, qualis est Deus ad quem ut summum bonum nostrum omnia sunt referenda, & in quo solo quiescere potest ultimatè appetitus noster: non ultimo, qui & proximus dicitur, est ille finis in quem proximè tendit operatio agentis, in ordine ad ultimo: ut medicina, ad sanitatem: virtus, ad honestatem: gratia, ad gloriam. Sed illi fines potius sunt media, quam fines. Finis enim propriè dictus est ille qui propter se appetitur, non propter aliud: media verò propter aliud appetuntur: quia, bonitas finis absoluta est; bonitas verò mediiorū relativa: ergo, vera ratio finis propriè conuenit fini ultimo, non medio. Confirmatur, nam bonitas absoluta, non est, ex se ordinabilis ad aliud, relativa verò ordinabilis est, ad aliud; quia media ordinantur ad finem; non autem

autem finis ad media : finis siquidem est terminus, medium verò est via ad terminum ; ergo, propria ratio finis conuenit soli ultimo fini, non verò medio, vel medium erit finis, & finis erit medium, quod implicat, nisi sumantur diuerso respectu : illud enim quod est medium ad aliquid, potest esse finis respectu alterius. Sanitas est finis medici, sed medium est ad laudes Deo agendas, his prælibatis quæritur vtrum finis in ratione finis sit vera causa Physica & realis, vel tantum Moralis, seu Metaphorica.

**S C R I B I T** Pererius cap. 1. de causis finem non esse causam Physicam, sed Metaphoricam tantum, hoc modo, quod mouet physicè, actu sit oportet dum mouet: atqui, finis dum mouet non est actu: ergo, non mouet physicè, sed metaphorice tantum, quia vel iniicit egenti desiderium & amorem sui: vel quia cum finis sit id cuius gratia agens operatur, & ad quod dirigit suam actionem, perinde est ac si moueret agens, attractione sui. Sed contrà, causa physica, ut physicè agat debet actu existere suo modo, & ut postulat eius natura: concedo: atqui, dum finis mouet actu, non existit actu extra suas causas, concedo: non existit actu in apprehensione agentis, nego. Nos enim non solum operamur tantum physicè, propter id quod iam actu existit, sed etiam propter id quod nondum existit, dummodo possit existere, & à nobis comparari. Nam potest quisque laboribus insudare, ut sibi comparet id quod nondum existit actu, dummodo iudiceret id posse aliquando existere. Quare.

**D I C E N D V M** est, finem esse veram causam physicam & realem. Ita docent Doctores communiter, & sequuntur Complutenses disp. 14. q. 2. §. 2. de causa finali. Probatur 1. nam, vera causa ea est quæ verè influit esse in effectum: atqui finis verè influit esse in effectum: ergo, vera causa est. Probatur minor, illa causa verè influit esse in effectum, quæ vere concurrit ad productionem effectus: atqui finis est huiusmodi, quod probo: illa causa verè concurrit ad productionem effectus quæ vel intrinsecè illum constituit, vel

Q

extrinsecè est causa cur ille fiat: at qui finis est causa cur effectus fiat, quia vnumquodque agit propter finem; & finis est id, cuius gratia operamur quidquid operamur; ergo finis est vera causa Physica. Deinde vera causa Physica est ea ad quam sequitur verus & Physicus effectus: at qui, verus & Physicus effectus sequitur ad finem: quia finis mouet agens, agens mouet materiam, ex qua educit formam: deinde, formam vnit materiæ, vnde resultat totum; ergo, finis est vera causa. Sed, per quid finis causet videamus.

C A V S A finalis ut cæteræ causæ, debet spectari vel in actu 1. vel in actu 2. in actu 1. est id per quod potest causare; in actu 2. id per quod actu causat. Docent aliqui finem constitui causam in actu 1. per sui apprehensionem: in actu 2. per sui appetitionem. Ut sensus sit finem non mouere agens per se ipsum, aut per aliquid quod sit in se, sed agens moueri ab apprehensione quam efformamus de fine, in finem consequendum. Sed contrà, nā apprehensio finis non est id cuius gratia operamur: nec id sub cuius ratione operamur: ergo, illa apprehensio non est causalitas finis in actu 1. Deinde, finis non mouet actu per sui appetitionem passiuam, sed per actiuam, quā agens actu egit; ergo, eius appetitio passiuam non est eius causalitas in actu 2.

DICENDVM est igitur finem constitui causam in actu 1. per sui bonitatē; in actu 2. per actualem motionem attractiua quā allicit agens ad operandum; prima pars patet, nam causalitas in actu 1. est id per quod finis potest mouere appetitum agentis: at qui nihil potest mouere appetitum præter bonitatem sibi conuenientem: ergo illa bonitas est causalitas finis in actu 1. secunda pars patet, nam actualis motio attractiua est ea quā allicit ac mouet agens: id autem quod actu mouet agens ad operandum est causalitas finis in actu 2. ergo. Notandum est interea apprehensionem finis esse cōditionem sine qua non mouetur agens. Vnde, finis apprehensus ut bonus mouet, & sic causat: apprehensus verò ut malus, aut ut impossibilis, non causat. Quare, semper mouet secundum

esse reale in re, vel in apprehensione. Est autem hæc cognitio apprehensiva finis, in agente per intellectum & voluntatem: in causis vero naturalibus quæ solo impetu naturæ agunt, non est hæc cognitio nisi materialiter: formaliter verò in causa vniuersali dirigente eas ad proprios fines, iuxta propensionem naturalem vniuersiusque: & hæc de fine, fusiùs in Morali, cùm Deo.

De causa exemplari agunt hoc loco Philosophi, ut tractationem causarum per se, absoluant. Reuocant autem aliqui exemplar ad causam formalem, alij verò ad efficientem: ad formalem quidem quod sit in mente artificis ut forma informans, & constituens artificem in esse artificis: eo modō quod forma Physica ignis constituit totum ignem in tali specie: ad efficientem verò, quod licet informatum sit in mente artificis illumque constituat in tali esse, se habet tamen in illo ut principium operandi, quia vnumquodque operatur per suam formam. Et quidem rectè utriusque si sit sermo de exemplari forma, secus verò si de obiectu. Est autem exemplar obiectuum, Idæa illa quæ obiectitur menti artificis, & ad quam respicit artifex, ut ad illius imitationem operetur: formale verò, est formalis conceptio mentis, quâ idæam obiectuum efformamus ijs positis.

DICENDVM est, causam exemplarē non esse solum exemplar obiectiuū, neque solum formale: sed aggregatū ex utroque; eō ferè modo quod ex causa prima, & causa secunda: vel ex principalī & instrumentalī resultat vna totalis propter essentialiē subordinationē. Ratio est quia quemadmodū causæ essentialiter subordinatae sese mutuò supponunt, nec potest vna agere sine concursu alterius: ita neque potest agere exemplar formale nisi concurrente obiectuo, nec obiectuum sine formalī. Obiectuum regulat operationē, formale dirigit & elicit operationē, & opus attingit, iuxta dictamen obiectui. Unde, pictor per actualem cognitionē operis faciēdi, manum, & penicillū dirigit ad opus, iuxta ideam ad cuius similitudinē debet fieri opus: &

fic, utrumque exemplar concurrit: obiectum ut regula operis; formale vero, ut confectionis operis, vel ut principium elicitium confectionis operis. Ut enim agens naturale constituitur tale per suam formam: ita artificiale per suam, & haec forma est exemplar formale. Vnde sequitur, exemplar reuocari ad causam formalem prout constituit formaliter artificem, in esse artificis: ad efficientem vero, quatenus est in artifice principium operandi artificiose. Vnde, causa naturalis non est, sed causa artis, ut patet. Docent aliqui & forte melius, exemplar non esse ideam obiectuum rei faciendae in particulari, aut alterius illi similis in actu confusò vniuersali, neque conceptum formalem illius operis conficiendi iuxta ideam: sed esse habitum artis inhærentis in intellectu: vel saltem speciem impressam talis operis iuxta ideam conficiendi. Sed siue sit habitus, aut species impressa: siue idea obiectua, aut conceptus formalis operis ad extra conficiendi, semper ad efficientem debet reuocari, cum redat ad opus efficiendum. Sed haec ad Artifices. Quæ sint causæ naturales per accidens perscrutemur.

## QVÆSTIO IV.

*De Casu, fortuna, fato, & monstris.*

**E**XPOSITIS quæ ad quatuor causarum genera spectant, sequitur de causis per accidens agendum. Haec tria sunt: *casus, fortuna fatum*. Dicuntur autem causæ peraccidens, quia earum effectus peraccidens ab illis eveniunt, quod nullam habeant cum illis connexionem. Medicus est causa peraccidens saltationis quia saltatio nullam habet connexionem cum Medicina: & Medicus causa est per se sanitatis, quia Medicina ordinatur naturâ suâ ad sanitatem. Recenset autem Aristoteles haec tria causarum genera lib. 2.

Physicor. ut reijciat errores antiquorum. Primus error erat eorum qui fortunam & causam peraccidens è medio tollebant: quòd existimarent nihil in rerum vniuersitate accidere casu, aut fortuitò: sed omnia, per se, & à causis determinatis euenire. Secundus error fuit eorum qui ex opposito opinabantur primā rerum productionem casu contigisse, non autem ex intentione primæ causæ. Dicebant enim, cœlestia corpora, & elementa, ex quibus tanquam ex p̄cipuis partibus constat mundus: atque etiam ordinem inter ea constitutum casui vel fortunæ tribuendum esse: nec alio modo vniuersum orbem habuisse ortum, quam casu, & fortunâ, propter concursum atomorum quorundam ex quibus compactum fuisse vniuersum orbem docuere. Tertius error est eorum qui non solum fortunam posuerunt, sed etiam eam eō usque extulerunt ut afferuerint illam esse quidpiam diuinum, à quòd omnes effectus casuales proueniunt, atque hanc sententiam tribuit Simplicius Stoicis. Sed, ut natura casus, & fortunæ cognoscatur, sciendum est, effectum casualem & fortuitum in hoc conuenire, quod veterque sit effectus eueniens raro peraccidens, seu præter intentionem agentis: differre vero, in eo quòd casualis effectus procedat à causa non operante ex cognitione, sed ex sola inclinatione naturali: fortuitus vero à causâ operante ex cognitione finis. Effectus igitur qui fiunt à cœlis, ab elementis, & à ceteris causis naturalibus præter earum intentionem, seu inclinationem, dicuntur casuales: illi vero qui fiunt ab homine, & ab Angelo præter eorum intentionem dicuntur fortuiti, quia fiunt ex prævia cognitione: Nec tamen existimandum illos effectus esse casum & fortunam: sed effectus casus & fortunæ: sunt enim casus & fortuna causæ illorum effectuum casualium & fortuitorum. Quæri solet vtrum sint admittendi illi effectus.

REFERAT Aristoteles lib. 2. Phy. cap. 4. Stoicos de medio tollere casum & fortunam; licet Simplicius id totum tribuat Stoicis. Stoicorum fundamentum est, quia casus & fortuna sunt causæ peraccidens ref-

pectu effectus qui euenit preter earum intentionem, cuiusmodi est inuentio thesauri respectu fodientis terram: ille enim intendit tantum fodere terram, & thesaurum reperit; ergo illa fossio terra est eius effectus per se intentus: sed inuentio thesauri, est eius effectus peraccidens: atqui, inquiunt, omnis effectus quantumvis sit peraccidens respectu nostri: est tamen per se intentus a prima causa, atque praeuisus ab illa, quia omnia fiunt ut Deus praeuidit, & vult: ergo, nullus erit effectus a fortunâ, vel a casu. Sed contraria non querimus enim utrum detur casus & fortuna respectu Dei, sed respectu nostri: & licet omnia euenient ex praevia cognitione efficaci Dei, non sequeretur inde nihil euenire casu & fortuitâ respectu nostri. Virgint Stoici, si sit prouidentia in primo ente, non erit contingentia, neque casus, aut fortuna: sed est prouidentia includens tria, præscientiam, voluntatem, & dispositionem rerum in suos fines: & haec tria excludent contingentiam, casum, & fortunam, nam quod semel prouisum est a Deo, hoc est quod Deus præsciuit, voluit, disposuit, ac constituit ut aliquando eueniat: & quod Deus præsciuit, voluit, ac constituit euenturum, non potest non euenire, quia nequit præscientia Dei falli, neque eius voluntas frustrari, aut eius ordinatio impediri: & tendunt haec tria ad directionem creaturarum iuxta earum propensionem naturalem: ergo, quemadmodum iij effectus non sunt causales, aut fortuiti respectu Dei: ita neque respectu creaturarum. Id ipsum videtur sentire Ocham quolibet o. q. 17. hoc argumento. Agens naturale nequit non agere positis omnibus necessarijs ad agendum: vel igitur agens naturale habet tunc aliud agens impediens, vel non habet; si non habet, necessariò sequitur effectus: si vero habeat cum illud sit etiam agens necessarium, necessariò impediet alterius actionem, & sic nulla est contingentia, sed omnia eueniunt necessariò. Sed contraria, ille effectus eueniet peraccidens necessariò, concedo: quia peraccidens est quod illa causa necessaria, alteram impedit: ille effectus eue-

niet per se necessariò, nego, quia illa causa impediens non ordinatur naturâ suâ ad aliam impediendam. Et sic etiam diluitur discursus Stoicorum : neque enim omnia eueniunt, quia Deus præsciuit, aut coordinavit ut euenirent: ita ut illius præscientia & eius ordinatio sit causa illorum : sed ideo plura præsciuit Deus futura, quia euentura erant: quæcumque enim sunt à Deo, ordinata sunt; quia ille est semper causa ordinis: quæcumque verò ordinata non sunt, à Deo non sunt. Ut furta, homicidia: ergo, cùm effectus casuales, & fortuiti, sint præter ordinem constitutum in naturâ à Deo non videntur esse simpliciter necessarij, sed contingentes.

Quod spectat ad fatum, variè de illo sentiunt Philosophi: alijs enim satis fatuè dicunt, fatum esse ordinem, ac dispositionem, seu connexionem omnium causarum adeò necessariam inter se, ut effectus omnes qui iam de nouo fiunt, ineuitabili fiant necessitate, à causis ita dispositis, applicatis, & ordinatis. Et qui hanc sequuntur opinionem vim & efficacitatem ac necessitatem producendi effectus, ab astris, & ex dispositione causarū prouenire docēt: ita ut ex tali syderū aspectu, causarumque sublunarium concursu, ineuitabili necessitate quilibet effectus proueniant. Quare ita fatum definiunt. *Fatum est causarum colligatio ex astrorū motibus, & vi, efficaciam trahēs.* Ut colligitur ex Cicerone lib. I. de diuinatione. Alij scribunt, fatum esse quidem huiusmodi causarum colligationem, sed tamen negant suam trahere vim operandi à syderibus aut ex influentijs cœlorum; sed à Diuina voluntate, ita causas secundas disponente, ut quod semel euenturum determinauerit, non possit ultra ratione non euenire; propterea quod Deus determinauerit hoc esse ita futurū. Sed hæc sententia damnata est à Concilio ijs verbis, *si quis animas fatalibus & tellis crediderit adstringi, ut Priscitianista, anathema sit.* Quare, melius ijs qui docent, fatum non esse dispositionem in causis secundis constitutam à Diuinâ voluntate, aut ab astrorum influentijs; si voluntas

Dei se habeat antecedenter; secus si se habeat consequenter: quod potest ita explicari, Deus ab æterno præuidit omnia futura, & modum quo erant futura, quo præuisio, statuit suum dare concursum omnibus & singulis causis secundis, in eo instanti quo erant ipsæ operatura: ex quo decreto, præsupposita prævisione concursus causarum, sequitur infallibilitas euentuum præuisorum, quia præuisio Dei non potest falli: & hoc sensu potest admitti fatum, vel prout Diuinæ subordinatur prouidentiæ.

De monstris agit Aristoteles hoc loco, aitque illa esse peccata naturæ operantis propter finem: quia nimurū eueniunt præter intentionem agentis, vnde, videntur esse effectus casuales & fortuiti. Sunt enim monstra, effectus naturales à rectâ & solita secundum speciem dispositione, notabiliter degenerantes. Vt vt vult Arist. lib. 2. Phys. cap. 8. text. 62. *Monstrum est error eius qui propter finem agit.* Et lib. 4. de generatione animalium cap. 4. *Monstrum est obلاsio rei præter naturam eius, in ijs qua non semper, sed ut plurimum eodem modo agunt.* Vulgo tamen solet monstrum definiri, *naturalis effectus à rectâ, & ordinariâ secundum speciem dispositione degenerans.* Verum melius definitur eius natura, cùm dicitur *peccatum naturæ operantis propter finem*, vt sensus sit, illud agens producere monstra, in suo genere causandi, quoties deflectit à rectâ via suæ operationis. Vt si Logicus non recte differat; Grammaticus non congruè loquatur: Medicus non apte componat medicamina: homo non vivat piè, iustè, honestè: hi namque affectus sunt aut contra aut præter intentionem huiusmodi, artium & hominis qui propter pietatem, iustitiam & honestatem conditus est. Pariter peccata naturæ sunt quoties causa naturalis deflectit à sua lege naturali: vt sciamus, tunc monstra naturalia consurgere quoties præter intentum à specie agentis aliquid oritur, vt si homo fiat monoculus, aut biceps, quia species humana petit duos oculos, unum caput. Multiplex autem est causa monstrorum, nimia scilicet copia, aut penu-

ria materiae: ex penuria enim materiae oriuntur diminuta corpora: homines monoculi, vniipedes &c. ex nimia verò copia fit homo biceps, aut ad portentosam magnitudinem excrescit: vnde monstrum vel per defectum, vel per excessum materiae dicitur vulgo fieri: indè nani, hinc verò gigantes: hi per excessum materiae, illi per defectum. Virtus etiam formatrix, in utero materno est causa monstri, ea enim si fuerit hebetata, & ruditis, perfectam non facit in corpore declinationem, quò fit ut membra insignem habeant debilitatem, & imperfectionem in suo genere, sic, homines solent interdum nasci taurino capite; cùm enim vis formatrix nō possit moliri perfectum hominem quaad omnia membra, molitur deficientem in aliquo, verbi gratia, in capite. Confusio etiam materiae potest esse causa monstri, vt si semen diuersum, specierum misceatur simul, monstrum solet nasci. Sed & disproprietà primarum qualitatum facit ut aliquando portentosa nascantur corpora: deinde, regionum tempesties, cœlique aspectus, astrorumque influxus non-nihil faciunt ad monstrorum partus. Atque hæc sunt præcipuae causæ monstrorum. Est tamen aliqua generalior quæ illis addi potest, nempe, imaginatio in animalibus, quibus tanta vis est in eorum generazione ut non raro inuehat monstra. An verò monstra intendantur à naturâ, hoc in lite est. Sunt autem duo consideranda in monstribus, eorum scilicet substantia: & eorum obliquitas seu dissimilitudine: certum est naturam intendere monstra quoad substantiam, at non quoad obliquitatem. Hoc est, parens intendit producere nanum quatenus est homo; non quatenus est nanus: sed de ijs, alibi plura. An idem numero effectus possit fieri à pluribus causis totalibus videamus.

## QVÆSTIO XVIII.

*An idem numero effectus possit effici à pluribus causis.*

CERTVM est 1. cumdem numero effectum posse fieri à pluribus causis diuersi generis, vt sunt materialis, formalis: efficiens, & finalis: quinimò necessariò concurrunt quatuor illæ causæ ad productionem cuiusque effectus naturalis. Certum est 2. eundem numero effectum fieri posse à pluribus causis totalibus eiusdem generis & diuersi ordinis, vt patet de primâ, & de secundâ causa, quæ ad eundem numero effectum concurrunt. Certum est 3. cuindem numero effectum posse effici à pluribus causis eiusdem generis & ordinis, partialibus, vt patet de trahentibus nauem: sed maximè incertum est an unus & idem numero effectus possit fieri à duabus causis totalibus eiusdem generis & ordinis non sibi essentialiter subordinatis, vt sensus sit an ignis C. possit produci totus ab igne A. & idem totus ab igne B. hoc autem potest intelligi, vel simul, vel successiue: adeòvt indifferens sit ignis C. vt producatur ab igne A. vel ab igne B. siue hæc productio fiat ab utroque simul, siue ab ulterutro successiue, scribit Ruuius lib. 2. Phy. tract. de comparatione causarum, non impossibile vt idem numero effectus existentiam sumat à diuersis causis totalibus successiue applicatis. Probat, nam si idem numero effectus nō possit procedere à diuersis numero causis, vel eò maximè quia ex intrinsecâ eius ratione, postulat ab hac numero fieri causa: atqui, hoc non est ita, quia potest idem numero effectus produci ab una numero causa, & illa sublatâ, ab alia conseruari, vt si calor productus à sole, conseruetur ab igne: & si conseruetur ab igne idem, potest idem ab eodem primò produci, cùm conseruatio sit prima rei productio continua-

ta: eigo potest idem numero effectus naturaliter produci à duabus causis totalibus successiuè applicatis, non essentialiter subordinatis. Sed contrà, nam si eadem numero causa possit indifferenter edere hunc, vel illum effectum: & idem numero effectus produci indifferenter ab hac, vel illa causa: itavt quælibet causa non habeat suos determinatos effectus: nec singuli effectus suas determinatas causas: sequitur vnicā causam sufficere ad omnes effectus edendos quod probo, nam frustrà sit per plura, quod fieri potest per pauciora: atqui, posset vnicā causa, omnes edere effectus eiusdem speciei si indifferenter possent omnes illi effectus procedere ab hac vel illa causa; ergo, sufficeret vnicā causa singulari pro omnibus effectibus edendis, sive diuisiuè, sive collectiuè sumantur illi effectus: si enim possit diuisiuè, cur non collectiuè 2. implicat eundem effectum fieri ab una causa, secunda & conseruari ab alia, licet rēs videatur ita esse: nam calor productus à sole in mea manu, recedente sole, conseruatur à Deo, vt sit in alijs rebus semel productis à primâ & secundâ causâ: sed accedente igne, alias productur calor saltem secundum gradus variis; quia non est possibile, ignem vel reproducere eosdem gradus caloris productos à sole in mea manu; nec illos formaliter conseruare vt tales sunt: quia conseruatio est prima rei productio continuata, & ignis non primò produxit illum calorem, sed sol, vt dixi: ergo, si ignis illum calorem productum à sole videatur conseruare in mea manu, eò maximè quia gradum intensiorem produxit, & nequit gradus intensior conseruari, nisi inferior conseruetur: vndē, primi gradus producti à sole & à primâ causâ, conseruantur à primâ causâ, recedente sole: sed posteriores gradus producti ab igne, conseruantur ab igne, quandiu adest ignis: & ideo prima causa conseruat priores gradus, quia posteriores nequeunt existere, nisi primis existentibus. Quare.

DICENDVM est, implicare contradictionem, quod idem numero effectus producatur simul, vel suc-

cessiuè à duabus causis totalibus eiusdē ordinis. Nam implicat eundem effectum esse totum ab aliqua causa, & non esse totum ab eadem causa: atqui, si esset à duplice causa, totus esset ab hac causa, & totus non esset ab eadem causa: quod probo, nam esset totus ab alia causa: ergo, non totus ab hac causa. Deinde, quod est totum alicuius, nihil eius est alterius; atqui, totus ille effectus esset vnius causæ: ergo, nihil eius esset alterius causæ. Præterea, sint duæ causæ totales, quæ simul agant, & producant eundem numero effectum: ille effectus erit totus ab una: & idem totus ab altera: atqui, nullus erit effectus: quod ostendo, nimia enim cupiditas vtriusque causæ efficiet, ut neutra suum assequatur effectum. Hæc enim vult totum; illa etiam pariter vult totum: & effectus nequit ita communicari, ut sit vtriusque totus, ergo, neutrius erit effectus. Sed age. Ille effectus ut esset à duplice causa totali, provt fieret, terminaret duas illas actiones & respiceret causas illas totales sub eadem, vel sub diversa relatione totali, vel partiali: non partiali, quia non esset partim ab una, & partim ab altera; ergo, sub relatione totali: atqui, quod respicit unum ut suum relatum totale, nequit illum aliud respicere, quia tota eius relatio imbibitur in altero, ut patet; ergo, nequit idem effectus produci à duplice causa totali. Sed hæc de causis, eiusque effectibus. An sint quædam affectiones corporis naturalis, luculentiori tramite perscrutemur.



# DISPVUTATIO SEPTIMA.

---

*D E I N F I N I T O , E T  
Continuo.*



XPOSITIS communibus rerum omnium caducarum & corruptibilium principijs essentialibus, earumque causis: sequitur vt de earum genericis affectiōnibus quæ omnibus rebus naturalibus reperiūtur, mox agamus. Sunt autē hæ quatuor numero, quantitas finita, vel infinita; locus, aut vacuum: tempus, aut æuum, motus, aut quies. Omne siquidem corpus naturale, vel est finitæ magnitudinis, vel infinitæ: vel in loco existit, vel in vacuo: ibique durat vel per tempus, vel per æuum: ibique mouetur, aut quiescit. Nec vlla potest alia assignari propria affectio communis & genericæ rerum naturalium: si quæ enim aliæ sunt, vel specificæ sunt, vel ad aliquam ex ijs reuocantur. Incipimus autem à quantitate quippè quæ prima proprietas est materiæ. Et quærimus 1. quid & quotuplex sit infinitum, & an Deus videat actu infinitum esse actu. 2. an Deus pos-

fit actu producere infinitum in essentia, in intensione, in numero, & in magnitudine. 3. an possit dari infinitum, infinito maius. 4. quid & quotuplex sit continuum, ubi de eius actuali compositione, num scilicet, fiat ex diuisibilibus necnè. Ultimò in quonam subiecto inhærent indiuisibilia quantitatis, quoadprimum sit.

---

## Q V A E S T I O I.

*Quid & quotuplex sit infinitum, & an Deus videat illud esse actu.*

**I**NFINITVM in genere, quo initio & fine caret. Analogè solet diuidi in infinitum secundum essentiam: in infinitum secundum intensionem qualitatis: & in infinitum secundum multitudinem; & secundum magnitudinem molis. Infinitum secundum essentiam, est illa essentia quæ omnem in se continet perfectionem, cum negatione omnis imperfectionis: qualis est Deus qui summè perfectus est, & nihil imperfectionis includit. Omnis enim essentia creata quātumvis esset perfecta, & omnibus suis numeris absoluta, etiam si omnem perfectionem creabilem participaret, tamen infinita non esset essentialiter, quia id haberet per dependentiam à Deo, & illa dependentia, est maxima omnium imperfæctiō: quemadmodum independentia, omnium summa perfectio. Ideo enim summè perfectus est Deus, quia nec à se, nec ab ullo alio dependet, sed ex se existit ut fons, & origo omnium entium, & consequenter omnium perfectionum. Infinitum secundum intensionem esset qualitas quedam infinitè intensa, cui nihil deesset eius entitatis in tali genere entis. Ut si omnis possibilis grauitas esset communicata alicui lapidi; aut omnis possibilis levitas, communicata alicui corpori: vel omnis possibilis calor com-

municatus alicui subiecto : aut si vis , omne possibile lumen communicatum alicui corpori luminoso : vel si magis , omnis gratia possibilis communicata alicui homini ; vel omne lumen glorie possibile communicatum alicui beato : ita ut ille beatus , infinitè clarè videret Deum , nec posset alius , etiam de diuinâ omnipotencia , videre clarius Deum : & sic de cæteris qualitatibus infinitè intensis , quæ infinitè perfectum producerent effectum : exempli causa grauitas infinita , infinitè velocem produceret motum deorsum : & leuitas infinita , infinitè velocem motum sursum . Infinitum secundum multitudinem esset infinitus numerus Angelorum , hominum , aut lapillorum , si ex suppositione existerent actu : cuius infiniti formale constitutuum est negatio primæ & vltimæ unitatis : Infinitum vero secundum magnitudinem molis , seu extensionis , esset aliquod corpus versus trinam dimensionem in longum , latum & profundum , illimitatum : cuius ratio constitutiua , est negatio extremitatum . Dividitur autem omne infinitum , in syncathegomaticum : & cathegorematicum . Cathegorematicū est infinitum in actu , ut numerus actu infinitus , seu carens actu primā , & vltimā unitate : vel corpus aliquod utrobique illimitatum , seu carens utrobique extremitatibus , & configuratione externâ . Infinitum syncathegometricum , est infinitum in potentia , seu illud quod actu infinitum non est , sed potest esse infinitum , ut finitus numerus hominum , qui per additionem aliorum posset fieri infinitus , si semper alij , & alij adderentur : vel finita quædam moles , quæ additione partium posset in infinitum excrescere , vel per detractionem partium in infinitum decrescere . Hoc sensu , potest finitum , fieri infinitum per additionem materiæ , vel infinitum per detractionem partium proportionalium . His positis queritur , an Deus videat aliquam possibilem creaturam quæ possit omnem possibilem perfectionem essentiale participare : aut aliquam possibilem qualitatem , in infinitum intensibilem : aut aliquem numerum individuorum , intra latitudinem eius-

de: n speciei in infinitum producibilem: vel corpus aliquod tantæ molis , vt repleat omne spatium , & sit vndequaque illimitatum versus utramque dimensionem. Ut id capias, distingue in Deo duplicem cognitionem, scientiam nempe simplicis intelligentiæ, quæ videt omnia possibilia ut possibilia; & scientiam visionis, quæ videt omnia futura , ut futura: præterea scientiam medium. Hoc posito, certum est Deum videre infinitum in essentia, scilicet seipsum, sed extra se nihil videre secundum essentiam infinitum, quia nihil creabile adçò perfectum est in sua essentia, quin possit aliud, & aliud in sua essentia perfectius esse, alioqui diuina virtus sisteret in aliqua ultima essentia creabili, ultrà quam non posset aliam perfectiore producere , quod videtur absonum diuinæ omnipotentiæ. Certum est 2. Deum videre suam vim operandi esse omnino infinitam , quia illa est idem cum sua diuina essentia : sed nullam esse creabilem quæ sit infinitæ actiuitatis , cum deberet esse alicuius essentiæ propria passio , & nullius essentiæ creatæ potest esse proprietas infinitæ virtutis, cum debeat proportionari suæ essentiæ quæ finita est. Certum est 3. Deum videre per scientiam simplicis intelligentiæ numerum infinitum rerum possibilium: & infinitam molem aliquam quæ licet numquæ producatur actu, posset tamen produci si Deus vellet , quia videt Deus nullum esse possibile corpus tantæ molis quin possit augeri, & augeri in infinitum, & sic ita illimitari, ut suis caret omnibus vndequaque extremitatibus. Et hæc de visione infiniti, an illud possit produci aetu à Deo, videamus.

## QVÆSTIO II.

*An infinitum in essentia, in intentione, in numero, & in magnitudine possit produci à Deo.*

Q VÆSTIO. Hæc non procedit de via ordinaria sed de extraordinaria, quâ posset Deus aliquid producere quod excederet vires naturæ, & ordinem iam statutum in natura. Ut sensus, sit an de potentia Dei absoluta possit produci aliqua creatura quæ sit omnium creabilium perfectissima quoad essentiam; & cuius qualitates sicut etiam omnium perfectissimæ quoad actiuitatem: & an res omnes possibles, quæ sunt numero infinitæ possint simul produci in hoc instanti: vnde resultet numerus infinitus, cui nulla possit alia superaddi unitas: & an possit produci actu aliquod corpus infinitè extensum, cuius nullæ sint extremitates. Dixi hanc quæstionem procedere de potentia Dei absoluta, quia constat nullam esse creaturam, aut viribus naturæ posse produci aliquam, quæ illa ratione sit infinita secundum essentiam, qualitates, aut magnitudinem molis: sed neque illum posse resultare infinitum numerum rerum iam existentium, cùm Deus fecerit omnia: *in numero pondere, & mensura:* & posset saltem Deus hæc omnia individua creata enumerare. Scribit Ocham posse Deum producere aliquam creaturam, v. g. Angelum tantæ perfectionis essentialis, ut nulla sit alia æque perfecta, aut illa perfectior, hoc modo probat, potèria finita potest attingere effectum finitum; ergo, potentia infinita potest attingere effectum infinitum: atqui in Deo est potentia infinita; ergo, potest Deus producere effectum infinitum: satius est autem si producat illum. secundum infinitam perfectionem essen-

R.

tialem quam secundum accidentalē: quia essentia est nobilior accidēte, & nobilior effectus debeturnobilio-  
ri causā, qualis est Deus; ergo, potest Deus producere  
essentiam aliquam quæ sit infinitæ perfectionis essen-  
tialis. Hoc varijs stabiliunt rationibus Nominales. 1.  
Deus est infinitè participabilis: ergo, potest aliqua  
creatura infinitè participare diuinā essentiā. 2. potest  
Deus hoc habere imperiū. *si at modo perfectissimus effec-  
tus, eorum omnium qui à me fieri possunt: at qui, perfecti-  
ssimus effectus qui potest à Deo oriri, est sanè secundū  
essentiam infinitus alioquin esset finitus, & sic limita-  
retur diuina virtus; ergo, potest infinitæ perfectionis  
essentia produci.* Sed contrà, nam data quacumque  
creatura, potest alia, & alia dari perfectior: nec vim-  
quam peueniendum ad illam quam maior non possit  
assignari. Si enim posset assignari aliqua omnium su-  
prema, ac perfectissima ultra quam non posset Deus  
operari, sequeretur illum tali creaturæ communica-  
tio totam perfectionem essentiale posibilem; & sic  
nulli alteri posse communicare ullam essentialē per-  
fectionem, hoc autem est absurdum, Qua propter.

D I C E N D V M est 1. nullam posse dari creaturam  
tantæ perfectionis essentialis, quin alia & alia sit  
creabilis perfectior: & consequenter implicare con-  
tradictionem quod aliqua creatura sit infinita secun-  
dum essentiam. Ratio est manifesta, nam illa crea-  
tura haberet omnem plenitudinē entis creati; ergo,  
posset omnes alias creaturas creare; probatur conse-  
quentia, nam vnumquodque potest communicare id  
totum quod habet, maximè cum esse ordinetur ad  
operari: at qui illa creatura haberet totum esse crea-  
tum & creabile; ergo, posset omnia creabilia creare.  
Minor patet, nam si non haberet totum esse creatum  
& creabile, daretur aliquid creabile, quod illa care-  
ret; ergo, posset à Deo produci alia creatura æqualis  
perfectionis cum illa, & illi communicari illud esse  
creabile, quod alia priuatur; ergo, hæc secunda esset  
perfectior altera; & sic, nulla datur perfecta creatura  
quam non detur altera perfectior in infinitum, vel de-

ueniendum erit ad aliquam, quæ contineat in suâ es-  
sentiâ omne ens creabile, & quæ consequenter possit  
cetera omnia creare ; quod tamen repugnat creatu-  
ræ ; & soli competit Deo , ut docebimus suo loco.

I D confirmatur, nam creatura est quædam partici-  
patio diuinæ pefectionis: nulla potest autem assigna-  
ri creatura adeò perfecta , quin possit alia , & alia  
perfectior assignari : nam esse diuinum quod parti-  
cipatur est omnibus modis infinitum , ac proinde, in-  
finitis modis imitabile , & participabile : ergo , non  
potest ita perfectè ab una creatura participari , quin  
possit magis , ac magis ab alia participari. Confirmar-  
tur , nam quantum participabilis est diuina essentia,  
tantum potest à creaturâ participari : atqui , est infi-  
nitè participabilis : ergo infinitè potest participari ,  
& sic datâ quacunque creaturâ summè perfectâ in  
suo genere , dari potest alia in suo genere longè per-  
fectior : & numquam deueniendum ad aliquam quæ  
sit omnium perfectissima. Id patet.

D I C E N D V M 2. è implicare contradictionem dari  
qualitatem infinitè intensam. Id colligitur ex dictis,  
omnis enim qualitas est propria passio alicuius essen-  
tiæ , & est mensura essentiæ , & profuit ab essentiâ , &  
nihil habet nisi acceperit à suâ essentiâ , tanquam à  
suâ causâ æquiuocâ : atqui , omnis causa æquiuoca,  
est perfectior suo effectu : ergo , si nulla essentia sit in-  
finitè perfecta : ita neque illa qualitas. Idem docent  
Complutenses §. 2. sed secunda eorum ratio nō probat  
Est enim huiusmodi , si possit dari qualitas aliqua in-  
finitè intensa , maximè virtus loco motu: atqui , hoc  
implicat , nam alioquin id quod haberet illam vim  
posset mouere aliquod corpus per instantias , cùm tamē  
repugnet motum localem posse fieri in instanti: ergo ,  
nequit dari qualitas infinitè intensa. Probant mino-  
rem , nam quod virtus motu: est maior , eo velocius  
mouet ; ergo si sit infinitè potens , infinitè velociter  
mouebit , & proinde in instanti. Sed contraria illa vir-  
tus infinitè potens ad mouendū mouebit infinitè ve-  
lociter , concedo: mouebit illud corpus à loco in lo-

cum, in instanti, nego. Infinita enim velocitas fit quidem in tempore infinitè breui: sed non in instanti, quinimò ipse Deus nequit efficere, ut motus localis fiat in instanti, quia aliter fert illius natura.

In auxilium Complutensium venit C. F. d'Abra hoc suasu, si daretur qualitas infinitè intensa, fortè leuitas in igne: at, posita tali leuitate in igne, ignis ipse moueretur, & non moueretur, quod est contradictionum; ergo: id non est dicendum. Minor patet, nàm quò corpus maiori leuitate præditum est, eo velocius, & breuiori mora spatium conficit: ergo, si igni in esset infinita leuitas: infinita velocitate moueretur, siveque in momento, quòd est contrà naturam motus localis: prius enim debent percurri partes priores spatiij inter medij, quam remotiores: ergo, nequit qualitas illa dari. Sed contrà, infinita leuitas esset causa motus infinitè velocitatis concedo, esset causa motus instantanei; nego. Est enim maximum discrimen inter moueri infinitè velociter; & moueri secundum locum in instanti. Nam moueri infinitè velociter, est tam citò moueri, quam citò potest spatium interiacens percurri; sed moueri in instanti, est simili esse in utroque termino & in medio, quod implicant; quia hoc esset moueri & non moueri, ut suo dicetur loco.

**Q**uo d spectat ad infinitum secundum magnitudinem. & multitudinem. Scribunt Complutenses, disp. 18. q. 4. §. 2. implicare contradictionem quod Deus efficiat infinitam magnitudinem actu.

Scribunt & q. 5. §. 2. implicare contradictionem dari actu, multitudinem infinitam. Primum probant tritissimo argumento: cuius fundamentum supponit falsum: est enim huiusmodi, detur magnitudo infinita, seu corpus infinitè protensum versus omnem dimensionem, & à centrò protrahantur duæ lineæ oppositæ in infinitum: quo plus protrahuntur à centro, eo plus distant inter se: ergo, si infinitè protrahantur infinitè distabunt; atqui, intet illas duas lineas interiacet spatium aliquod quod clauditur ab

illis, & tantum protrahitur, quo illæ protrahuntur ergo cùm illæ lineaæ protrahuntur in infinitum; ita & illud spatium erit infinitum, & sic erit infinitum spatium utrobique interclusum. Sed contrà, nam 1. in mole infinitæ extensionis nullum assignari potest centrum, cùm ibi nulla sit circumferentia; & centrum non dicitur nisi per respectum ad circumferentiam. 2. quo genere infiniti illæ due lineaæ protrahuntur: ita & illud spatium quod interiacet; atqui illæ due lineaæ non sunt infinitæ secundum latitudinem; sed secundum longitudinem tantum: ergo, neque illud spatium fiet infinitum secundum latitudinem, sed tantum secundum longitudinem: versus quam dimensionem à nulla circumscribitur linea, ut patet. 3. non potest assignari infinitudo illarum liuearum, sed quacumque parte illarum assignata, potest assignari alia, & alia protensior, & protensior in infinitum; nec potest assignari vlla distantia spatiij interclusi infinita, sed quacumque distantia assignata, potest assignari alia, atque alia maior & maior in infinitum: itavt numquam possit esse verum afferere, modo, hoc spatium est infinitum; ergo, corruit fundamētum Cōplutensium. Arguūt §. 3. si daretur corpus naturale actu, infinitæ extēsionis; sequeretur illud esse simulmobile, & immobile secundū locū: mobile quidem, quia constaret natura quę est principium motus: immobile verò, quia nec sursum, nec deorsum, nec circulariter posset moueri: non sursum, alioquin relinqueret spatium à quo recederet, & occuparet de nouo spatium ad quod accederet: & sic non occuparet totum possibile spatium, quod tamen debet fieri si sit corpus infinitè extensum: neque deorsum moueretur propter eamdem rationem: sed neque circulariter, quia ut aliquod corpus moueatur tali motu, opus est, ut vna pars talis corporis perueniat ad locum, ubi fuit altera; & hoc nequit fieri: quia lineaæ ductæ ab eodem puncto quanto longius protrahuntur, tanto magis distant inter se; ergo, cùm lineaæ protrahantur in infinitum in illo corpore, infinitè.

distabunt inter se, & si oīna pars illius corporis non poterit peruenire ad locum alterius, quia illa infinita distantia non potest transiri: & sic melius est si nullum admittamus infinitum corpus, secundum magnitudinem. Sed contrā, nam illud corpus infinitè extensum, nullo modo moueretur loco, licet constaret naturis; sed perpetuò quiesceret: quia, natura aque est principium quietis, ac motus: & videmus experientia, cœlum moueri, & non quiescere: terram vero quiescere & non moueri. Quod si terra stet immobilis, quid ni illud corpus? Sed urgent alij, illud corpus occuparet totum spatium possibile: ergo, nullum aliud æqualis vel inæqualis magnitudinis posset à Deo produci, quia nullibi esset locus ubi collocaretur. Sed contrā, quia possent poni illa duo penetratiæ in eodem spatio. Urgent iterū, de ratione corporis quantati est, ut habeat quantitatem: ergo & figuram quantitatis nempe configurationem externam, atqui corpus infinitè extensum caret omni configuratione, externâ: ergo, nullum corpus quantum, potest esse infinitè extensum. Sed contrā, omne corpus quantum quantitate finitæ extensionis, debet habere externam configurationem, concedo: omne corpus quantum quantitate infinitæ extensionis, nego, Iterū urgent. Si aliquod corpus naturale, posset diuinitus esse infinitæ extensum, secundum omnes sui dimensiones, illud non posset diuidi in duas medietates æquales: atqui, ex principijs mathematicis, omne quantum est diuisibile in duas medietates æquales: ergo, vel illud corpus non erit infinitæ extensum, vel non erit corpus naturale quantum. Sed contrā, nam licet nulla æqualitas aut inæqualitas propriæ sumpta reperiatur in infinito, tamen in quacumque parte diuidatur illud corpus infinitè extensum, semper erit diuisio in duas medietates æquales, quia utrobique erit infinitudo.

Dicēs, facta tali diuisione anihilet Deus alteram medietatem, illa quæ remanebit vel erit finita, vel infinita: nō infinita alioqui pars æquaret totū: neque finita, quia ex partibus finitis non potest resultare

totum infinitum; ergo, illa medietas neque finita erit neque infinita, nec proinde pars corporis naturalis, finiti aut infiniti, sed alicuius Chymerici. At contrà, nám factâ tali diuisione, vtraque medietas erit finita, versus illam partem in quâ facta est diuisio; sed infinita erit versus omnes alias partes.

**D**e infinito secundum multitudinem, probant Cöplutenses ratione satis inefficaci, aiunt enim §. 2. q. 5. disp. 18. si possent dari actu per diuinam omnipotentiam infinita numero corpora inter se separata; possent etiā produci coniuncta vel per continuationem, vel per contiguitatem: atqui neutrum dici potest, quod probant, nam sequeretur dari infinitam distantiam, volunt dicere infinitum spatum occupatum, ab illis infinitis numero corporibus: & sic admissio illo numero infinito corporum, admittendam esse infinitam mole quantitatiuam. Sed scribunt disp. 25. de compositione continui q. 4. §. 3. dari numerum infinitum partium proportionalium in quois continuo: atqui, illæ partes proportionales sunt quantitatiae, & tamen non occupant infinitum spatum: nec constat corpus aliquod infinitè immensum: ergo, licet repugnaret dari aliquod corpus infinitè extensem, propterea non repugnaret dari infinitum numerum corporum sive infinitæ, sive finitæ magnitudinis: quia possent omnia poni penetratiuè in eodem loco, non tantum circumscriptiuo, sed etiam definitiuo, nec refert quod illa multitudo nequirit numerari, aut contineri sub aliqua specie numeri determinati quia infinita multitudo abstrahit ab omni numero in specie. Quare.

**D**ICENDVM est, posse dari diuinitus utrumque genus infiniti, secundum magnitudinem, & secundum multitudinem. Prima pars patet, nam posset Deus anhilare omnia quæ existunt, cœlos, elementa, & cetera mixta: creare verò corpus aliquod quod occuparet totum illud spatum quod superesset vacuum; ergo, illud corpus esset infinitæ extensionis, quia illud spatum ab illo occupatum nullis circumscriberetur terminis: hac de re non est mihi ullum dubium. Se-

cunda pars liquet. Nam potest Deus id totum producere, quod est producibile: atqui entia possibilia sunt numero infinita; ergo, potest Deus producere numerum infinitum. Quod entia possibilia sunt infinita numero, per se constat, non enim sunt numero finita; ergo sunt numero infinita. Finita non esse patet, nam eius diuina omnipotentia se extenderet tantum ad entia numero finita, cum tamen non tot potest producere, quin possit plura & plura in infinitum: ut etiam concedunt Complutenses; ergo, entia possibilia seu producibilia sunt numero infinita. Quo posito, sic arguo, entia possibilia sunt numero infinita; ergo. Deus potest producere infinitum actu secundum multitudinem. Consequentia est manifesta, nam ex illis omnibus entibus possibilibus nullum est quod non possit a Deo produci hoc instanti; ergo potest Deus illa omnia producere, hoc instanti: atqui ex illis semel productis resultaret multitudo infinita: ergo, dari potest infinitum actu secundum multitudinem. Confirmatur, nam omnipotentia Diuina, vel ideo dicitur infinitae virtutis, quia potest essentiam infinitae perfectionis producere: vel qualitatem immensè perfectam; vel quamdam molem illimitatae magnitudinis: vel saltem infinitum numerum generum, aut specierum, aut saltem individuorum: vel saltem perpetuam eorum durationem: atqui, repugnat dari aliquam essentiam tanta perfectione essentiali praeditam, quin possit alia, & alia dari perfectior, intensior, & extensior secundum gradus essentiales; potest & nulla dari qualitas adeo intensa, quin dari possit alia, atque alia perfectior in infinitum, iuxta exigentiam essentiæ rei è quâ profluit: ergo, non potest dici diuina virtus infinita, per respectum ad rerum essentias, nec per respectum ad earum qualitates: ergo, per respectum ad quantitatem, ad actionem, ad locum, ad tempus & ad cetera prædicamenta: vel absolute non est infinita nisi ad operationes ad intrâ quibus procedunt diuinæ personæ. Consequentia patet, nam omnis operatio Dei ad extra, vel termi-

natur ad essentias rerum , vel ad earum qualitates vel ad earum quantitatem & molem , vel ad earum productionem , vel ad earum collocationem in loco , vel ad conseruationem earum vel saltem ad cooperacionem cum illis : atqui cooperatio non est infinita , cum sit eadem actio Dei & creaturæ , ut diximus suprà : essentia etiam rerum nequit esse infinitæ perfectionis , nec consequenter earum proprietates : ergo , si sit aliquid quod respondeat diuinæ omnipotentia , vel est magnitudo rei ; vel locus in quo ponitur , vel infinita multitudo illius magnitudinis , vel saltem perpetua duratio illius loci , & rei constitutæ in loco : atqui , & locus & res locata prout correspondent diuinæ omnipotentia , debent esse vel numero , vel magnitudine infinita , alioquin essent disproporcionata illi potentiae : duratio etiam perpetua rei locata debet induere rationem infinitæ extensionis , seu magnitudinis : ergo vel potentia diuina non videtur esse infinita ad operationes ad extrà , vel poterit terminari ad infinitam molem , & consequenter ad infinitum vbi intrinsecum : vel ad infinitum numerum rerum creabilium : vel ad infinitam durationem rerum creatarum . Dicit aliquis , terminari tantum ad infinitam durationem rerum : vel idè dici infinitæ virtutis , quia producit res ex nihilo : in tali siquidem actione debet vinci distantia infinita quæ reperitur inter non esse simpliciter & esse simpliciter , seu inter nihilum , & rem quæ fit ex nihilo . Sed contrà , nam licet requiratur virtus infinita ad creandum , tamen creatio non est entitas infinitæ perfectionis , cum sit innobilior suo termino . Est enim eius terminus substantia , creatio vero accidens , & omne accidens est semper innobilis substantia : ergo , potentia diuina non dicitur infinita per respectum ad creationem , sed per respectum ad res productas , quæ licet sint finitæ perfectionis essentialis , & secundum suas qualitates , possunt tamen esse infinitæ magnitudinis , vel infinitæ multitudinis , ut patet .

D E I N D E , infiniti sunt Angeli possibles quorum

nullus potest determinatè assignari , qui non possit  
hoc momento creari , quia vnius creatio non dependet  
à creatione alterius , nec ab illa circumstantia tem-  
poris , aut loci , aut ab illo alio quod possit impedire  
illorum creationem ; ergo , potest Deus illos omnes  
creare hoc momento . Numquid , post actualem eorum  
creationem erunt acti infiniti numero Angelis ? Deinde  
in qualibet hora sunt infinita numero instantia quo-  
rum vnum non est aliud : atqui , in qualibet instanti  
potest Deus producere unam creaturam ; ergo , post  
lapsam horam , verum erit dicere , iam existunt in re-  
rum natura infinitæ numero creaturæ . Præterea mun-  
dus potuit esse ab æterno ex mente D. Thomæ . Et  
concedunt Complutenses disp. 39. de æternitate mun-  
di 4. 3. §. 2. & q. 4. §. 2. atqui posito mundo ab  
æterno iam præteriissent infiniti numero dies , in quo-  
rum singulis potuisse Deus produxisse singulos An-  
gelos , & singulos lapides : ergo modo existeret actu  
infinitus numerus Angelorum & lapidum : præte-  
riissent etiam infinitæ numero cœlorum circula-  
tiones , & in unaquaque eorum potuisse producere uni-  
cam animam rationalem ; ergo , modo existeret infi-  
nita multitudo animarum rationalium : quid igitur  
scribunt Complutenses implicare contradictionem  
dari infinitum numerum rerum creatarum §. 2. disp.  
18. de infinito q. 5. cum palam fateantur disp. 39. de  
æternitate mundi q. 3. & 4. §. 2. mundum potuisse  
esse ab æterno secundum permanentia , & successiva ,  
cum sequatur inde , posse dari infinitum secundum  
multitudinem .

**D I C E S** , implicat exhausti diuinam omnipot-  
tentiam : atqui , exhausti si daretur actu infinita  
numero multitudo rerum crearatum v. g. infinita  
multitudo Angelorum , & singularum aliarum rerum  
quia nihil aliud posset produci , quoniam iam actu esset  
productum quidquid producibile est ; ergo , nequit  
dari actu infinitum in multitudine . Sed contrà , nam  
creatis omnibus creaturis possilibus , posset etiam  
Deus easdem anihilare , & iterum reproducere : vel

Saltem in perpetuum illas conseruare , in quo satis sufficienter posset exerceri eius diuina omnipotentia. At dices , si daretur infinita multitudo hominum , se queretur dari multitudinem , infinita multitudine maiorem : quia maior esset multitudo digitorum quam manuum , & capillorum quam digitorum : atqui , est impossibile dari infinitum infinito majus , quia infinitum non sumit aequale vel inaequale , maius , vel minus , aut aliquid aliud , simile : ergo , implicat contradictionem dari tale infinitum. Respondeo , ea omnia quae supponuntur in obiectione esse vera , nempe plures esse capillos quam sint digiti : plures digitos quam manus ; & plures fore manus quam sint futuri homines in illa infinita multitudine hominum , & tamen id non implicare contradictionem , quia infinitum suscipit magis aut minus secundum materiale , non autem secundum formale , vt dicetur quæstione sequenti. Sed , vt ultimo elucescat veritas nostræ assertio nis : in quo quis continuo actu existente , sunt actu infinitæ numero partes proportionales , realiter separabiles inter se , & à continuo , idque naturaliter ; ergo , etiam naturaliter datur infinitum in multitudine . Deinde , anima nostra est tota in qualibet parte proportionali corporis ; ergo , ibi sunt actu infinitæ numero uniones . Sed progrediamur .

### QVÆSTIO III.

*An detur infinitum infinito maius.*

**N**E QVI T procedere hæc quæstio nisi de infinite secundum multitudinem : neque enim posset una essentia secundum essentialē perfectionem infinite , intensior esse alterā in perfectione essentiali , cùm substantia non suscipiat magis & minus : neque qualitas infinite intensa fieri intensior , aut aliā longè perfectior secundum intensionem , quia non datur

maius maximō, neque quantitas aliqua molis pro-  
tensior dari alterā infinitē protensā: v.g. Dari linea  
longior illā quā esset in infinitum producta: sed po-  
test institui quæstio , an in multitudine rerum possit  
dari infinitum infinitō majus. Id vt capias , aduerte  
infinitum posse sumi materialiter , vel formaliter :  
materialiter nihil est aliudquā res illa quā dicitur in-  
finita , formaliter verò , est illa negatio extremitatis:  
hoc sensu, essentia perfectione essentiali infinita, esset  
infinitum materiale : negatio verò vltorioris per-  
fectionis essentialis, esset infinitum formale : sic in qua-  
litate in infinitum intensa , eius gradus essentiales  
essent materiale infiniti : at negatio vltorioris gradus,  
seu vltorioris perfectionis, esset formale constitutiū  
illius infiniti : pariter in magnitudine , tota moles,  
esset materiale, negatio verò extremitarum, seu con-  
figurationis externæ; esset formale; in infinita etiam  
multitudine , omnes & singulæ vnitates sunt mate-  
riale infiniti huius , negatio verò primæ , & vltimæ  
vunitatis, est formale illius constitutiū, his positis.

**D I C E N D V M** est 1. si duo infinita sumantur se-  
cundum rationem formalem infiniti , vnum non esse  
majus altero. Ita Doctores communiter , & placet  
Conplutensibus disp. 18. de infinito, q. 7. §. 2. Ratio est,  
quia infinitum formaliter sumptum explicatur per  
negationem extremitarum : atqui in negationibus  
non datur excessus , sed se habent prorsus indiuisibili-  
liter , quia vnumquodque infinitum , hoc ipso quod  
infinitum est debet omnino carere terminis finienti-  
bus , & limitantibus illud: ergo , in ratione formali  
infinitudinis vnum non potest excedere aliud. Proba-  
tur, nam negationes consistunt in indiuisibili, hoc est,  
non possunt augeri, aut minui, quia omnino negant  
formam cuius sunt negationes: ergo negatio extre-  
mitatis sifit in indiuisibili , & consequenter formale  
constitutiū infiniti sifit in indiuisibili.

**D I C E N D V M** 2. solum infinitum in multitudine  
suscipere magis & minus quoad materiale: non quoad  
formale. Ita scribunt omnes. Ultima pars patet ex

dictis : prima verò probatur , nam positis infinitis numero Angelis : posset Deus producere infinitos etiam numero homines , & ex illis omnibus conflare aliquod totum ; ergo istud totum erit majus quolibet altero , quoad materiale ; quia in eo erunt plures vnitates : sed non erit majus quoad formale , quia utroque est æqualis negatio , primæ & vltimæ vnitatis .

ATQVE ex ijs sequitur non esse absurdum dari infinitum numerum hominum , licet maior excrescat numerus manuum quam individuorum ; & major , numerus digitorum , quam manuum : aut major numerus capillorum , quam digitorum ; siquidem hic excessus non fit penes formale , sed penes materiale ; infiniti : nec proinde penes rationem finitudinis , sed penes rationem finitudinis . Infinitudo enim sistit in sola negatione primæ , & vltimæ vnitatis : finitudo vero semper remanet in singulis vnitatibus distributiè sumptis . Dices , Deus videt actu omnes & singulas illas vnitates , nempè omnes & singulos illos Angelos , & homines numero infinitos ; videt etiam distinctissimè , omnes & singulos illorum capillos , digitos , & manus : possetque hæc omnia numerare à primo , ad vltimum , quia nihil est in tota illa multitudine quod lateat diuinam eius cognitionem , visiōnem , & enumerationem ; ergo , potest illud genus infiniti percurri per diuinum intellectum , quod tamen repugnat rationi infiniti .

R E S P O N D E O , Deum videre clarè & intuitiū omnes & singulas vnitates , quæ sunt in tali multitudine : sed tamen , nec videre primam nec vltimam , vnitatem , quia ibi nulla est . Nec indè sequi illas omnes vnitates posse numerari , aut numeratione percurri , quia omnis numerus incipit ab una vnitate , & finem sumit ab altera . Sed an infinitæ sint vnitates partiales in continuo videamus .

## QVÆSTIO IV.

*Quid & quotuplex sit continuum: & ex quibus constituatur.*

**C**ONTINUVM tribus explicatur definitionibus; prima est, *Continuum est cuius partes communis vinculo copulantur*. Secunda, *Continua sunt quorum ultimas sunt unum, & idem*. Tertia, *continuum infinitè divisibile est, in ea quo insunt*. Diuiditur autem continuum in permanens & successuum: permanens est cuius partes simul omnes coexistunt, ut partes omnes ligni, auri, lapidis: successuum, cuius partes omnes simul non existunt, sed successivè fluunt, ut partes temporis, & motus. Permanens diuiditur in Physicum, & Mathematicum: continuum Mathematicum est sola quantitas categorica prout abstrahit ad omni materia, alioque accidente Physico, & quatenus diuisibilis est in trinam dimensionem. Continuum Physicum diuidi solet in totale, & partiale. Totale est totum compositum Physicum, materiam, formam, quantitatem, qualitates, & reliqua accidentia physica complectens: partiale verò, vel sola materia, vel sola forma, vel solum aliquod accidens physicum prout diuisibile in longum, latum, & profundum: dictum enim fuit in Logicis, *disputatione de Quantitate, non solum Quantitatem categoricam esse extensam: & diuisibilem, sed etiam materiam, formam, qualitates & cætera accidentia corporea, quia corporum & extensem reciprocantur; quemadmodum inextensum, & incorporeum conuertuntur: atque de ijs omnibus continui specibus, quæri solet, ex quibus fiant, an ex diuisilibus, an verò ex indiuisilibus, & an contineant infinitas numero partes; & infinita numero puncta copulatiua, seu terminatiua.*

Sunt qui afferant continuum fieri ex punctis in-

diuisibilibus; sunt & alij qui non ex indiuisibilibus, sed ex partibus diuisibilibus coalescere adstruant. Quid nobis sit sentiendum aperiamus. Sed prius obseruandum, quid sit diuisibile, quidue indiuisibile. Diuisibile est illud quod habet partes in quas possit diuidi, ut lignum quadripalmare; quod diuidi potest in quatuor partes æquales. Indiuisibile verò haud scio quis purè possit illud comprehendere. Per negationē enim tantum, huc usque perceptum fuit, non quidem quid reuera esset, sed quid non esset. Est enim omnis magnitudinis expers, longitudine, latitudine, profunditate, & sublimitate carens, nullam prorsus dimensionem habens cuius nulla est pars. Proinde cùm nullius extensionis sit particeps, eius nulla sunt extrema, neque intima, quæ aliquam possint diuisibilitatem pati. Nullius insuper punctum mensura est, cùm nullius magnitudinis partem æquare possit: ac quod est admirandum, cùm puncto non excedatur, non est tamē puncto, punctum æquale, non est inæquale, sed ubique est, hoc, huic simile est nec minus admirandum quod nec augeri, nec imminui ullo modo potest, numquam sui ad se additione crescens, numquam sui à se detractione decrescens, sed in eodem statu semper subsistens. Et quamvis infinita numero puncta, puncto addantur, non tamen fiet maius punctum, nec quidquam diuisibile & continuum producetur; sed ex pluribus indiuisibilibus, aggregatum aliquod resultabit. ijs positis.

S C R I B I T Simplicius neque partes vllas esse actu in quouis continuo ante sui diuisionem, nec consequenter vlla indiuisibilia copulatiua partium: sed tantum potentiam; quod existimet continuum esse aliquid simplicissimum actu, fieri verò potentiam multiplex, seu compositum per sui diuisibilitatem. Sed hæc sententia digna Simplicio. Eam tamen tuetur Fonseca lib. 5. Met. quoad puncta connectentia, quod putet partes per se immediatè vniri. Vtrumque videatur sentire Aristoteles lib. 5. Meta. cap. 5. text. 17. vbi ait puncta & partes esse in continuo, eo modo quo

forma statuæ est in ligno rudi , & informi, nempè potentia tantum , non actu : quia ex continuo possunt extrahi partes & puncta , eo modo quo ex ligno potest extrahi forma statuæ: si nimirùm diuidamus continuum in suas partes , eo ferè modo quo statuarius remouet partes quasdam ex ligno , vndè resultat statua , seu configuratio externa ligni , facta ex arte , nihilominus.

D I C E N D V M est , 1. in quois continuo totali & partiali physico , & mathematico , esse actu partes illud componentes , & puncta actu illas partes connectentia & terminantia . Prima pars patet , nam continuum est essentialiter diuisibile in ea quæ illi insunt ; est autem diuisibile in partes: ergo , in illo sunt actu partes . Consequentia liquet , nam diuisibile in partes nequit diuidi actu in partes , nisi habeat actu partes . Secunda pars probatur , nam partes illæ nequeunt diuidi , nisi prius fuerint vnitæ , & vniri nequeunt , nisi per reales vniōnes : quod probo , realiter vniuntur , quia realiter possunt dissolui ; ergo , per reales vniōnes vniuntur . Eas vniōnes esse indiuisibiles , ostendo . Nam , si diuisibiles essent , possent disiungi , & non possunt disiungi nisi prius sint vnitæ , nequeunt autem vniri nisi per alias vniōnes ; ergo , dari debent vniōnes vniōnum , & sic in infinitum : censendum est igitur illas vniōnes , indiuisibiles esse .

D I C E N D V M 2. partes quæ sunt in continuo esse numero infinitas , si sint proportionales ; numero verò finitas si sint non proportionales , sed aliquotæ seu non communicantes . Partes aliquotæ sunt quæ aliquoties repetitæ adæquant totum ut palmi in vlna qui quater resumpti adæquant totam vlnam : dicuntur etiam non communicantes , quia non communicantur mutuò , hoc est non sese inuicem includunt sed vna alteram ex se excludit : proportionales verò dicuntur communicantes , quia sese mutuò includunt : & proportionales , quia ita proportionaliter diuidi possunt in minores , & minores , seruata sēper proportione minoritatis vthæc diuisio possit fieri successiue in

in infinitū : ut si diuidas vlnam in duas medietates, & iterum vtramque harum, in alias duas medietates, atque iterum vtramque in alias duas medietates, & sic in infinitum. Vbi vides partes posteriores esse minores prioribus, atque in prioribus includi, ante sui diuisionem. Ijs positis probatur conclusio, tot sunt partes actu in continuo ; in quo potest diuidi actu: atqui successiū potest diuidi in infinitas numero partes proportionales, minores atque minores in infinitum : ergo in quoquis continuo sunt actu infinitæ numero partes proportionales. Probatur minor, nam factā quacumque diuisione, quæ supersunt partes, diuisibiles sunt, alioqui non participarent rationem continui, & sic ineptè dicerentur partes continui : atqui\* participant rationem continui, quemadmodum quilibet particula aquæ, participat rationem aquæ: ergo cùm ex Aristotele continuum sit diuisibile in infinitum: ita illæ partes quacumque factā diuisione semper sunt diuisibiles in infinitum, & quia non possunt in infinitum diuidi; nisi infinitas numero contineant partes, sequitur necessariò, infinitas numero partes esse in quolibet continuo; quinimò in qualibet particula etiam minimula continui, sunt infinitæ numero partes. Vnde, tot sunt partes proportionales in grano milij, quot sunt in toto globo terræ : tot in qualibet parte, quot in toto : tot in digito, quot in manu:tot in manu, quot in brachio:tot in brachio, quot in reliquo corpore : & quod mirandum, tot in acaro, quod in Elephante. Non quidem tot æquales, sed tot proportionales, nec inde sequitur absurdū, quia vbiique sunt numero infinitæ, & infinitum non suscipit magis aut minus, vt dictum fuit suo loco.

D I C E N D U M 3. in quoquis continuo esse puncta connectentia, numero infinita. Hæc sequitur ex dictis, nam tot sunt puncta copulativa partium quot sunt partes copulatae: atqui infinitæ sunt numero illæ partes, vt dictum fuit: ergo infinita sunt etiam puncta copulativa. Ratio dictat, nam partes non vniuntur per se immediate per solam contiguitatem ; ergo,

per continuatatem : patet sequela quia non consti-  
tuunt totum contiguum, sed totum continuum: at qui  
non possunt constituere totum cōtinuum nisi vni-  
antur per aliquid sibi commune, iuxta illud Aristotelis,  
continuum est, cuius partes communī vinculo copu-  
lātur; ergo quot sunt partes in cōtinuo, tot sunt pun-  
cta copulatiua illarum. An verò continuum coalescat  
ex illis pūctis, vel ex partibus diuisilibus, videamus.

## QVÆSTIO V.

*An continuum coalescat ex indiuisibilibus  
necne.*

**C**ONTINUVM inter omogenea censeri debet, qua-  
tenus conflatur ex partibus eiusdem rationis cum  
toto. Quantitas enim cathegorica quæ vnum est ex  
continuis non resoluitur per diuisionem sui, nisi in  
partes quæ sunt etiam quantitates partiales, ac proin-  
dè diuisibiles iterum in alias, quæ sint item diuisibiles;  
quia de ratione quantitatis est, habere partes extra  
partes; ergo, quæcumque illius pars habet etiā partes  
extra partes, diuisibiles in infinitum, nec deuenire po-  
test diuisio usque ad ultimam partem quæ diuisibilis  
non sit, alioquin non esset pars quantitatis. Queritur  
autem utrum illud continuum, & omne aliud, fiat tale  
ex punctis indiuisibilibus : vel ex partibus diuisibili-  
bus realiter distinctis ab illis punctis.

**P**RÆCIPVM fundamentum eorum qui docent  
componi ex indiuisibilibus, est huiusmodi, nulla pars  
est in toto continuo quæ naturā suā non sit diuisibilis,  
ab alia, ergo nulla est quæ non possit diuidi actu ab  
alia: facta autem omnimoda diuisione, nulla supere-  
rit diuisibilis, yr pater, ergo signum est illud contin-  
uum compactum esse ex indiuisibilibus. Patet con-  
sequentia, nam vnumquodque resoluitur in sua prima

principia, ut mixta resoluuntur in elementa: atqui, illud compositum resolutum est in indiuisibilia, ergo, fuerat compactum, ex indiuisibilibus. Sed contra, nulla est pars in cōtinuo quæ non sit diuisibilis à quacumque alia, distributiūè, cōcedo: omnes simul nego. Ratio est, quia repugnat rationi continui, ut fiat non continuum: & consequenter, ut ex diuisibili, fiat indiuisibile; quia essentiæ rerum sunt immutabiles; & quod naturâ suâ est tale, non potest non esse tale. Licet igitur nulla sit pars in continuo quæ diuisibilis non sit ab alia, facta tamen quantacumque diuisione, semper fiet diuisio in partes adhuc diuisibiles, nec mirum, quia sunt continui partes. Et licet Deus clare videat omnes illas partes, nequit tamen illas simul dissoluere, quamvis diuisibiles sint distributiūè, quia repugnat naturæ continui, ut simul omnes separantur copulatiūè. Dices, ut Deus potuit vnire omnes illas partes, potest etiam illas omnes dissoluere, non enim est major vis ad vnum, quam ad aliud. Sed contra, nam potuit Deus creare hominem animal rationale & tamen non potest efficere, ut homo non sit rationalis: pariter potuit Deus facere ut continuum sit semper diuisible, & tamen non potest efficere, ut idem fiat indiuisible. Quare.

DICENDVM, omne continuum fieri constitutiūè ex partibus diuisibilibus: vñtiūè verò ex punctis indiuisibilibus: eo fere modo quô totum compositum Physicum fit ex materia, & forma constitutiūè. Prima pars per se patet, ex illis enim sit continuum constitutiūè à quibus habet ut sit diuisible, quia diuisible & continuum reciprocantur; habet autem à partibus diuisibilibus, ut sit diuisible: ergo, ex illis constituitur in esse, continui. Probatur minor, nam vel ab indiuisibilibus, vel à diuisiuilibus habet continuum ut sit diuisible: atqui non habet id ab indiuisibilibus, quia indiuisibilia non sunt diuisibilia, nec proinde possunt tribuere alteri, ut sit diuisible, quia nemo dat quod non habet: ergo, continuum fit constitutiūè ex diuisibilibus: cum in sua essentia sit diuisible, &

diuisibile completum non possit fieri tale nisi ex diuisilibus partialibus. Confirmatur nam tota aqua æquoris non potest fieri nisi ex partialibus aquis, neque totum lignum, nisi ex partibus quæ sint ligneæ; ergo, neque continuum potest fieri nisi ex continuis: atqui, continua parua & magna, existentia & protensa sunt essentialiter diuisibilia; ergo totum aliquod continuum fit ex partibus diuisilibus. Deinde, si continuum fieret constitutiū ex punctis indiuisibili bus, nullum esset altero maius, nullumque spatium extensum occuparent: infinita namque puncta infinitis numero punctis superaddita neque ullam faciunt extensionem, neque ullam loci occupationem cum tangent se secundum se tota, & omnis localis extensio, & loci etiam occupatio oriatur ex sola imprestione partium continui: atqui, videmus corpora naturalia sese expellere è loco, & vnumquodque illorum proprium sibi vendicare locum; ergo, signum est habere partes impenetrabiles, & consequenter diuisibles, & signon constitui ex punctis.


SED supponamus continuum aliquod fieri constitutiū ex quinque punctis, aut ex septem: aut ex quovis alio numero impari punctorum: non poterit illud continuum diuidi in duas medietates æquales, nisi punctum indiuisibile fiat diuisibile; vt patet; ergo quemadmodum repugnat punctum diuidi: ita repugnat continuum fieri constitutiū ex punctis. Minor patet, nam si continuum fiat ex septem punctis, & in duas diuidatur medietates, vel erunt quatuor puncta in una medietate, & tria in altera medietate, & sic medietates non erunt æquales; vel si sint æquales punctū inter medium erit diuisum, & sic indiuisibile erit factum diuisibile, quod est contradictorium. Sunt igitur puncta in continuo tanquam vniiones quibus vniantur partes, non autem tanquam partes componentes, & sic stat secunda pars conclusionis.

ADVERTENDVM tamen nomine continui nos intelligere indifferenter, vel substantiale, vel accidentale Phycum, vel Mathematicum, substantiale est mate-

ria & forma, vel totum ex illis resultans accidentale, cætera accidentia Physica : & Mathematicum est tria dimensio quantitatis cathegorice. Dicimus autem hæc omnia esse continua diuersa, quia materia, forma, & totum ex illis resultans, necnon illius accidentia seu qualitates, sunt entia corporea, & proinde diuisibilia, & cum diuisibile & cōtinuum reciprocantur, hinc fit, vt illa : sint continua. Fit igitur materia constitutiū ex suis partibus diuisibilibus, pariter & forma, ac consequenter totum : quia ex diuisibilibus nequit fieri nisi diuisibile, sunt etiam aliæ qualitates diuisibles, ex suis partibus diuisibilibus, constitutiū: ex punctis verò indiuisibilibus, vniuitiū. Quod autem materia & forma, totum compositum, & qualitates in illo inexistentes, sint entia diuisibilia, patet, nam in diuisione ligni, aut alterius corporis quanti: non tantum sola quāritas, inclusa in illis diuiditur, sed etiam substātia & qualitates diffusæ per totam substantiam: ergo, signū est tot esse partes materiæ, formæ, & qualitatum, quot sunt partes quantitatis inclusæ: signum est etiam tot esse puncta indiuisibilia materiæ, & formæ, & qualitatum, quot sunt puncta quantitatis: quia partes materiæ non minus vniuntur inter se quām partes quantitatis, & pariter dicendum de partibus qualitatum.

**S**E D quæres, nūm per eadem puncta, possint vniiri partes materiæ, & formæ, & qualitatum, & quantitatis? Respōdeo non posse, quia primò puncta copulatiua partium materiæ, & formæ sunt substantialia: puncta verò copulantia partes qualitatum, aut quantitatis sunt accidentalia: secundò, videmus materiam posse diuinitus separari à formâ, & formam à materia, & separatim existere, & tamen in illo statu separationis partes materiæ sunt inter se vnitæ: & similiter partes formæ inter se; ergo partes materiæ non vniuntur per vniōnem partium formæ, nec è contra, videmus etiam quantitatem, & alias qualitates posse inuicem sciungi & à materia & à forma, & tamen in tali statu separationis habere partes proprias inter se vnitas;

ergo, signum est vniuersi per proprias vniōnes. Dixi autem puncta materiæ, & formæ, esse substantialia, quia per se, suo modo subsistunt, puncta namque materiæ per se sunt extrā omne subiectum, quemadmodum partes quas vniunt: puncta verò formæ sunt in punctis materiæ, eo modo quo partes formæ sunt in partibus materiæ, nempe per consubstantiam: at puncta indiuisibilia quantitatis sunt immediatè in punctis materiæ per inhæsionem, quemadmodum partes ipsius quantitatis in partibus materiæ: & puncta pariter copulatiua partium qualitatum inhærentium in materia, sunt inhæsiū in ipsis punctis materiæ: puncta enim debent esse in punctis, & partes in partibus materiæ, ut sit proportio inter subiectum, & rem subiectatam, sed hæc de continuo, vtrum omne continuum debeat esse in loco, vel in vacuo, per tempus, vel per instans. Videamus.



# DISPVTATIO OCTAVA.

*DE LOCO, ET VACVO.*



V M omne corpus naturale  
debeat esse in loco aliquo, vel  
in vacuo, dum existit: quia  
nequit existere, & nullibi esse:  
nec in loco aut vacuo existe-  
re, nisi ibi permaneat per  
aliquod tempus, vel saltem  
per instans: sequitur, ut expo-  
sitis ijs quæ ad magnitudi-  
nem rerum naturalium spectant, ad inuestigationem  
loci, & vacui, ac temporis progrediamur. Agendum  
erit igitur 1. Quid & quotuplex sis locus, & an immo-  
bilitas sit illius essentia. 2. quibus rebus conueniat  
esse in loco, vbi de proprietatibus loci. 3. vtrum,  
vnum idemque corpus possit esse simul in pluribus  
locis: vel plura corpora, in uno eodemque loco. 4.  
vtrum idem corpus existens in pluribus locis, habeat  
vtrōbique eadem accidentia. 5. quid sit vacuum, an  
sit in rerum natura, & an possit à creaturâ induci. 6.  
an motus localis fieret in instanti, in vacuo quoad  
primum sit.

## QVÆSTIO I.

*Quid & quatuorplex sit locus, & an immobilitas  
sit de illius essentiâ.*

**L**OCS vulgò dicitur id, vbi res aliquā collocatur, est autem duplex, intrinsecus, & extrinsecus. Hic est superficies corporis ambientis aliud ille verò, dicitur præsentia rei locatæ. Hoc sensu superficies concava dolij contigua vino, est locus extrinsecus vini: præsentia verò illius in tali superficie, est eius intrinsecus locus: de vtroque agimus loco, sed potissimum de externo. Verùm quia perarduum est huius loci naturam percipere, nisi prius intelligatur, quid sit vnum contineri in alio; sciendum est, sex modis, id contingere. 1. enim vnum continetur in alio, vt partes in toto. 2. vt totum in partibus. 3. vt species in genere, individuum in specie, species in individuo, & genus & differentia in individuo & in specie. 4. vt forma in materia, accidens in subiecto. 5. vt effectus in sua causa. 6. vt corpus in suo loco: atque, de hoc modo cōtinendi vnum in alio procedit hæc quæstio: sequitur autem ex ijs, locum realiter distingui à re locata, ac consequenter, locum esse vel spatium occupatum, vel superficiem corporis externi ambientis. Diuiditur tamen locus huiusmodi in communem & propriū. Cōmunis dicitur ille in quo simul plura continentur corpora: vt officina bibliopolæ, & classis: quia plura corpora continentur in illis. Atque hoc sensu scribit Aristoteles lib. 5. Phy. Cœlum esse locū communem elementorum; elementa, mixtorū: & corpora mixta sese mutuò exhibere in locum alterius: proprius locus dicitur ille qui rem vnicam tantū continet ambit, atque circumscriptis, ijs positis quæritur in quo sit ratio formalis loci proprij cuiusque rei corpo-

reæ ; quia de rebus spiritualibus erit nobis alibi dis-  
putandum.

POSVERVNT antiqui rationem loci in sola materia, vt putarent totum compositum esse situm in forma & accidentibus, hæc vero omnia in materia collocari tanquam in loco, eo ferè modo quo vinum in dolio est, vt in loco, alij voluerunt locum esse illud inter- uallum quod occupatur à corpore locato, & ita sen- set Galenus quod putaret illud spatium esse aliquid quantitatuum ex tria dimensione: & consequenter æquale corpori locato. Docuerunt alij, illud spatium, esse quidem locum in quo recipitur corpus, sed ta- men nō esse quid posituum; sed aliquid priuatuum cùm aptitudine recipiendi corpora. Alij imaginati sunt solam quantitatem esse locum in quo est mate- ria, cùm forma, alijsque accidentibus: quia illa sola est æqualis locato, ab eoque immobilis. Alij denique, posuerunt locum in aliqua superficiè imaginaria cir- cundante locatum, propter Aristotelem qui docuit locum debere immobiliter inuestire locatum, sed quid sentiat Philosophus videamus. Scribit Aristoteles lib. 4. Phy. locum esse superficiem corporis am- bientis primam & immobilem. Per primam intelligit intimam & contiguam rei locatæ, per immobilem, in- telligit simultaneā coexistentiā contiguitatis vtrius- que, loci scilicet, & rei locatæ in eodem spatio.

DICENDVM est igitur neque materiam, aut quanti- tatem: neque spatium imaginarium vel reale, posse esse locum: sed solam superficiem extremam corporis ambientis locatum. Ita Aristoteles, & cum eo Docto- res omnes, & sequuntur Compl. disp. 19.q.1. de loco, §. 3. Materia enim & quantitas sunt partes rei loca- tæ, ergo, nequeunt esse illius locus, vel pars erit locus totius. Deinde, materia, & quantitas non minus sunt in loco quam forma & cæteræ qualitates; ergo, debet ille locus assignari. 2. spatium occupatum est quid non reale, simpliciter imaginarium, nequit autem lo- cus esse quid imaginarium, cum non imaginari, sed realiter contineat rem locatam; ergo, illud spatium

non potest obtinere rationem loci: superficies item illa quam imaginamur inuestire corpora, nequit esse locus, quia nequit realiter inuestire, cum nihil sit reale: ergo superest ut superficies corporis ambientis sit locus quem inuestigamus. Dices, illud est locus ad quod tendunt corpora; atqui, corpora non tendunt naturali impetu ad illam superficiem, sed ad suum centrum, singula leuia sursum, singula grauia deorsum; ergo, illud centrum erit proprius locus. Respondeo in duplici genere esse locum; alius enim est locus consistentiarum, nempe centrum: alius vero continentiarum, nempe superficies corporis ambientis. Sed ut ratio loci melius percipiatur, nota triplicem esse locum extrinsecum, materialem, formalem, & finalem, materialis, est corpus continens seu ambiens, spectatum secundum sui crassitatem & sic loquitur Aristoteles lib. 4. Phy. cap. 14. cum dicit cœlum esse locum elementorum, & unum corpus, locum alterius: formalis est ultima superficies ipsius corporis ambientis, quam pars ipsi rei locatae contigua est; ut docet idem Phylosophus eodem cap. finalis denique locus dicitur centrum ad quod unumquodque corpus naturali propensione tendit, ut graue deorsum, leue sursum.

IAM probatur conclusio, quia locus debet esse vel materia, aut quantitas, vel spatiuum, aut imaginaria aliqua superficies in qua res locata concipiatur esse, vel realis superficies illam ambiens: atqui nihil horum potest esse locus praeter hanc superficiem, ut patet ex dictis: ergo, illa sola est locus. Patet consequentia, nam illi soli superficie conueniunt omnes proprietates loci nempe equalitas, & immobilitas. Equalitas quidem, quia superficies concava dolij est omnino equalis superficie conuexae vini, tantum enim se extendit una, quantum altera: immobilitas vero, quia tandem una superficies est locus quandiu immobiliter se habet ad rem locatam. Incipit enim esse locus, quando incipit actu ambire; & definit esse locus, quando definit actu ambire: & sic, illa superficies ambiens, est locus formalis: crassities vero eiusdem corporis, est

locus materialis; vnde, totum corpus ambiens, dici debet totalis locus.

**D**IC E S, locus debet esse terminus producendus motu locali: atqui superficies ambiens non producitur, ergo, non est locus. Minor patet, nam corpus ambiens non producitur secundum aliquid sui, quando ad illud accedit aliud corpus: ergo, neque secundum illam superficiem. Sed contraria, nam dum corpus aliquod mouetur ab uno loco in alterum locum, successivè scinditur aer, & fiunt superficies ambientes, ut patet in illis qui natant. Scinditur enim aqua, & successivè fiunt superficies aquæ, ambientes corpus natantis. Vrgebis, si superficies illa ambiens sit locus, potest quis mutare locum, seipso prorsus immoto, si nimirum stet in aqua, eo modo quo stat turris: atqui implicat aliquem mutare locum, & non moueri; ergo, implicat illam superficiem ambientem esse locum rerum naturalium. Respondeo, implicare quidem contradictionem quod aliquis mutet locum intrinsecum seipso immoto: sed, non esse absurdum, seipso immoto, mutare locum extrinsecum. Cum enim dicimus rem aliquam esse semper in eodem loco: id debet intelligi de praesentia sui in tali spatio: non autem de praesentia sui in tali superficie ambiente: est enim haec superficies locus extrinsecus: illa vero praesentia, locus intrinsecus.

## Q V Æ S T I O II.

*De ijs quibus conuenit esse in loco.*

**V**I D Q V ID in rerum vniuersitate existit, sit in loco opportet, ut ratio dictat. Sed tribus modis dicitur aliquid esse in loco 1. immensè per se; vel immensè per accidens 2. definitiè 3. circumscriptiè. Esse immensè per se in loco, est essentialiter esse in omni loco, seu ubique. Vnde, res quæ dicitur esse

immensè per se vbiique, debet esse huiusmodi ut omnem locum possibilem replere debeat essentialiter, cuiusmodi est Deus, qui sic est in toto hoc mundo & singulis eius partibus, ut etiam necessario in infinitis numero orbibus esset si ab eo crearentur. Esse in loco immensè secundum quid & per accidens, est rem esse totam indiuisibiliter, simul & semel in pluribus locis, & in singulis eius partibus. Sic possent Angeli, intrà aliquod spatum diuisibile; & extensem constituti, esse torti in toto spatio, & toti in qualibet loci parte, per reduplicationem eorum praesentiæ localis: sic etiam est corpus gloriosum Christi Domini, in Sacramento: est enim totum in tota hostia consecrata, & totum in qualibet eius particula. Hic verò modus essendi in loco dici potest immensus secundum quid, & per accidentem, quia per huiusmodi reduplicationem praesentiæ localis, posset diuinitus aliquid esse simul & semel in infinitis numero locis realiter distinctis; vel in spatio infinitè extenso, quemadmodum Deus; nec vlla esset differentia, nisi quia Deus esset ibi per essentiam: illud verò per accidentem: siquidem diuinitus esset eius praesentia localis infinite reduplicata: nec dicas id non posse fieri, quia anima rationalis, est informatiæ eadem in infinitis numero partibus proportionalibus materiæ. Esse in loco definitiū est ita determinari in uno loco, ut in illo solo sit, & non alibi, aut vbiique, modo tamen indiuisibili, idest, sine commensuratione sui cùm loco: esse verò circumscriptiū in loco, est non quomodocumque determinari ad ynum locum, ita ut non sit in alio, vel vbiique: sed in eo esse per circumscriptiōnem, & commensurationem variisque superficie, corporis nempè ambientis, & corporis locati: ita ut singulæ partes superficie ambientis, corresponteat singulis partibus superficie corporis locati: & singula puncta singulis punctis. Agit autem Physicus per se de loco circumscriptiō, per accidentem verò de immenso, & de definitiō, quia per se agit Physicus de corpore naturali per accidentem verò de Deo, & de Angelis, aut de animabus rationalibus, quia haec non

dependent à materia.

DICENDVM est nihilominus 1. soli Deo conuenire ut sit in loco simpliciter immenso. Ratio est euidens, quia essentialiter est vbique, ob eius imminensitatem; substantijs verò spiritualibus (ut sunt Angeli, & animæ rationales) conuenit esse in loco immenso peraccidens, quia indiuisibiles sunt entitatiuè, & modum essendi Dei in loco imitantur, dependenter tamen à Deo, quare peraccidens esset illis quod Deus eas posneret vbique per reduplicationem earum præsentia, quia id non conuenit illis essentialiter, sed per dependentiam à Deo.

DICENDVM 2. nullum corpus posse viribus naturæ ponи in loco immenso, aut definitiuо. Omne enim corpus vel est naturale, ut lapis; vel mathematicum, ut triangulus; vel artefactum ut statua: at qui nihil horum potest viribus naturę ponи definitiuè, vel immensę alicubi, ut patet, loci definitiui, & immensi naturam percipienti: ergo, nullum corpus viribus naturæ potest constitui, in loco definitiuо & immenso. Stat sequela, nam uterque iste locus est indiuisibilis, & omnne corpus est extensum.

DICENDVM 3. nullum esse corpus naturale, Mathematicum, & artefactum quod secundum suam entitatem materialem non possit ponи diuinitus in loco definitiuо, & peraccidens immenso. Ratio est quia si quid impediret, maximè impenetrabilitas dimensionum: hæc autem impenetrabilitas potest tolli à Deo per retractionem sui concursus à quantitate illam effundente, ut alibi ostensum est: ergo, nullū est corpus quod non possit entitatiuè ponи in loco definitiuо, & peraccidens immenso, ad instar spirituum, per penetrationem partium, adhibita multiplicatione præsentia localis.

DICENDVM 4. impossibile esse corpus mathematicum, & artefactum ponи definitiuе in loco, secundum formale sui constitutiuum. Ratio mihi videtur euidentissima, quia formale constitutiuum trianguli, est habere tres angulos æquilateros inuicem loco di-

stantes, ut patet ex eius figura: atqui impossibile est seruari huiusmodi distantiam laterum, & angulorum in loco definitiō, seu indiuisibili, ergo, impossibile est poni triangulum secundum formale in loco definitiō. Pariter dicendum de statua secundum suam figurā spectata, impossibile enim est, eam poni in puncto secundum illam formam; hæc enim petit talem proportionem partium quoad locum, ut illâ sublatâ pereat tota statua: ponuntur ergo, in loco definitiō ratione materiae, non verò ratione formæ.

DICENDVM vltimò, omnia corpora naturalia celestia, clementaria, & mixta perfecta, & imperfecta, viuentia, & non viuentia, poni naturali via in loco circumscriptiō: & diuinitus in loco definitiō, & per accidens immenso circumscriptiō. Cœli enim sese mutuo ambiunt: elementa pariter sese inuicem circumdant: mixta vero vel in aëre, vel in aqua dicuntur locari. Difficultas posset esse de Cœlo supremo, illud enim viderur esse locus aliorum, & tamen in nullo esse loco, siquidem nulla ambitur superficiē. Scribunt autem aliqui, illud Cœlum esse secundum superficiem concavam in loco actu, secundūm verò conuexam esse tantum in loco potentia; quatenus posset Deus aliud creare Cœlum, à quô istud ambiretur: sed semper recurreret quæstio in infinitum. Vtrum supremum Cœlum sit in loco, docent Cöplutenses q. 6. §. 2. de loco primum mobile secundum se totum non esse actu in loco. Et §. 3. scribunt esse in loco ratione suarum partium. At, qui possit id tueri non video. Nam ex illis disp. 6. de composito q. 4. §. 3. totum non distinguitur realiter à suis partibus vnitis; ergo, quidquid habet ratione partium, habet etiam ratione sui: atqui per eos primum mobile mouetur ratione suarum partium: ergo, & ratione sui. Sed quæ sit eorum ratio videamus. Eo modo aliquid est in loco, quo mouetur & mutat locum: sed primum mobile ( aiunt ) non mouetur ( mouendo locum ) secundum se totum, sed secundum suas partes: ergo, neque est in loco secundum se totum, sed secundum suas partes, & ratione il-

jarum. Probant minorem, primum mobile secundum se totum non mutat locum, quia semper est in eadem distantia; sed solum secundum suas partes, quatenus, quæ antea erant in oriente, modo sunt in occidente. Illud confirmant hoc modo, partes primi mobilis ita sunt dispositæ, ut una suo modo ambiat aliam, & rursus alia contineat aliam, & sic de alijs: ergo, una erit aliquo modo in alia tanquam in loco, quippe quæ ambitur ab illa: ergo primum mobile erit aliquo modo in loco ratione partium. Hæc quidem ratio aliquid probat, sed male assumitur in confirmatione in præcedentis, ut patet: at præcedens nihil omnino. Non enim aliquid est in loco quia mouetur à loco: sed è contrà, idè aliquid est in loco, quia non remouetur è loco. Deinde nulla potest moueri particula Cœli ab uno loco in alterum locum nisi totum Cœlum moueat, nec totum Cœlum moueri, nisi omnes eius partes moueantur, propter continuitatem partium: ergo, non idè totum Cœlum mouetur, quia eius partes mouentur: sed æquè ideo partes Cœli mouentur, quia totum Cœlum mouetur: nec inde sequitur Cœlum esse in loco ratione suarum partium quia mouetur ratione suarum partium: quia esse in loco abstrahit ab omni motu, nec in definitione loci ponitur illa ratio motus.

**A D D V N T** conclus. 3. partes primi mobilis non esse actu in loco, sed tantum potentia, & consequenter ipsum Cœlum non esse in loco actu, sed solum in potentia: primum probant, quia ad hoc ut aliquid sit actu in loco, debet actu ambiri ab alio realiter distincto, at qui partes Cœli secundum superficies internas, non se habent hoc modo, ut una alteram ambiat per contiguitatem, sed per continuitatem: ergo, non sunt actu in loco, sed potentia tantum. Hac in parte sequimut illos.

**Q u o d** spectat ad proprietates loci docet Aristoteles tres esse dumtaxat, æqualitatem loci cum re locata: immobilitatem à re locata, & rei locaræ conservationem. Duæ priores spectant ad locum formalē

posterior verò ad locum finalem. Debet enim locus finalis, nempè centrum, conseruare res sibi conuenientes, cùm sit illarum finis ultimus & ultima quies: debet & superficies ambiens vndequaque coextendi rei locatæ, & sic illi coæquari: debet & immobiliter illam ambire quandiu odtinet rationem loci. Tunc enim incipit esse locus, cùm incipit ambire, & tunc definit esse locus, cùm definit ambire; ergo, quandiu est locus, tandiu actu ambit & consequenter immobiliter ambit. Maior est difficultas de ipsa immobilitate, à quô & vndē sumi bebeat. Docent Conimbrienses ponendam esse à superficie quadam imaginaria quæ concipitur esse circa corpus locatum, sed vult Aristoteles. locum esse realem & consequenter eius proprietates. Ponunt alij in eadem distantiâ à centro mundi, & à polis, vt sensus sit, tandiu rem aliquam esse in eodem loco, quandiu seruat eamdem distantiam à polis & à centro mundi, sed indè sequitur rem existentem in vacuo posse dici esse in loco, dummodo semper æqualiter distet à centro, & polis: cùm nulla proprietas loci possit esse nisi vbi locus, sed melius ponitur in simultanea coexistentia superficie ambientis, & rei locatæ, in eodem spatio.

### QVÆSTIO III.

*Vtrum idem numero corpus possit esse simul in pluribus locis: & plura corpora in uno & eodem loco.*

**P**ER GRANDE miraculum nobis occurrit in hac quæstione perscrutandum, an scilicet Petrus qui degit Tolosæ, possit eodem momento tempore Parisijs existere: & vtrum plura corpora quantitate affecta possint existere in eodem spatio, ab eadem superficie ambiente interclusa. Vtrumque negant ali-  
qui

qui, primum quidem hoc modo, si idem numero corpus posset esse simul in duobus locis, vel in illis esset circumscriptiuè, vel definitiuè: non circumscriptiuè quia id quod eo modo est in loco, ita circumscibitur superficie ambiente, ut nulla eius particula sit extra superficiem huiusmodi: nec definitiuè, si quidem id quod eodem modo est in loco, ita definitur ibi, ut non sit alibi: ergo, nullo pacto potest idem numero corpus pro eodem tempore esse simul in duobus locis. Id debet intelligi de locis adæquatis, non inadæquatis, quia dubium non est, quin possit idem numero corpus, secundum vnam sui partem esse in uno loco partiali & inadæquato: sed non totum in uno, & idem totum in altero loco totali.

S C R I B V N T Complutenses disp. 19. quæst. 8. §. 2, implicare contradictionem ut idem numero corpus sit circumscriptiuè in duobus locis: & apud me certissimum est, majus miraculum esse, idem corpus esse simul in duobus locis definitiuè, quam si sit tantum circumscriptiuè; quia utrobique est quidem miraculum, sed in modo essendi definitiuè, est duplex miraculum; vnum, quò ponitur idem corpus in pluribus locis, alterum quò in utroque priuatur propriâ extensione locali. Probant tamen hac ratione defumptâ ex Diuo Th. quodlibeto 3. de ratione loci circumscriptiui est, ut undeque circumscribat, & comprehendat locatum: ac proinde quod sit adæquatus respectu illius: ergo, implicat locatum comprehendendi ab illo loco, & simul extra illum in alio. Probant consequentiam, quia aliàs talis locus esset adæquatus, & non esset adæquatus: si quidem totum locatum est extra illum. Confirmant, nam, repugnat aliquid corpus contineri adæquatè in uno loco circumscriptiuo, & aliquam eius partem esse extra talem locum: ergo, multò magis repugnabit quod idem corpus sit totum intrâ aliquem locum, & totum idem in alio loco. Sed contrà, nam 1. fides docet Christum Dominum esse circumscriptiuè in Cœlo, & definitiuè in venerabili Sacramento: ergo, non repugnat aliquid esse totum

in uno loco, & idem totum in alio loco 2. Christus apparuit beato Paulo, non desertâ dextera Patris: ergo simul fuit in duobus locis circumscripsiù 3. Anima nostra est tota in capite, & tota simul in pede: ergo, non repugnat aliquid esse totum in uno loco, & idem totum in altero loco. Vrgent eodem §. 2. sub finem, quantitatis ratio est tribuere extensionem, & præsentiam localem corpori: ergo, si unica quantitas non possit tribuere duplē extensionem; nec duplē præsentiam localem de via naturali: ita neque de via supernaturali. Sed contrâ, negatur, præsentiam localem corporis prouenire à quantitate alioquin res spirituales carerent suâ præsentia 2. negatur, bonam esse consequentiam à virtute naturali ad supernaturalem. Licet enim natura nequeat ponere simul unum, & idem corpus in pluribus locis, non sequitur statim id non posse fieri virtute diuinâ. Quinimò natura potest ponere eamdem numero inuisibilem animam nostrâ simul totam in capite, & totam in pede; quidni igitur poterit Deus ponere idem corpus in pluribus locis, maximè, cum natura nihil efficiat nisi per virtutem acceptam à Deo. Arguunt, §. 3. si unum corpus posset secundum suas dimensiones ponî simul in pluribus locis circumscripsiù, posset etiam ponî in omnibus vbiique, & esse immensum: atqui, solius Dei est, esse vbiique per immensitatem: ergo id nequit tribui creaturæ. Sed contrâ, solius Dei est esse vbiique per immensitatem sibi essentialē: concedo, illud ipsum competeret creaturæ si vbiique per accidens ponetur nego. Dices tu, si idem homo posset simul ponî vbiique, ille homo unus, cōstitueret totum exercitum: possetque debellare omnes gentes, principatus, & potestates. Quod probo, nam haberet gladium in manu, hic, & vbiique, ut patet: ergo, hic, & vbiique posset belli gerare. Respondeo, id non repugnare. Vrgent §. 4. si idem corpus esset simul in pluribus locis circumscripsiù, esset à se ipso diuisum: atqui nihil potest diuidi à seipso: ergo, neque idem corpus ponî simul in pluribus locis. At contra, illud corpus esset in

locis inter se diuisis, concedo : illud corpus esset à se ipso diuisum : nego , quia esset idem in diuersis locis. Vrgent illi , non potest multiplicari extensio nisi multiplicetur quantitas : nec quantitas multiplicari nisi multiplicetur præsentia localis : & reciprocè nequit multiplicari præsentia circumscriptiua nisi multiplicetur quantitas quæ est radix illius : nec multiplicari quantitas, quin multiplicetur corpus : ergo, non potest idem corpus esse simul in pluribus locis, sed in pluribus locis, erunt plura corpora. Sed contrà, negatur , præsentiam localem corporis oriri à quantitate, sed à seipso ; vnumquodque enim est suo loco præsens, per suam propriam entitatem, supposito ubi intrinseco , vnde, idem corpus, eadem quantitas, & cædem qualitates quæ illi insunt, possunt poni simul in pluribus locis, per solam reduplicationem præsentiae earum, Quare.

D I C E N D V M est non implicare contradictionem vt vnum & idem corpus sit simul, & seme in pluribus locis realiter distinctis, siue in uno sit definitiuè & in alio circumscriptiuè : siue in utroque sit circumscriptiuè , aut definitiuè. Quod possit esse definitiuè in pluribus, & semel circumscriptiuè in uno , patet de corpore Christi , quod in Cœlo est modo circumscriptiuo: in Sacramento vero, modo definitiuo:& consequenter in pluribus hostijs consecratis simul. Quod etiam non repugnet simul esse in pluribus locis modo circumscriptiuo , patet, nam circumscriptio corporis non dicit negationem realis præsentiae in alio loco habendæ , sed tantum priuationem : quia potest in alio poni loco , ( alioquin corpus Christi quod est circumscriptiuè in Cœlo , non posset poni definitiuè in altari ) sed dicit tantum talem dispositionem corporis in loco , vt eius partes respondeant partibus loci , & totum corpus , toti loco : atqui omnis priuationio est in subiecto apto : ergo , corpus existens circumscriptiuè in uno loco , aptum est ut ponatur in alio ; nec est potior ratio cur ponatur in alio totum definitiuè , quam circumscriptiuè , quia æque to-

tum circumscribitur in uno, respectu alterius definitiui, ac respectu alterius circumscriptiui : ergo, si repugnat ponit simul in duobus circumscriptiue, repugnabit etiam definitiuè: neque enim minus ponitur totum in uno, quam in alio. Eadem anima nostra est tota simul in pluribus locis: eadem mea vox tota in pluribus auribus: eadem species impressa in pluribus speculis & similia. Quod spectat ad positionem pluriū corporum in uno eodemque loco. Plura propounderunt exempla Conimbricenses quibus suadent duo corpora sese posse penetrare naturaliter, & sic plura corpora etiam viribus naturæ posse simul esse in uno eodemque loco, 1. quod ignis permeet ferrum dum ignescit. 2. quod panis in aquam iniectus madescat, ab ipsa aquæ substantia quoquouersum subeat. 3. quod vas plenum cineribus, non minus aquæ recipiat, quam si nullo esset cinere repletum: quod sane nequit fieri nisi ipsa substantia aquæ permeet cineres. Sed, nec ferrum candens est simul ignis, nisi in ipsis poris, nec aqua simul est cum substantia panis, sed eius poros tantum subintrat: idem dicendum de cineribus & aqua, in vase, unde, naturaliter nequit unum corpus ponit penetratiuè cum alio in eodem loco  
Quare.

DICENDVM, posse tantum diuinitus ponit plura corpora in uno eodemque loco. Est de fide & testatur scriptura, nam Christus Dominus iam gloriosus post resurrectionem ingressus est ad discipulos ianuis clausis: sicut cum Cœlos ascendit, tunc Cœlos ipsum penetravit: ac tandem in die resurrectionis, illius sacrum corpus è sepulchro obserato palam egressum est: atque adeò cum lapide illo se penetrans, eundem cum eo locum occupauit. Nec dicas, sepulchrum, & ianuas fuisse subito apertas; & iterum velocissimè clausas; id enim multum derogat diuinæ omnipotentiæ, ut non potuerit plus efficere, quam capiat mens humana. Sed stabilitur ex fide, totum corpus Christi est in venerabili Sacramento, totum in qualibet Sacramenti parte: ergo omnes eius partes sunt simul penetratiuè:

atqui, non est maior repugnantia vt plura corpora ponantur simul penetratiue in eodem loco , quam plures partes eiusdem corporis ; quia utrobique est idem impedimentum , nempe impenetrabilitas partium quantitatis; ergo, quemadmodum illa impenetrabilitas partium potest tolli & poni penetrabilitas, ita fiet in corporibus : totum si quidem nihil est aliud praeter partes. Potest igitur Deus retrahere suum concursum ab actuali profusione actualis impenetrabilitatis quantitatis, & sic impeditre eius effectum qui est impenetratio.

- M A I O R est difficultas, utrum corpus positum in pluribus locis debeat habere utrobique eadem accidentia: & utrum habeat eadem in uno loco, quibus caret in altero loco. V. g. utrum possit loqui in uno, & tacere in alio : in uno mori, in alio vivere : & similia. Certum 1. eadem posse habere accidentia utrobique. Certum 2. posse hic Tolosæ vivere, Romæ mori, &c. quia anima nostra vivit in corde, & extinguitur in manu arida, sine sui detrimento.

## Q VÆ S T I O I V.

*An detur vacuum, an possit induci vi creatu: & an in illo fiat motus localis in instanti.*

V T sensus questionis aperiatur, obserua 1. Duo-  
bus modis sumi posse vacuum 1. pro negatione  
omnis corporis, quo significatu , inane potius quam  
vacuum dici debet ; atque eo sensu, dari vacuum ex-  
tra Cœlos, & antequam mundus fieret extitisse, indu-  
bitatum est. 2. sumitur priuatiuè pro intervallo quod  
est inter latera corporis ambiētis non pleni, aptum ta-  
men repleri, vt si concipiatur vas aliquod iuane nullū  
corpus nequidem ipsum aërem continens, aptum ta-  
men continere : atque secundo isto modo sumptum

vacuum dici potest superficies non plena, apta tamen repleri: de quo solet quæri an detur actu in rerum naturâ: an possit dari vî diuinâ, angelicâ, aut humanâ, & an motus localis possit in illo fieri in instanti.

Q VI asserunt dari posse naturali via, id comprobant quibusdam experimentis. Primum est, si dentur folles vndique complicati, quorum ortifício vasi perfectè clauso immittatur, ita ut nullo modo possit aëris illud ingredi, & tamen latera follium explicentur, dabitur sane vaccuum inter latera follium cùm eorū concavitates nullo corpore repleantur. Sed contrà, quia potius frangi oportet folles, quam explicari valeant. Secunda experientia, sit vas aliquod plenum aquâ, & perfectè occludatur, ita ut aëris neque attingendi: congeletur interim aqua donec per condensationem sui, occupet tantum medietatem insimam vasis: sequitur necessariò, medietatem superiorem esse vacuam, ut patet: sed contrà, nám quâ proportione congelatur aqua, partim in vapores quosdam resoluitur aqua quibus repletur altera medietas vasis, ad vitandum vacuum. 3. experientia est, dentur duo corpora perfectè plana, neque poterunt in instanti fieri contigua, secundum vtramque superficiem planam, nisi totus aëris intermedius recedat in instanti, à centro harū superficerum ad extremitates; neque diuelli in instanti, nisi iterum in instanti redeat aëris ab extremitibus horum corporum ad centrum usque: cùm tamen hæc contiguitas, eiusque desitio debeat in instanti fieri, si contiguitas fiat in instanti secundum omnes partes plani: atqui sit in instanti; ergo, & motus localis aëris ingredientis, & subeuntis sit in instanti, quod repugnat. Resp. neque illa duo corpora plana contigua fieri in instanti, neque diuelli in instanti, secundum omnes sui partes, sed secundum partes priores & posteriores, ad vitandum vacuum.

DICENDVM est r. nullum dari vacuum in rerum natura, quinimò naturam aborrere à vacuo. Si enim iam daretur vacuum actu, vel illud esset intra cœlos, vel inter elementa, vel inter ipsa mixta: non autem

inter ipsos cœlos, quia cœli sunt maximè contigui: neque inter ipsa elementa propter eamdem rationem, quō enim modo se habent Cœli inter se, ita elementa inter se; ergo, quemadmodum Cœli sunt contigui, ita & elementa. Deinde mixta sunt eo modo disposita, vt licet contigua non sint, mediat tamen aliquod corpus, vt aér, aut aqua: & præterea ambiuntur aliquâ superficie: & nullum est spatiū intra Coeli ambitum quod aliquo corpore non sit occupatum ergo, nullum datur actu vacuum in rerum naturâ. An possit dari aliqua virtute videamus.

**DICENDVM 2.** nec vi Angelica, nec vi humana posse induci vacuum. Probatur, nam ponere vacuum in rerum naturâ, est immutare ordinem vniuersi, & quasi rerum mutare essentias, quia rerum essentiæ petunt ut sint contiguæ: atqui, rerum essentiæ nequidem diuinatus possunt immutari, neque ordo vniuersi vlo modo inuerti nisi ab autore naturæ qui illum statuit: & cuius est statuere, eiusdem est inuertere; ergo, nulla vi creata potest induci vacuum, nec proindè ab Angelo, aut ab homine.

**DICENDVM** est igitur 3. à solo Deo posse vacuum induci. Quemadmodum enim potuit elementa, & reliqua corpora intermedia creare, ita posset eadem in nihilum redigere: si quidem, cuius est creare eiusdem est anihilare. Supponamus ergo, Deum elementa dissoluere, conseruare cœlos ambientes; tunc sine dubio daretur vacuum per totum illud spatiū ubi iam existunt elementa, cum vacuum nihil sit aliud, quam superficies non plena apta tamen repleri: si autem Deus, non tantum elementa, sed etiam cœlos & reliqua corpora sublunaria in nihilū redigeret, spatiū illud quod supereret, non propriè diceretur vacuum, sed inanē, ut dictum fuit suprà. Posito autem vacuo, quæri solet, an in illo fieri posset motus localis, & an fieret in tempore, vel in instanti. Ut id capias aduerte, successionem motus, vel quodd motus localis fiat in tempore, per prius, vel per posterius prouenire ex triplici capite. 1. ex ipsa quantitate corporis

quod monetur: cum enim illa habeat partes quarum vna sit prior alia, in successione spatij percurrendi, oportet ut prior prius transeat per primam partem spatij, quam secunda: 2. ex spatij ipsius extensione. Hinc enim fit, ut prius debeat percurri partes priores, quam posteriores. 3. ex resistentia medijs per quod debet corpus moueri. Hinc enim accidit ut quod solidius est medium, eò tardior est motus, velocior vero quod medium est rarius, ijs positis.

**DICENDVM**, in vacuo posse fieri motum localem non quidem in instanti, sed in tempore; ita ut repugnet fieri in instanti 1. pars probatur, nam posita causa in actu primo, transire potest ad actum secundum, dummodo non sit impedimentum: ergo, posito corpore graui in vacuo poterit tendere deorsum, quia erit in actu potens per gravitatem ad talem motum. Eset tamen ille motus perpetuus deorsum, quia nullibi esset centrum, si omnia quae sunt, essent anihilata, vbinam enim esset illud centrum? Secunda pars liquet, nam motus sibi essentiali habet successionem: ergo, nequit fieri nisi per tempus. Stat, antecedens, nam sit lapis in concauo lunæ, & volvatur deorsum; vel sit ignis in centro terræ & ascendat sursum, quantacumque ascendat velocitate, & lapis ille quantacumque ad terram celeritate descendat prius debet percurrere partes medijs sibi proximiores, quam accedat ad remotores: ergo, per prius, & posterius fiet ille motus. Posset quidem lapis descendere infinitè velociter: & ignis ascendere infinitè velociter, sed numquam in instanti quia repugnat ex parte medijs quod debet percurri.



# DISPV TATIO N O N A.

---

*DE TEMPORE, ET MOTU.*



OMPOSITVM physicum in loco sibi connaturali constituimus, postulat res, vt, an in illo diu sit permansurum: &, an illuc sit motu, aut aliō quoquis modō intrusum, perscrutemur. Occurrit inuestigandum 1. quid & quotuplex sit tempus. 2. quomodo differat ab æternitate, & ab æuo. 3. quomodo differat à motu: quid & quotuplex sit motus; & qui sint termini motus. 4. an motus ab actione, passione, subiecto & termino differat: & can sit primus motor, vt indè ad productionem mundi progrediamur. Quod spectat ad primum, sit.

---

## QVÆSTIO I.

*Quid, & quotuplex sit tempus, & an sit ens reale.*

**T**E M P O R E nihil certius, nihil incertius. *Tempus metior,* inquit D. August. lib. 12. de ciuitate Dei, *sed non metior futurū quia nondum est: non metior praesens, quia nullo spatio tenditur, non metior preteritū, quia iam non est: quid ergo metior?* Nihil videtur esse

tempus, & tempus omnia est : vnde aliqui nihil esse, alij verò aliquid esse: & alij omnia esse, pronunciarunt: & quidem rectè utriusque. Tempus nihil est, quia nihil eius existit: tempus aliquid est, quia perpetuo existit: & omnia tempus est, quia quæcumque sunt, in tempore sunt, & quæcumque in tempore sunt, idem cum tempore sunt, quia tempus duratio rei est, & duratio est idem cum re quæ dicitur durare. Illud nihil est cuius pars nulla est , temporis autem nulla pars existit, præteritum enim non est , sed fuit, futurum non est , sed erit : præsens non est aliud quam nunc indivisible , quod nequit esse pars temporis, cuius est esse divisibile , & divisibile nequit fieri ex indivisibili: ergo , si quis ex me querat quid sit tempus, scio : si quærenti, explicare velim, nescio. Sed age, tempus urget, ars longua, vita breuis: quid sit tempus, videamus.

ILYD definit Aristoteles, *numerum motus secundum prius & posterius*, numerus triplex est , unus quo numeramus, vt binarius, ternarius : alius , qui est res numerata, vt duo nummi, vel quinque digitii: tertius, qui numerat , & hunc aiunt esse intellectum numerantem. Prior est abstractus à rebus, vt patet: secundus est coniunctus cum rebus: tertius verò utrumque componit. Fit enim intellectione nostra, vt ex quinque digitis resultet numerus quinarius; sex decem denarius ; & sic de cæteris. Nam decem homines non faciunt formalem numerum denarium, sed materialem tantum , quatenus sunt materia ex quâ sit numerus. Tempus est igitur numerus motus, quatenus partes motus , sunt priores , & posteriores , ex quâ prioritate & posterioritate resultat numerus: vel potius , tempus est numerus motus, seu vt vult alia expositio est mensura motus . quatenus per tempus dignoscitur quanta fuerit duratio motus. Nam vel durauit per horam , vel per diem , vel per annum. Sed vt id capias, aduertendum prius, quid & quotuplex sit mensura : quid & quotuplex sit numerus: quid & quotuplex sit tempus. Durplex est mensura: actiua,

scilicet & passiua. Actiua est quâ vtimur ad aliud metiendum, vt vlna quæ assumitur ad metiendas merces: passiua est res quæ mensuratur, vt ipsæ merces. Vtraque subdividitur in formalem & materialem: materialis passiua, est illa res quæ mensuratur; formalis vero est relatio æqualitatis vel inæqualitatis illius cum mensura actiua: actiua materialis est vlna, formalis vero, relatio æqualitatis, vel inæqualitatis sui cum re mensurata. Mensura igitur actiua materialis in nostro proposito, sunt partes motus primi Mobilis perpetuò fluentes, & sibi mutuò succedentes: formalis vero æqualitas, aut inæqualitas durationis partium illatum, cum duratione motuum inferiorum. Passiua materialis, sunt partes motuum inferiorum sibi inuicem succedentes: formalis vero, relatio æqualitatis, aut inæqualitatis durationis harum partium, cum duratione partium motus primi Mobilis. Intellectus autem noster mensura actiua applicatiua dicitur, quantum partem aliquam motus primi Mobilis assumit instar vlnæ, quâ durationem motuum inferiorum metitur. Cum enim motus primi Mobilis ab oriente ad occasum, & deinde ab occasu in ortum duret per spatium viginti quatuor horarum, vt deprehenditur ex motu Solis, & videamus motus rerum sublunariorum apud nos fieri inæquali duratione, potest intellectus noster assumere partem aliquam durationis motus primi Mobilis, horam V. g. aut quadrantem instar vlnæ, vt mutuâ applicatione illius, cum motu inferiori, intelligat, num motus inferior, nempe calefaction, deambulatio, aut quævis alia operatio nostra, per horam, aut per quadrantem durauerit: eò ferè modo, quo mercator: vlnam ad pannum applicat, vt inde certò sciat quantæ sit magnitudinis. Tempus igitur est mensura actiua motus secundum partes sui priores, & posteriores, partibus prioribus & posterioribus motus correspondentes. Sed aduerte, tempus esse duplex, nempe intrinsecum, & extrinsecum. Intrinsecum est ipsa duratio motus inferioris, deambulationis, calefactionis & similiū qui fiunt apud



nos: extrinsecum verò , duratio motus primi Mobilis cuius partes assumuntur tanquam horæ & quadrantes, ad metiendum motus hos nostros. Vnde fit, vt tempus extrinsecum sit vnicum : tempus verò intrinsecum sit toruplex , quotuplex est motus inferior ; aliud enim est tempus intrinsecum calefactionis, aliud deambulationis; aliud scriptionis, aliud loquutionis, & sic de cæteris.

T R I A autem reperiuntur in tempore extrinseco, primum est, quod sit duratio successiva , & continua partium fluentium motus primi Mobilis in viginti quatuor horas distributi. Cum enim motus habeat partes priores & posteriores in perpetuò fluxu existentes, non potest eas simul obtinere : quoniam ea quæ simul existunt, non sunt per prius & posterius : motus autem est huiusmodi , & consequenter tempus : vt componatur ex partibus sibi mutuo succendentibus, quarum vna postulat post aliam existere; habet ergo, motus successivus partes suas , cùm aliqua duratione successiva : hæc autem duratio partium succendentium & fluentium motus primi Mobilis dicitur quidem tempus intrinsecum motus illius Cœli : sed extrinsecum respectu aliorum motuum qui fiunt apud nos. Secunda proprietas huius temporis est , vt sit aptum assumi ab intellectu nostro per modum vlnæ, seu mensuræ, quatenus intellectus noster, assumptâ aliquâ illius parte determinatâ, magnitudinem , extensionem & durationem motuum rerum sublunarium agnoscit: eo ferè modo , quo assumptâ vlnâ , aperte dignoscimus, quantæ sit magnitudinis aliquod corpus. Huiusmodi autem partes temporis extrinseci assumptæ ab intellectu, sunt quadrantes, horæ, aut quid simile: omnis enim motus qui fit in ijs inferioribus , vel durat per quadrantem , vel per horam , vel per quid simile. Tertia proprietas est , vt possit actu accipi ab intellectu ad metiendum actu durationem motuum sublunarium. Tria similiter reperiuntur in tempore intrinseco 1. quod sit discretio successiva & continua partiū motus cuius est duratio. 2. quod sit mensura intrin-

seca passiua partium motus cuius est successio continua non quidem mensura passiua, Quia, sed mensura, Quia, hoc est, non id quod mensuratur, sed id quo aliud mensuratur. Motus enim mensuratur mediante eius duratione, quæ est tempus intrinsecum. 3. quod actu ab intellectu metiente assumatur tanquam id quō medio, extensio motus deprehenditur. Quæres quænā sit mensura motus primi Mobilis, cūm huius sit alios omnes metiri. Respondeo, motum primi Mobilis, ab ortu in occasum, & ab occasu in ortum: nullo tempore reali mensurari (vt à mensurâ actiua) sed ab imaginario illi æqualiter correspondentem quoad durationem: mensurari verò tempore sibi intrinseco, vt mensurâ passiua, Quâ, & applicatiuè ab intellectu nostro; quatenus mens nostra potest asserere durationem motus primi Mobilis, fuisse viginti quatuor horarum. Nec intelligendum est, tempus in genere dici discretionem successiū partium motus, discretionē separationis partium; qualis est in numero rerum discretarum; sed discretionē successionis, quæ sita est in eo quod vna pars fluens, non sit alia fluenter subsequens, sed secundum se discreta sit ab ea: licet ambæ communī vinculo conantur. Solemus enim numerare, non solum res actu discretas, & diuisas; sed etiam actu vntas, vt sunt partes continui; quô sensu dictum fuit suprà, in continuo esse actu partes numero infinitas, mutuò vntas. Sed an vtrumque tempus sit ens reale, videamus.

NEGANT aliqui hac ratione, illud totum non est reale, cuius partes non sunt reales: sed partes temporis non sunt reales; ergo, neque tempus reale est. Maior est certa, quia totum est idem cum suis partibus vnitatis: minor verò probatur, nam partes temporis sunt præteritum, præsens, & futurum; atqui præteritum amplius non est, futurum nondum est; & præsens nihil est præter instans, quo nihil temporis est, quia tempus essentialiter est diuisibile instans verò, indiuisibile: ergo, sanè tempus nihil reale est.

Sed contrâ , nam partes temporis sunt præteritum; præsens, & futurum, præteritum autem non est quidé sed fuit ; futurum nondum est , sed venturum est ; & præsens, solum instans non est, sed aliquid diuisibile fluens, vt hora, dies, mensis, annus : atqui, annus, mensis, hora , & quod extitit , aut quod futurum est quid reale est; ergo, tempus reale est, quare.

DICENDVM , vtrumque tempus esse reale. De extrinseco patet , nam , illud est duratio motus primi Mobilis : illa autem duratio est realis , quia realiter durat motus Cœli, ab oriente in occasum, & ab occasu in orientem: ergo, tempus extrinsecum est reale. De intrinseco rerum naturalium liquet, nam res ipsæ earumque motus realiter durant, & suâ perfruntur existentia: atqui, duratio rerum sublunarium in suâ propriâ existentia est tempus illis intrinsecum: ergo, illud tempus reale est. Deindè, fecit Deus duo luminaria, vnum vt præcesset diei , alterum vt præcesset nocti : & vt essent in signa, & tempora : atqui , non fecit Deus hæc duo luminaria vt efficerent ens rationis , sed ens reale: ergo, dies, noctes, & consequenter tempora, sunt entia realia. At, an tempus differat ab ævo, ab æternitate & à motu perscrutemur.

### QVÆSTIO III.

*An tempus differat ab ævo, ab æternitate  
& à motu.*

**S**VPPONIT titulus quæstionis triplicem esse durationem rerū, pro triplici earū differentia. Per æternitatem mensuratur esse diuinum, ad quam reducitur æternitas participata si vlla possit dari , cuiusmodi esset duratio creaturæ quæ ab æterno esset à Deo creata. Per æuum mensuratur esse Angelicum, & substantiarum incorruptibilium, vt sunt animæ rationales, & materia prima, quæ licet radix sit corruptionis,

est tamen prorsus incorruptibilis in se : & per tempus  
mensurantur res omnes corruptibles, & generabiles.  
Vnde, tempus conuenit corruptibilibus: æcum incor-  
ruptilibus; æternitas vero soli Deo. Est enim æter-  
nitas duratio carens initio & fine, vti Deus: æcum ini-  
tium habet, non finem, vti Angeli, animæ rationales,  
& materia prima : at tempus initium habet & finem,  
vti res omnes quæ oriuntur, & pereunt ; genera-  
tur & corrumpuntur. Quare, recte fit similis æter-  
nitas, lineæ utrobique illimitata: æcum, lineæ illimi-  
tata ex una parte, limitata vero versus aliam: at tem-  
pus, lineæ utrobique finita. Differunt autem illæ du-  
rationes inter se , quod æternitas nullam admittat  
successionem : tempus vero includat successionem &  
insuper addat innovationem & venerationem sui , &  
rei cuius est duratio : æcum denique, licet admittat  
successionem prioris & posterioris, non tamen inno-  
vationem aut venerationem sui esse. Vel potius dicen-  
dum , æcum nullam includere successionem , sed à  
parte post imitari æternitatem , est enim esse Angeli  
totum simul, carens omni successione ; ergo, & eius  
duratio erit tota simul ; debet enim duratio rei pro-  
portionari ipsi rei quæ durat: maximè cum tota suc-  
cessio temporis proueniat ex successione motus , aut  
rei quæ est in perpetuò motu generationis , corru-  
ptionis, accretionis, diminutionis, & alterationis : &  
res quæ æquo mensurantur , careat omni mutatione  
quoad esse. Vnde , hæ tres durationes essentialiter  
differunt in eo, quod æternitas est duratio rei omnino  
immutabilis tam secundum esse, quam secundum ac-  
cidentia: æcum, duratio rei immutabilis secundum  
substantiam , & mutabilis , secundum accidentia:  
tempus vero , duratio rei mutabilis tam secundum  
substantiam, quam secundum accidentia, quoad exi-  
stentiam,

A τ , quomodo differat tempus à motu, id nobis  
ex officio incumbit examinandum. Scribunt Com-  
plutenses disp. 21. de tempore q. 3. §. 2. tempus  
distingui actu, & ante omnem mentis operationem à

motu. Probant autem ratione omnino falsa, est enim huiusmodi sit aliquod mobile quod per horam conficiat totam leucam ; sit & aliud quod per eamdem horam motu duplo velociori conficiat duas leucas : ibi erit eadem duratio, & consequenter idem tempus, & tamen diuersi, & inaequales erunt motus : ergo, si tempus sit idem cum motu, idem tempus erit longius & brevius, sibi æquale, & inæquale, quod repugnat. Sed contra, nam in tali suppositione sunt duo mous, & duo tempora; & quo modo se habent motus ita, & tempora; ergo, quemadmodum motus vnius leucæ est duplo tardior altero : ita ratione motus, iſſud tempus erit quidem tardius, sed ratione sui erit alteri æquale: quia utrobique est vnius horæ duratio. Scribunt ijde §. 3. non solum durationem motus distingui realiter à motu, sed etiam quācumque aliam durationem creatam à re quæ dicitur durare. Probant hoc modò, prius est rem existere, quām durare ; ergo, duratio se habet ut accidens respectu rei iam existentijs, & sic ab illa realiter differt. Probant antecedens, quia existentia est magis intrinseca rei, quām duratio. Deinde quidquid aduenit enti in actu perfecto, aduenit illi accidentaliter, & sic est illius accidens superadditum. Sed contra, nam duratio rei nihil est aliud quām perseverantia existentiae, seu ipsa existentia continuata; sed continuatio existentiae, seu ipsa existentia continuata, non differt ab ipsa re nisi connotatiuè, nec eius continuatio est illi accidens physicum superadditum; ergo, non differt realiter duratio à re quæ dicitur durare. Id patet, nam aeternitas non differt à re aeterna, nec æuum à re æuiterna; ergo, neque tempus, à re temporanea, Quare.

D I C E N D U M est, tempus non differre plusquam ratione à motu. Non procedit quæſtio de tempore extrinſeo, sed de intrinſeo tantum : ſcimus enim durationem motus primi Mobilis, differre quidem à ſingulis motibus ſublunaribus, ſed negamus durationem motuum rerum ſublunarium, distingui plusquam ratione à proprio motu. Ratio dictat nam tempus intrinſecum

trinsecum est duratio successiva partium motus: at qui duratio rei nihil est aliud quam ipsa res quæ durat prout durat cum nihil sit aliud præter continuationem illius existentiæ, ergo tempus non differt plusquam ratione à proprio motu, cuius dicitur duratio. Sed hæc de distinctione temporis à motu, quid sit motus aperiatur.

---

### Q V Æ S T I O III.

*De motu, an sit, quid sit, Unde species sumat,  
& quomodo distinguatur ab actione passione,  
subiecto, & termino.*

PLAVRA nobis occurunt in hac quæstione examinanda, subtilia quidem & utilia: sed tamen alibi fuisus agitanda. Quid scilicet sit motus, quotuplex sit & cætera quæ in titulo prænotantur. Quoad primum, docet Aristoteles, *motum esse actum entis in potentia, prout in potentia;* hanc definitionem admittit Ruuius tract. de motu q. i. & Complutenses disp. 16. de motu, q. i. §. 2. at mihi non placet eorum explicatio. Aiunt enim eodem §. rem aliquam spectari posse in triplici statu; nempe aliquando in actu, aliquando in potentia, aliquando partim in potentia & partim in actu. Quando est in potentia nondum mouetur, quando est in actu perfecto, iam non mouetur, sed mota est: tunc igitur mouetur quando medio modo se habet, inter potentiam, & actum; quando nimis rùm partim est in actu, partim est in potentia. Hoc sensu, motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia ad ulteriorem actum, quia ita afficit materiam, ut illam actuere, & tamen relinquat illam aptam ad ulteriorem actum recipiendum. Eodem modo explicat Ruuius. Sed desunt quædam verba, quæ salvo meliori iudicio, melius aperiunt Philosophi mentem.

Hęc sunt huiusmodi. Motus est actus entis in potentia, prout in potentia recipiendi terminum producendum per illum motum. Ratio dictat, nam calefactio est motus afficiens subiectum, & ordinans illud ad calorem producendum, per calefactionem: pariter, generatio est motus ira afficiens materiam, ut illam relinquat aptam ad formam recipiendam productam per ipsam. Atque ex ijs colligitur, definitionem traditam ab Aristotele de motu vniuersitate conuenire motibus instantaneis, & successiuis, quia concipimus generationem aequē præcedere formam in materia, ac alteratio præcedit qualitatem: in quā prioritate, essentialiter dici potest actus entis in potentia prout adhuc est in potentia ad ulteriorem actum producendum tali motu. Nec refert quod Complutenses docent §. 2. q. 2. disp. 16. de motu. Intellectiones, volitiones & sensationes non comprehendunt sub hac definitione, quia licet Aristoteles hoc loco agat de solo motu Physico, quo sit compositum Physicum: voluit tamen virtualiter comprehendere omne aliud genus motus; siquidem omnis motus, est via & tendentia ad terminum in subiecto; ergo, concipitur esse in subiecto prior ipso termino; & sic in illo priori dici potest actus entis in potentia, prout in potentia ad terminum producendum tali motu. Atque, hoc sensu certissimum esse.


**Q**uo d spectat ad specificationem motus, docent aliqui illam sumi à termino à quo, & à termino ad quem: sed & iij diuisi sunt; alij dicunt terminum à quo procedit motus in materia, ad formam, aut qualitatem, esse præcedentem qualitatem: aut præcedentem formam: alij vero opponunt id non posse dici, eo quod sit per accidens ad generationem, aut ad alterationem, ut præcedat forma, aut qualitas aliqua expellanda; sed sufficiat priuatio illarum: & hæc sententia certior. Ijs positis scribit Ruinus, & sequuntur Complutenses disp. 23. de unitate motus, q. 1. §. 1. unitatem specificam motus sumi à termino ad quem tendit; & illis hac ex parte damus libenter manus omnes enim

calcificationes sunt eiusdem speciei licet una procedat, ab humiditate; altera a siccitate: generatio pariter formæ ignis & specificæ differt, à generatione formæ aquæ, licet utraque procedat ab eodem termino: ut si ex aëre fieret immediate ignis, & aquæ, quod est possibile: ergo non sumunt suam specificationem à termino, à quo. Deinde, forma præcedens se habet per accidens ad motum, ergo sufficit sola priuatio: at qui priuatio est ens negativum, & totum suum esse accipit à formâ cuius est priuatio, ut dictum fuit suprà, & negativum nequit dare speciem positivo; ergo, motus omnis, & omnis actio sumit suam specificationem, à termino ad quem tendit.

Qyod attinet ad distinctionem motus ab actione & passione certum est fieri per mentem. Eadem enim entitas propter egreditur ab agente dicitur actio: propter recipitur in paciente, dicitur passio; propter verò est transitus à priuatione ad formam in materia, dicitur, motus. Differt autem motus à subiecto, & termino ad quem tendit realiter: sola ratione verò, à termino, à quo. Hoc posterior pars liquet, nam terminus à quo est priuatio, & nulla priuatio potest plusquam ratione distinguiri ab alio reali, vel à negativo: altera verò pars per se est evidens, nam subiectum in quo motus recipitur, est materia prima; terminus verò ad quem tendit est forma, vel qualitas: arqui materia, forma, & omnes qualitates different realiter à motu, ergo &c. Plura de ijs, in libris de ortu & interitu. Supereft examinandum utrum detur aliquis primus motor qui manens immobilis, tamen cetera omnia moueat. Certeſſimum est ex Aristotele lib. 8. Phy. text. 28. & communiter id docent Philosophi Ethnici dari unicum primum. Motorem omnino immobilem qui cetera moueat à non essendo ad esse, à non operando ad operandum, & qui situm p̄ebeat influxum singulis causis secundis. Probat Aristoteles, hoc modo necesse est ( inquit ) ut quod mouetur, ab alio mouatur, sed in causis essentialiter subordinatis nō potest dari progressus in infinitū: ergo, deueniendū est ad aliquam,

quæ ita moueat, ut ipsa sit in se prorsus immobilis. Eodem cap. textu 36. ita habet. Id quod mouet instrumentaliter, non potest mouere nisi sit aliquid quod moueat principaliter: atqui, creaturæ omnes sunt quasi instrumenta respectu causæ vniuersalis, ergo, illa debet vna esse, & necessariò esse, alioquin nulla esset operatio. Cōfirmatur, nam causæ essentialiter subordinatæ ita se habent, ut earum influxus originem habeant ab aliqua causa superiori subalternante sibi cæteras omnes inferiores: demonstrauimus autem supra, disp. de causa efficiente, causas omnes secundas quantumuis virtutem habeant producendi suos effectus, non posse tamen operari, nisi concurrente causa prima, cui essentialiter subordinantur, ergo, illa prima causa, seu primus auctor est admittēdus.

Quod autem sit vnicus ostendo, nam talis naturæ debet esse ut infinitam habeat virtutem quâ possit producere quidquid producibile est. Omnis enim causa debet continere perfectiones suorum effectuum formaliter vel eminenter, quia quod mouet aliud, ad aliquam perfectionem, prius habeat illam perfectionem in se opportet: quomodo enim posset illam communicare nisi prius eam habuerit: ergo illa prima causa debet esse vntica, quod probo, nam si esset multiplex, quælibet harum haberet vim producendi quidquid producibile est: ergo, quælibet earum posset obtainere suum effectum. Supponamus igitur alteram illarum producere quidquid potest, quid supererit alteri producendum? sane nihil, & sic nihil habet virtutis, ut se immotâ cætera omnia moueat, ac proinde vntica est prima causa, vnicus primus motor, vnicus Deus è quo omnia fluant, vntica causa à qua precesserit hic Mundus. At, quid sit Mundus: & quæ sint cætera quæ à Deo mouentur, aut mota sunt de non esse ad esse & ad cæteras perfectiones orbis, videamus.



# DISPVVTATIO PRIMA:

---

*DE MVNDO, ET COELO.*



XPOSITIS ijs quæ ad naturam in genere spectant postulat res, ut ad eamdem in specie descendamus. Est autem natura in specie, corpus naturale simplex & mixtum. Simplex quidem ut Cœlum & elementum: mixtum verò ut cætera corpora sublunaria, animata vel vitæ expertia: ex ijs enim simul sumptis & debito ordine compactis resultat vniuersum, seu mundus, qui congeries dicitur; seu cumulus rerum omnium naturalium.

A g r i t tamen Aristoteles ijs libris, de Mundo quidem, sed potissimum de supra illius parte, Cœlo. Deinde alijs libris elementa aggreditur: tūm mixtorum generationem, an fiat ex elementis inquirit, tūm verò ad ipsam animam, eiusque proprietates, & affectus sermonem inflebit.

N o s , illius vestigis insistentes, hac disputatione quid & quotuplex sit Mundus, an sit aut potuerit esse ab æterno, sit nè perfectus in suo genere inuestigabi-

310 PHYSICA TOLOSANA,  
mus: deinde vero ad Cælum ipsum volatus nostros  
attollemus & quanta fieri poterit breuitate ac facilitate,  
illius secreta aperiemus. Sit igitur.

---

# OITQVÆSTIQL

*Quid & quoniam sit Mundus.*

**M**VNDVM esse congeriem seu cumulum rerum omnium naturalium, certo ordine, pondere & mensura digestarum, satis colligitur ex eius definitione, quæ sic habet. *Mundus est compago ex Cælo, elementis, & ijs quæ in illis continentur naturis, cōpacta.*

AN verò sit unus vel multiplex actu, hoc in lice est. Infinitos posuit Anaxarehus, hoc nostro pulchiores, quém cùm Alexander Macedo de mundorum infinitate differentem audiuisset, illactrumasse fertur: quod putaret se lachrimis dignum, mundum unicum nondum subegisse cùm adhuc infiniti superessent illi destinandi. Alij plures quidem, sed finitos posuere, inter quos Demotritus qui sibi in mente induxerat, quemdam esse actu orbem cui neque Sol, neque Luna, neque ullæ inessent Stellaræ aut Cœli, sed sola elementa proprijs finibus vallata, ex quibus mixta procederent incorrupta: quod putaret corruptionem omnem, ex influentijs procedere syderum: quemdam verò alium cuius sydera longè lucidiora essent, ijs quæ in hoc nostro mitant, purioraque elementa, atque longè præstantiora mixta. Alij verò imaginati sunt quosdam, esse alios mundos ab hoc nostro diuersos, in quorum alijs diuersæ specie essent Cœli, elementa, & mixta: in alijs verò, vel nulla esse animalia, vel longè perfectiora aut imperfectiora ijs quæ in hoc nostro existunt, putauerunt sed hæc fabulosa.

DICENDVM est igitur, cum melioris notæ Philosophis, unicum tantum esse mundum actu, plures verò

potentia. Primum docet Aristoteles ratione, utrumque verò fides. Ratio Aristotelis desumitur ex naturâ & motu rerum tūm sublunarium, tūm cœlestium. Cœli namque & clementa ac mixta suos habent proprios fines ex quibus discedere non patitur natura; ergo, præter motum à centro, ad centrum & circa centrum nullus datur alias: ergo, neque ullum corpus præter leuè, grauè, & ijs qualitatibus destitutum nempè cœlum.

ARISTOTELI arridet Plato, ac probat, tūm ex unitate principij effectui, tūm ex unitate exemplaris seu idæ iuxta quā principium illud operatur. Cum enim unicus sit primus motor, ipseque sit sibi ipsi exemplar rerum construendarum, unicum sit eius universum opus oportet. Istud autem opus ideo universum dicitur, quod omnia vertat in unum: universum enim, & universens idem sonant, siue vertat omnia in se, siue in primum principium à quo traxit originem, & ad quod tandem suos deducit motus.

NULLA autem ratione conuinci potest dari unicam eæ duntaxat, sed suaderi tantum. Creatio enim unius mundi, aut plurium, est opus liberum Dei: ergo, quod unus, vel multiplex sit conditus, ex sola eius voluntate libera dependet: atqui nulla ratione naturali nobis innotescit quinam sint effectus liberi Dei, sed sola fide id scitur: ergo, sola fide nobis notum est dari actu unicum orbem. Et sanè, si vlla sit ratio quæ suadeat, maximè unitas ordinis rerum quæ in illo insunt, (quod nempè idem sit omnium centrum eadem circumferentia, & idem omnium confluxus, ad sui ipsius conservationem: vel unitas aggregationis eorumdem.) Ex Cœlis enim, & elementis, ac mixtis unum quid sit per aggregationem. Videmus enim lumine naturali dari primum Mobile, septem Orbem planetarum, quatuor elementa, & pendere innumeram mixtam: præterea nihil aliud (nisi spatia imaginaria) & ex ijs simul sumptis resultare unicum orbem: ergo lumine naturali deprehendimus esse unicum orbem actu.

**S**ED fide id constans est & indubitatum; loquitur enim sacra scriptura semper in numero singulari. Ioā. 1. Mundus per ipsum factus est, & Math. vlt. euntes in Mundum vniuersum prædicatè Euangelium omni creaturæ. Sed præcipue Genes. 1. vedit Deus cunctæ quæ fecerat & erant valde bona, & statim subdit, celsauit Deus ab vniuerso opere quod patratarat; vniuersum autem opus Dei, nihil aliud est præter ea quæ Deus complexus est sex diebus, nempè Cœlos, elementa, & ea quæ in illis continentur, mixta.

**S**E C V N D A pars conclusionis de plurium orbium possibilitate suis non caret euersoribus. Aiunt enim, Deus agit non liberè, sed necessariò: ergo, quidquid potuit producere, iam actu produxit. Probant antecedēs, Deus est immutabilis; ergo, modo nō operatur, & modo operatur; ergo, semel operatus est quod potuit operari. **Hoc** posito, stat sequela. Sed cōtra, Deus agit necessariò ad intrà, concedo; ad extra, nego. Atqui si modo operaretur, modo non operaretur esset mutabilis in termino, concedo: in se, nego. Sed hæc ad Theologos. Vrgent, creata est omnis materia possibilis: ergo, & omnis possibilis mundus. Probant antecedens. Causa necessariò agens, quantum potest operatur dummodo omnia quæ potest eque distent, & nullum sit impedimentum respectu ullius: atqui, omnes materiae possibles æque distabant à Deo, & nullum erat impedimentum, ergo. Sed contrà, quia Deus non est causa necessaria, sed libera ut dixi suprà. Quare, **tandiu erit materia creabilis, quandiu erit nihilum ex quo fit, & tandem nihilum, quandiu virtus creativa in Deo: est autem nihilum, non esse rei possibilis: possibilis verò rei, non repugnantia eius ad existendum: non video autem quænam sit repugnantia ad alterius materiae productionem.**

**H**ANC sententiam de possibilitate plurium orbium sequuntur omnes Theologi, potissimum D. Th. in 1. dist. 44.q.1.art. 2. D. Bonavent. q. 1. & alij quos prætero, ut agamus ratione, quæ est huiusmodi, id non repugnat ex parte Dei, neque ex parte rei creandæ

ergo fieri potest. Antecedens patet, nam Deus potest quidquid non implicat, & plures mundi non implicat quod probo. Diuinæ omnipotentiaæ quæ infinita est, correspondet obiectum infinitum cùm obiectum sit mensura potentiaæ , & æque latè pateat ac potentia : atqui hic mundus non est infinitus , neque specie , neque numero , neque magnitudine , ergo dari, potest alius & alius in infinitum. Sequela patet, nam datis quibuscumque creaturis dari possunt aliæ & aliæ , tūm diuersæ speciei , tūm numero , tūm etiam magnitudine prolixiores in infinitum: mundus autem est creatura, seu aggregatio creaturarum ; ergo, dari potest alius & alius in infinitum. Stat sequela, nam productis quibuscumque creaturis, neque diminuitur potentia actiua Dei , neque exhaustitur potentia passiua rerum creabilium, alioquin hāc exhausta, illa esset frustra , aut saltem limitata , cùm tamen nihil sit limitatum in Deo, quia quidquid in Deo est, Deus est, & Deus est simpliciter infinitus ; ergo , fieri potest alius, & alius Mundus in infinitum.

A N vero hi Mundi possibles deberent esse eiusdem vel diuersæ speciei, non est ita certum. Docent alij fore quidem futurum vt mixta essent diuersæ speciei, sed non item cœli & elementa : Alij verò vtrumque asserunt indiscriminatum. Priorum ratio est quia Mundus ( inquiunt ) est compago ex cœlis elementis & mixtis; ergo, Mundi possibles possent quidem alijs mixtis ornari : at non alijs cœlis & alijs elementis, quia cœli & elementa, corpora sunt simplicia, ac prima quæ non sunt ex alijs, sed omnia ex ijs.

SED contrà, quia cœlum & elementum sunt genera ad plures species, ergo, plures species cœlorum & elementorum multiplicari possunt sub genere cœli & elementi. Stat sequela, quia datis quibuscumque eiusdem generis speciebus, dari possunt aliæ & aliæ in infinitum, vt constat de speciebus animalis, quæ singulis momentis multiplicantur in naurâ, & de Angelis qui specie singuli differunt secundum quosdam & possunt tamen in infinitum multiplicari: ergo pos-

sunt alij produci cœli, aliaque fieri elementa specie,  
& numero distincta.

POSTERIORVM ratio nititur hac nostrâ, datis qui-  
buscumque eiusdem generis speciebus dari possunt  
aliæ, & aliæ in infinitum: ergo, datis nouem speciebus  
cœlorum, & quatuor elementorum, dari possunt aliæ  
& aliæ in infinitum: ergo, & alij cœli aliaque elemen-  
ta in infinitum, ergo & alij atque alij mundi quoad  
illa corpora simplicia. Quod etiam & secundum mix-  
ta patet, nam ex diuersis elementis varie ac variè  
temperatis sunt diuersa mixta & ex diuersis cœlo-  
rum influxibus diuersi profluent effectus.

De pluralitate orbium eiusdem speciei, ac ille qui  
modo existit, non est ita laboriosum explicare, pro-  
ductis namque quibuscumque eiusdem speciei indi-  
viduis possunt alia & alia in infinitum produci, ergo  
producto uno Empyreo potest & aliud atque aliud, &  
similiter de alijs cœlis, quorum quodlibet in individuo  
est diuersæ speciei ab alio: producto etiam uno  
elemento ignis, potest & aliud atque aliud & similiter  
de inferioribus, ne mpræ, aëre, aqua, terra: ergo, possunt  
alij cœli, aliaque produci elementa; solo numero dis-  
tincta ab ijs quæ modo existunt, ergo, & plures alij  
Mundi solo numero distincti, ut patet.

Sed forte quæres ubinam essent collocandi quemque  
locum occuparet, cum ille qui modo existit uni-  
versum locum repletat. Resp. in eodem planè spatio  
constituendos fore, in quo hic noster collocatur, ha-  
berent enim eisdem specie cœlos, eademque specie  
elementa, atque eadem specie mixta: & consequenter  
idem centrum: nec propterea existentem Mundum, è  
proprio loco expellerent, sed simul penetratiue po-  
nentur in eodem loco: idque quidem miraculum sup-  
ponit, sed nullam inuoluit repugnantiam. Quod spe-  
ctat ad orbis tūm inter se, tūm ab hoc nostro specie  
diuersos: si gravitas & lœvitatis elementorum earum-  
que parentia in cœlis sit, quid genericum ad cœlos, &  
elementa, & ex ijs peti debeat centrum ac circumfer-  
rentia motuuni; sanè deberent omnes poni penetra-

tive in eodem spatio in quo hic noster: si verò res se-  
cūs habeat, scit Deus quid cuique conueniat rei, iuxta  
cuiusque impetum naturalem: scitque centrum, cir-  
cumferentiam ac situm, omnium quæ eius non fu-  
giunt circumpectionem, nihil enim latet diuinam  
intelligentiam. Nec fortè est, cur etiam grauia & leuia  
hoc spatio iam occupato velimus circumscribi, cùm  
satis sit spatij supra cœlos, quod licet sit imaginarum  
nihil refert, cum constet ante Mundi hujus constitu-  
tionem, hoc extitisse imaginarium spatum, quod ab  
illo occupatur. Sed hæc de Mundi possibilitate, ad  
cius perfectionem progrediamur.

---

## Q V A E S T I O II.

*An Mundus potuerit fieri perfectior quam sit.*

**N**V M vniuersum hoc, sit omnibus suis numeris  
absolutum disceptant authores: licet dicat scrip-  
tura facta Genesis rerum omnium conditorem  
cuncta quæ fecerat vidisse, & tanquam summè bona  
approbasse. Et sanè, maxima esset orbi interrogata ini-  
uria à Deo si quantam potuerit, non contulisset perfe-  
ctionem: possumus cùm præstantissimæ sit causæ  
præstantissimos edere effectus.

Docet tamen Diuus Thomas, parte I. q. 25. art. 6.  
posse quidem vniuersum hoc perfectius euadere se-  
cundum partes integratores: sed non secundum earum  
partium ordinatem: quatenus possunt partes vni-  
uersi nobilitate induere accidentia: at non inuerti or-  
do semel constitutus in illis. Est autem ordo huius-  
modi, ut cœli supremum, elementa vero medium, &  
infimum obtineant locum, cum mixtis in illis exi-  
stentibus: vide, sanè admirabilem resultare harmo-  
niam docuere antiqui, quæ prossus corrumperetur si  
pilis æquo dilatarentur aut comprimerentur, elemen-  
ta mixta, aut cœli: hoc est, si grauia sursum & leuia

deorsum cierentur. Perfectio vero secundum partium accidētia, probatur apud Diuum Thomam, quod cœli lucidores, syderaque clariora possent euadere, necnon & elemēta subtiliora, atque mixta, nobiliora induere accidentium ornamenta, ijs quę modo in illis micant.

**I**N S V R G I T tamen Durādus, cum Argentina & Combricensibus lib. 1. de Cœlo, cap. 9. q. 2. art. 2. Afferunt enim non modo secundum partes sui integrales posse vniuersum magis perfici: verū etiam secundum earum dispositionem. Putant enim, si non peccasset homo non immutatum fuisse, hunc ordinem qui modo inuersus est, propter peccatum. Sed errant, neque enim immutatus est status vniuersi, secundum ordinationem aut situm partium; sed secundum eorum operationes dum taxat: videmus enim cœlos, elementa & mixta easdem habere sedes post peccatum, quas ante, licet non habeant eosdem influxus atque effectus, quos habitura erant, si non peccasset homo. Nec refert quod in perniciem hominis sint immutata quæ in illius fuerant condita obsequium: id enim ad usum rerum spectat, non verò ad earum secundum locum dispositionē, aut situm. Quare.

**D**I CENDVM est, Mundum omnino perfectum esse in suo genere, secundum substantiam, accidentia propria, & rerum quæ in illo in sunt dispositionem & situm: posse verò magis perfici secundum accidentia communia quæ variari possunt, ipsis rerum essentijs immutatis. Ut autem conclusio patet, aduerte, vniuersum orbem, totū quōppiam esse ex cœlis, elementis, & mixtis tanquam ex materiali adunatum: ex eorum verò omnium debitā secundum locum constitutione, tanquam ex formalī. Unde si cœli, elementa & mixta secundum substantiam, & accidentia propria, adeò perfecta sint ut nequeant magis perfici, sanè Mundus summè perfectus est quoad materiale: si verò illorum dispositio conformis sit proprijs naturis ut nequeat variari, nisi varietur eorum essentia, procul dubio summè perfecta erit; Quis autem negauerit dispositionem huiusmodi, naturis rerum omnino

conformem esse , maximè cùm lœvia sursum , grauia deorsum tendant , & quæ neque grauia , neque leuia sunt circa centrum vniuersi voluantur , vt cœli . Quis etiam in dubium reuocarit rerum essentias earumque proprietates summam obtinere perfectionem in suo genere , cùm substantia sit indiuisibili , non suscipiat magis & minus , & instar numerorum neque augeri nec minui possit ; atque suam tribuat proprietatibus æqualitatem . Ergo secundum , materiale & formale summè perfectum est hoc vniuersum .

M A I O R est difficultas de possibilibus diuersæ speciei , sed hæc tollitur si semel attendatur Aristotelis dictum , ut numerorum perfectio , ita & rerum amplitudo essentialis , plures enim orbes eiusdem speciei , & equalis perfectionis sunt ; diuersæ verò inæqualis . Plures namque binarij , ternarij , quaternarij , aut quinarij intra eamdem speciem , inter se quidem non distant : sed multum , binarius à ternario , & ternarius à quaternario , quia unus alterum superat unitate . Similiter , plures Mundi eiusdem speciei , & equalis sunt perfectionis , at non qui sunt diuersæ speciei , sed inæqualis : & ratio est quia plures species idem quidem genus participat , at non eamdem differentiam , sed diuersam , quæ plus minusue participat perfectionis : vt numeri diuersi , & patet in speciebus animaliis : perfectius enim est rationale , irrationali : & inter irrationalia , alia alijs imperfectiora sunt in infinitum ; nec duæ reperiuntur species equalis perfectionis , vt liquet in numeris . Stat igitur veritas nostræ doctrinæ cuius intelligentia vt fiat manifestior eam studiosè attendas velim . Sed videamus nūm Mundus potuerit esse ab æterno .

## QVÆSTIO III.

*An mundum exiiterit ab æterno, aut saliem  
potuerit ab æterno existere.*

**M**VNDVM extitisse ab æterno docuit Aristoteles lib. i. de Cœlo cap. 10. incœpisse verò cùm tempore, nec umquam peritum pronunciauit Plato in Thymeo. Probat Aristoteles, quia Mundus, vel est æternus, vel genitus: non genitus, quia, quod semel genitum est, peritum est, & Mundus peritus non est: ergo, genitus non est: & consequenter æternus est. Stat minor, quia materia ex qua genitus esset Mundus, vel extitisset informis ante Mundi generationem, vel affecta aliquâ formâ; non informis, quia illud implicat; ergo, affecta aliqua forma: ergo, vel totum resultans ex illa, erat pars mundi, vel totum uniuersum: vel aliquid extra uniuersum: non ultimum; ergo primum: ergo, numquam incœpit, sed semper extitit Mundus. Sed contrà, nam Mundus, nec genitus est nec æternus, sed creatus. Nihil enim æternum præter Deum: nihilque genitum nisi ex præexistente materia, & nulla præexistit materia ante mundi constitutio nem. Vrget Aristoteles ex nihilo nihil fit: ergo, Mundus non fuit factus ex nihilo. Respondeo, ex nihilo nihil fit, per generationem, concedo, per creationem, nego. Vrget 2. Philosophus quidquid fit, per motum fit: atqui omnis motus est in materia; ergo, nihil fit nisi in materia. Stat minor, quia motus est actus entis in potentia, prout in potentia: atqui sola materia est ens in potentia: ergo, omnis motus fit in materia, & consequenter quidquid fit, in materia fit, & proindè ex nihilo, nihil fit. Sed contrà, quidquid fit, per motum fit, concedo: omnis motus est in materia, distinguo, omnis motus alterationis, generationis,

corruptionis, nutritionis & augmentationis, concedo: omnis motus creationis, nego. Creatio enim sit ex nihilo, & tamen dicitur fieri per motum, quia sit per transitum de non esse ad esse. 3. scribit Aristoteles lib. 2. de generatione text. 56. idem manens idem, semper est aptum facere idem: atque, Deus est semper idem, & semper manet idem: ergo, semper fuit aptus facere idem: ergo, vel semper fecit Mundum; vel numquam fecit: vel non semper fuit idem. At contrà, idem manens idem, semper est aptum facere idem, si aliundè non repugnet & sit agens ex necessitate naturæ, concedo: si sit agens liberum, & aliundè repugnet, nego. Deus autem est agens liberrimum, & fuit impedimentum ex parte Mundi, ut fieret ab æterno: ergo, non potuit fieri Mundus ab æterno. Vrget iterum Aristoteles lib. 1. de Cœlo, text. 22. omnes gentes faciunt Cœlum, locum, sedem atque domicilium Deorum; si autem locus debet esse congruens ijs quæ in eo sunt; oportet Cœlum sempiternum esse quemadmodum Dij æterni sunt: vel si Cœli æterni non sunt, & Dij æterni sunt, aliquando fuerunt, & in loco non extiterunt, quod videtur absurdum, cum nihil possit esse, & in loco non esse: ergo, si Dij æterni sunt, locus Deorum æternus est: non implicat igitur Cœlum æternum esse, nec proindè Mundum, cum cœlum sit pars mundi. At contrà, neque enim cœlum dicitur sedes aut domicilium Dei, quod illo indigeat Deus ad conseruationem sui aut ad habitationem sui, sed quia ibi ostendit diuitias suæ magestatis. Scribit idem Philosophus lib. 12. Met. text. 30. Opificem Mundi tantæ esse perfectionis, ut eius substantia sit purissimus actus, omni carens potentia: at, si semper non operaretur, non esset purissimus actus, sed modo in actu, modo in potentia esset, modo ageret, modo cessaret ab actu: modò opifex esset potentiam, modo in actu: & sic partim in potentia esset, partim in actu; ergo vel ab æterno condidit Mundum: vel non est purissimus actus: nec consequenter infinitè perfectionis est. Sed contrà, negatur

sequela, nam fit transitus de genere in genus. Deus enim est quidem purissimus actus, per negationem potentiae passiuæ: nihil enim in se recipit: sed non per negationem potentiae actiuæ; quinimò est totus purissima potentia actua, cùm sit principium, & fons omnis actionis. Lib. 8. Phy. docet idem Philosophus Deum, & naturā facere semper ex possibilibus, quod melius est: atqui melius est mundum esse, ac semper esse, quām non semper esse, & in se possibilis est: cùm iam constet illum esse; & ita est, vt prius potuerit esse: ergo, ab æterno potuit esse. At contrà, Deus & natura semper faciunt id quod melius est, ex possibilibus, concedo: ex impossibilibus, nego. Atqui Mundus est possibilis in tempore, concedo; ab æterno, nego, propter repugnantiam ex parte mundi, vt constabit ex dicendis, hactenus pro Aristotele, ad Platonem veniamus.

PROBAT Plato, mundum incœpisse, ex processione entis producti ab ideis improductis, & ex perpetua illius propagatione, ac continuâ vnius ab altero successione. Vel vt scribit D. Th. ideo posuit Plato Mundum incœpisse, quia putauerit ipsa elementa licet æterna fuerint, non fuisse tamen in ordinem digesta, nisi ex tempore. Nec multum distat Democritus à Platone, dum asserit ex casuali atomorum concursu genitum fuisse mundum: discrepant verò in eo quòd hic aliquando corrumpendum, nunquām verò reuersurum esse orbem docuerit: ille verò numquam interiturum. Sed ipsi viderint. Huic catena Philosopherum adscribi voluit Empedocles, aut umans Mundum & genitum fuisse, & corruptumiri: ac quadam perpetua vicissitudine rerum quæ in illo existunt, iterum gigni; atque iterum produci: vnde perpetuus quidam generationis & corruptionis rerū circulus constituitur. Huius ratio est, quia ( inquit ) amicitia congregante elementa, gignitur mundus: lite verò eadem separate corrumpitur. Sed Chymera; nisi voluerit id secundum quasdam mundi partes contingere tantum. Näm à prima rerum constitutione, usque ad

ad extremum iudicij diem perpetuâ quadam serie naturali, elementa in mixta, & mixta in elementa resoluntur; vnde, mundus secundum aliquid gigui; & secundum aliquid corrupti dicitur. Sed abeant seniles huiusmodi philosophorum veterum sententiae, quid sentiant recentiores, videamus.

**N**O N est autem quæstio, utrum mundus extiterit ab æterno, sed utrum potuerit produci ab æterno. Scribit Ruuius tract. de æternitate mundi q. 2. non implicare, aliquam creaturam produci ab æterno. Probat, nam causa ut agat, non postulat priorem durationem, suo effectu: quia potest agere in eo instanti in quo incipit esse: ut patet de Angelis qui in primo instanti suæ productionis, potuerunt se disponere ad gratiam recipiendam in eodem primo instanti: & potuisse sol ab æterno productus, lumen suum diffundere: ergo, multò magis potuit Deus in eò instanti in quo habuit suum esse, operari, & sic producere creaturam. Sed contrà, nam operari sequitur esse, ex omnium philosophorum ore; ergo, prius debet res esse quam possit operari: prius inquam natura si sit quæstio de ipsis quæ fiunt per emanationem, ut lumen a sole; prius vero tempore, si sit sermo de alijs quæ fiunt per veram actionem non emanatiuam. Quæst. 3. scribit potuisse quidem rem aliquam permanentem fieri ab æterno, sed non ullam successiuam, ut tempus & motus: quod haec debeant fieri per prius & posterius. At posito cœlio ab æterno, nūquid potuisse volui ab æterno? Numquid potuisse t illi imprimi impulsus quo volueretur in eodem instanti in quo fuisset productus? non video impedimentum, cum igitur cœlum sit ens permanens, eius vero motus fluens; si potuit producires permanentes, potuit & fluens.

**C**OMPLVTENSES id ipsum quod Ruuius docent q. 3. §. 2. assertentes non implicare contradictionem ut res permanentes producantur ab æterno, probant autem, quod non repugnet ex parte Dei, nec ex parte creaturæ, nec ex parte creationis. Non quidem ex parte Dei, quia & que potens erat Deus ab æterno, at

in tempore quo produxit mundum: nec ex parte creaturæ, quia effectus potest esse simul duratione cū sua causa, ut patet de lumine solis; nec ex parte ipsius creationis, siquidem tota eius essentia sicut in eo quod sit productio rei ex nihilo, siue fiat in tempore, siue ab æterno. Sed contrà, nam 1. creatio importat essentialiter nouitatem essendi; ergo, nihil potest creari, quin incipiat esse, in instanti quo creaturæ tunc enim res incipit esse, cùm primum accipit suum esse. 2. effectus potest fieri eodem instanti quo fit eius causa, si sit proprietas causæ, concedo: si non sit proprietas causæ, nego. Obiectiunt alij, causa semel constituta in suo esse existentiæ statim potest agere: atqui, Deus fuit constitutus in suo esse existentiæ ab æterno: ergo, ab æterno potuit agere. Distinguo, causa iam constituta in sua existentiæ potest agere, si aliundè non sit impedimentum, concedo: si sit aliquod impedimentum nego. Fuit autem maximum impedimentum ex parte creaturæ quæ nequit produci ab æterno nisi æternitas habeat initium. Quod probo, nam tunc incipit existere cùm primum fit: ergo, si fiat ab æterno incipit existere ab æterno, si fiat in tempore, incipit existere in tempore: & cùm æternitas sit duratio idemtificata cum re quæ durat ab æterno, hinc fit ut quemadmodum res illa accepit esse, & consequenter incœpit esse: ita & illa æternitas accepit suum esse & pariter incœpit esse: & sic est æternitas; & non æternitas, quia nouitas essendi repugnat æternitati etiam participatæ. Dices Verbum diuinum accepit suum esse ab æterno; & tamen non incœpit esse: ergo, non est utique verum, ut illa res incipiat esse, quando primum accipit suum esse. Sed contrà, res non tunc incipit esse quandò primum accipit suum esse, distinguo: si accipiat idem omnino esse cùm sua causa, concedo: si accipiat esse diuersum à sua causa, nego. Verbum autem diuinum accipit à Patre idem esse cùm patre.

DICENDVM est igitur neque permanentia, neque successiva potuisse ab æterno produci propter implacantiam: proindequæ neque mundū potuisse existere

ab æterno. Ratio est, quia si ab æterno posset existere, ab æterno transiuisset à suo nō esse, ad suum esse; ergo prius fuisset sub suo non esse, quām sub suo esse, ergo, aliquid extitisset prius æterno; nempe non esse rei existentis ab æterno. Stat sequela, quia esse mūdi extitisset ab æterno, & tamēnō esse mūdi esset illo prius. Nec refert quod non esse rei non sit aliquid positiuū, quia sufficit ut suo modo extiterit prius, in quo priori, æque extitisset si quid posituum esset. Deindè si quid existeret ab æterno præter Deum, illud esset coæternum suo conditori: nec posterius illo esset, nec vñquām fuisset sub suo non esse: vel simul fuisset & non fuisset: quia quidquid ab æterno existit semper extitit; nec potest instans assignari in quo non extiterit, aut incepit existere. Cūm tamen creatio sit mutatio de non esse simpliciter, ad esse simpliciter: & fiat inter duos terminos contradictoriè oppositos, qui nequeunt esse simul: nempè, inter esse, & non esse eiusdem rei, quorum vnum præcedat necesse est; alterum verò succedat. Et sanè, si posset creatura fieri ab æterno, fiat, ac facta anihiletur: vel ergo poterit anihilari ab æterno, vel non: si possit ergo simul erit, & non erit: si non possit, ergo per totam æternitatem erit independens à Deo. Ideò enim dependet à Deo, quia ab eo conseruatur, & quidquid conseruatur à Deo, potest facilè à Deo anihilari per retractionem sui concursus: ergo, si dependeat, potest Deus ab ea retrahere suum concursum, & ita eam anihilare: si verò non possit, sanè ab eo non depēdet, & sic creatura non est, sed Deus est, consequenter qui creature ab æterno ponunt nouos Deos faciunt. Dices totam repugnantiam oriri ex eò quod nequeat simul creari, & anihilari: res enim quæ primò producitur, prout producitur non potest anihilari: sed postquām producta est: alioquin in eodem instanti existeret per sui productionem; & non existeret per sui anihilationem. Sed contrà, nam in æternitate, nec prius datur, in quo fiat res, nec posterius in quo anihiletur, quia æternitas est tota simul. Vandè, si res fieret ab æterno,

in æterno, non posset anihilari, sed post infinitam durationem, æternitatem posteriorem. Nec enim potest assignari instantis in æternitate in quo verum non sit dicere. Deum potuisse prius, & prius in infinitum rem ab æterno productam anihilare: sed numquam ab æterno, nisi simul existat, & non existat. Sed age, si possit aliqua creatura produci ab æterna maximè Cœlum cum suo motu: ponamus ergo, illud ab æterno productum, & simul incepisse moueri, sancè præcessit eius prima circulatio, cui statim successisset alia, & alia in infinitum: ita ut verum esset modo dicere, iam præteriisse infinitas numero circulationes, & consequenter infinitos numero dies. Creasset autem Deus unum Angelum simul cum Cœlo, qui omnes huiusmodi circulationes enumerasset: iam esse verum dicere illum percurrisse infinitum in multitudine: at docent. Compitenses infinitum non posse percurri & tamen scribunt mundum potuisse esse ab æterno: ergo, non video quid concludendum, nisi ut vel alterū negent, aut alterum non concedant. Sed creasset etiam Deus Adamum ab æterno, & genuisset filios, quâ ætate posset; sancè post vigesimum suæ ætatis id potuisse ergo, assignari posset vigesimum annum in ipsa æternitate, quod nemo umquam audiuit. Posset etiam in ipsa æternitate, spatium nouem mensium quo solen matres fœtus suos gestire, assignari; quod quomodo quadrigit æternitati, non video. Conformius igitur erit tationi & naturis rerum, si dicamus nulli creaturæ conuenire ut possit fieri ab æterno: sed uniuersum mundum in ipso initio temporis fuisse conditum.

**I**N quâ verò anni tempestate contigerit uniuersi orbis creatio, non est ita certum. Alij enim verno tempore id eueniisse putant quod decuerit diuinam beatitudinem, & sapientiam, illum eo tempore construere, quo solent omnia quasi reuiuscere: alijs verò in autumno, quo solent poma & alia fructuum genera in perfecta esse maturitate, sed hæc ad Theologos quid sit creatio, videamus.

## QVÆSTIO IV.

*De creatione, & an potuerit communicari  
creaturæ.*

PLATIBVS solent Theologi, naturam & affectus creationis complecti, nos vero qui philosophum agimus, paucis eamdem auspicabimur. Est igitur creatio, productio rei ex nihilo, an vero soli Deo competit id nobis inuestigandum. Sunt qui docent Deum posse creaturæ vim creatricem impetriri, etiam ut cause præcipuae, nec aliud habent fundamentum, quam quod Deus potest quidquid non implicat; & putant non implicare, posse diuinitus communicari creaturæ vim quā possit rem ex nihilo extrahere, si Deus id voluerit, cūm æque late pateat eius posse, ac eius velle.

SED contrà, non vult Deus quod nequit ex se fieri. Id autem est eiusmodi, cūm soli Deo subiiciantur res creabiles immediatè, neque possint à non esse simpliciter, ad esse simpliciter transire, nisi per virtutem simpliciter infinitam quæ soli Deo conuenit, cūm omnis virtus creata limitata sit, & propter huiusmodi limitationem, egeat subiecto circa quod operetur.

ALII, non quidem ut cause principalis, sed tamen ut instrumentalis id fieri posse autumant, quod nempe Deus possit uti una creatura, tanquam instrumento ad aliam creandam, eo modo quo sentiunt quidam Theologi per sacramenta tanquam per instrumenta, Deum ipsum, gratiam in nobis creare, non autem educere de subiecto.

SED contrà, quia primò gratia educitur de potentia passiuâ animæ: ergo non creaturæ: siue id fiat per sacramenta tanquam per instrumenta Moralia siue Physica. 2. Instrumentum non sumitur, nisi ad dispo-

nendum subiectum, ex quo causa præcipua vult educere effectum, creatio autem nullo indiger subiecto, quare.

DICENDVM est, soli Deo conuenire, ut possit creare, nec vlo modo posse vim creatricem creature cōmunicari. Primò enim, à non esse simpliciter, ad esse simpliciter rei; est distantia simpliciter infinita: ergo, nequit superari nisi virtute quæ sit simpliciter infinita; virtus autem simpliciter infinita est solius Dei cū sit semel Deus: ergo, non potest vlli communicari creature. 2. vel illa creaturæ cui communicaretur illa virtus creandi, posset omnia quæ sunt creabilia producere: vel partem tantum, quia non est potior ratio, cur posset unum & non aliud, cùm omnia creabilia æqualiter distent à causâ creatrice: ergo, posset omnia: ergo & seipsam cùm sit de numero creabilium, implicat autem aliquid se ipsum producere, quia deberet existere antequam existeret, cùm omnis causa prior suo effectu, saltem naturâ; neque causa realiter esset distincta à suo effectu.

Scotys aliter philosophatur, scilicet enim, vel illa creaturæ cui commissa esset facultas cætera omnia creabilia ex nihilo extrahendi, esset spiritualis vel corporea: non corporea, quia nequirit spiritualia producere nisi effectus esset nobilior suâ causâ, contra philosophiam: neque spiritualis, quia vel esset Angelus, vel anima rationalis: nequit autem anima rationalis creare Angelum, nisi effectus sit nobilior sua causa: neque Angelus producere quidquid creabile est quia datur creatura possibilis perfectior Angelo; ergo, nulli creaturæ potest communicari virtus creandi.

Dices, potest Deus creare nobilissimam creaturæ quas potest, illique soli id muneric impertiri ut cætera omnia ex nihilo extrahat. Sed contrà, primò enim illa esset creabilis & consequenter intra latitudinem suæ potentiae. 2. Nulla potest assignari creaturæ omnium perfectissima, cum nulla sit quâ non detur perfectior, & perfectior in infinitum. Sed hæc de Munndo, ad Cœlos dirigamus iter.

## Q V Æ S T I O . V.

*An Cœlum sit corpus simplex , materia , & forma expers.*

**C**V M de Mundo in vniuersum dixerimus, sequitur mox vt de illius parte præcipua, Cœlo, agamus; & primò quidem an sit corpus simplex. 2. an sit diuersæ speciei à sublunaribus. 3. an Cœli differant inter se specie, 4. an sint incorruptibiles. Ultimò , an plures sint quam nouem , deinde ad eorum motus & influxus progrediemur.

**C O E L U M** carere materia & forma docet Auerroes cap. 2. de substantia orbis : censet enim illud esse substantiam per se completam ( vt sunt intelligentiae & primum ens ) omnis physicæ compositionis extremit. Eius ratio videtur deduci ex eo quod intra latitudinem substantiæ corporeæ dari debet aliqua per se simpliciter completa, vt sit in spiritualibus; alioquin decesset orbi quædam perfectio possibilis. Neque enim repugnat Cœlum carere materiâ & formâ, & esse substantiam omnino simplicem : maximè cum inde perfectius euadat, accedatque magis ad naturam intelligentiarum, & perfectiorem arguat in se incorruptibilitatem. Fauet Aristoteles 12. Met. vbi docet, ideo intelligentias esse incorruptibiles, quia carent materia quæ radix corruptionis censetur esse in ijs quibus inest. Adde, quod diurnius euadet, vt suo perpetuo motu, ac influxu , hæc possit inferiora fouere : quæ alioquin breui dilaberentur. Deinde, quidquid constat materiâ, & formâ, corruptioni est obnoxium : ergo, è contrâ , quidquid corruptionem fugit , vt Cœlum, caret materiâ & formâ.

**S E D** cqntrâ , ijs & similibus argumentis planè satisfit, si semel attendatur , Cœlum esse corpus na-

turale, & omne corpus naturale esse compositum ex principijs physicis, quæ sunt materia & forma. Nec refert quod Cœlum sit expers corruptionis quia eius materia diuersæ est speciei à sublunarij; nec quod æquè posset in hac inferiora influere, licet simplex esset substantia, quia in eo, quantitas inest cum foret in loco extensum, & extensio localis, & ubicumque quantitas inest, ibi sit & materia oportet, quare.

**D I C E N D U M** est, Cœlum esse corpus naturale compositum ex materia & formâ. Ita Aristoteles lib. 1. de Cœlo, ijs verbis. *Cœlū autem est quidem eorū quæ singularia sunt, & qua ex materia.* Et alibi ubi docet, quæcumque substantiam sensibilem materiam constare. Sed ratione id patet, nam, omne corpus naturale constat naturæ; est autem natura ex 1. Phys. materia & forma: ergo, omne corpus naturale constat materiam & formâ. Quis autem negarit Cœlum esse corpus naturale, cùm sit potissima pars naturæ? Sed age. Quæcumque extensionem habent & loci occupationem, quantitatatem participant: ergo, & materiam; stat sequela, quia extensio localis prouenit ex quantitate, & quantitas ex materia. Deinde ubicumque sunt accidentia corporea, ut lux, aliæque qualitates nobis innotæ nisi ab effectibus, ut influxus orbium superiorum, in inferioribus, impressis, ut inde nostra possint attingere, ibi sit materia oportet, cùm illa sit commune subiectum accidentium corporeum: at qui in Cœlo sunt huiusmodi accidentia (ut colligitur ab effectibus quos in ijs inferioribus edunt Cœli superiores) quod nequit fieri, nisi prius aliquid producant in inferioribus (nec detur actio in distans sine medio: siue illud sit solum lumen; siue aliquid aliud.) dummodo non sit qualitas corruptiva subiecti cuius incapax est Cœlum; ergo, & materia debet esse in Cœlo.

**D I C E S,** ex Aristotele lib. 1. de Cœlo, Cœlum est corpus physicè simplex; ergo, expers physicæ compositionis. Sed contrà, Cœlum est corpus simplex, simplicitate quæ opponitur mixtioni, concedo, quæ opponitur compositioni ex materia & formâ, nego.

Elementa cāim ex Aristotele corpora sunt simplicia  
licet composita ex materiā & forma : sola verò mixta  
propriè sunt composita, quia ex elementis fiunt. Sed  
hac de ijs an Cœli inter se & à sublunaribus specie  
differant, videamus.

---

## Q V Æ S T I O VI.

*An Cœli differant specie inter se, & à  
sublunaribus.*

**H**O c plenè excutietur dubium, si semel consti-  
tuerimus, principia ex quibus constant Cœli in-  
ter se specie discrepare. Primò enim de forma patet,  
cœlestis enim nec corruptibilis est, nec ullo pacto dis-  
solubilis à materiā: sublunaris verò utriusque huic ob-  
noxia est imperfectioni. De materiā igitur potest esse  
quæstio duntaxat. Docet Scotus dist. 14. q. non dif-  
ferre specie materiam cœlestem à sublunari quod  
utraque sit pura potentia, nullum includens actum à  
quod differant specie, si quidem potentiae differunt per  
actus.

**S**E D contrà, nam alia est potentia in cœlesti, alia  
in sublunari, in hac enim est potentia ad formam in-  
dissolubilem, eamque unicam: in illa verò ad formam  
dissolubilem, eamque multiplicem, ut patet ex variâ  
rerum sublunarum permutatione.

**V R G E T** Scotus, materia est ens infimum summè-  
que distans à Deo, cum sit pura potentia Deus verò  
purissimus actus: ergo, nequit esse nisi unica species  
materiæ, si enim essent plures sub eodem genere, una  
esset perfectior altera, quia species sunt inæqualis  
perfectionis, ut sit in numeris: & ita, illa quæ esset  
perfectior, nec summè distaret à Deo, minus enim  
distaret quam alia, nec infimum esse esset, quia alia  
vè potè imperfectior, inferior esset.

SED contrà, nam materia cœlestis infimum ens est in genere entis cœlestis: sublunarīs verò in genere entis sublunarīs : estque vtraque, pura potentia in suo genere, licet Cœlestis videatur esse nobilior sublunari, quòd nobiliōrī modo vniatur suā formā, nempè indissolubiliter, & cùm perfecto complemento appetitus : sublunarīs verò dissolubiliter, & cum appetitu ad ulteriorem formam. Eo ferè modo quo in hac vita vniatur indissolubiliter Deo per gratiam: in Cælo verò per gloriam, nec contemnenda hæc comparatio , si attentius consideretur, sed ijs positis.

DICENDVM est, corpora cœlestia diuersa esse specie à sublunaribus, quoad materiam, & quoad formā. Sunt enim formæ cœlestes naturā sua incorruptibiles & indissolubiles à propriā materiā: sublunares verò & corruptibiles sunt & dissolubiles. Item materiā cœlestis natura sua indissolubilis à propria forma: sublunarīs verò à quacumque dissolubilis: cœlestis item incapax est contrariarum qualitatum: sublunarīs verò illarum omnium capax est.

DEINDE, diuersæ sunt proprietates in vtraque materia, appetitus varius, potentia varia. Hæc enim nostra, omnes appetit formas: illa verò vnam duntaxat. Nostra omnes potest successiūè de via naturali suscipere, simul omnes diuinitū: illa verò nec simul nec successiūè plures, sed vnam tantum sibi indissolubiliter vnitam. Si enim idem esset in vtraque appetitus, eademque potentia, ne frustra esset, in actum posset reuocari, ac actu esset potentia actiua illi appetiti correspondens; ergo posset hoc Cœlum corrumpi & aliud generari, & sic posset rerum ordo inuerti, quod naturis rerum obest.

QVOD spectat ad formam, illa est otiosa in Cœlis quoad sui similis generationem, quia vnum Cœlum non generat aliud: actiua verò in sublunaribus, quia quævis res sublunarīs aliam sibi similem in naturā generat, vt ignis ignem: leo leonem. Conueniunt igitur hæ formæ in genere quidem, sed in specie differunt. Similiter dicendum de materia. Vndē quantitas pro-

prietas est generica materiae , non vero specifica : sequitur enim genus non speciem eo modo quo sensible sequitur animal, non hominem. Neque enim, ideo Petrus est sensibilis, quia est homo ; sed quia est animal. Pariter, Cœlū non ideo est quantum, quia constat diuersa specie à sublunari : sed quia simpliciter constat materiam : ex quo sequitur , quantitatem esse proprietatem genericam materiae , non vero specificam. Atque hinc colligitur, materiam cœlestem & sublunarem conuenire in genere, differre vero in specie. Est autem genus materiae , quod fit simpliciter pura potentia : differentia vero potentia vnius formæ duntaxat in cœlesti ; plurium vero formarum sibi succendentium in sublunari. Sed an Cœli differentant specie, inter se, videamus.

**D I S C R I M E N** quod inquirimus, attendi debet penes materiam vel penes formam. Sunt enim Cœli eiusdem speciei si formæ sunt huiusmodi; diuersæ vero si formæ diuersæ. Neque enim à materiam petitur specifica ratio compositi, sed à formâ : quia in sublunaribus , eadem est specie materia & tamen diuersa sunt composita ratione formarum. Ratio est quia materia se habet ut genus; forma vero ut differentia; & differentia, illa est qua discriminat specificum rei.

**S O L E N T** tamen philosophi hoc loco inuestigare, nū materia sit eadem specie, aut diuersâ, in singulis Cœlis quemadmodum formæ. Solo numero differre censet Soncinus et præcisè quod eodem modo respiciant proprias formas, hoc est, indissolubiliter; neque enim putat aliund peti specificam rationem materiae quam ab indissolubilitate in cœlesti , & dissolubilitate , in sublunari : non autem à potentia & appetitu plurium successiuè in sublunari : vnius vero in cœlesti.

**S E D** errat, indissolubilitas enim illis generica est, non autem specifica. Potentia enim & appetitus vnius formæ , sunt differentia specifica materiae cœlestis: quemadmodum potentia , & appetitus plurium formarum sibi succendentium , sunt differentia materiae sublunaris : atqui potentia & appetitus vnius formæ,

diuersa sunt specie in singulis Cœlis : ergo, & diuersa differentia specifica. Minor probatur, quia si materia & appetitus vnius Cœli esset eiusdem speciei cum potentia & appetitu alterius, præter quam quod formæ Cœlorum essent corruptibiles & generabiles, posset vnum Cœlum conuerti in aliun: infimum, in medium: & medium, in supremum, posset consequenter infimum ascendere, & supremum descendere quod sanè dici nequit nisi invertatur rerum ordo, & corrut vniuersa natura, quæ licet labilis sit, quoad haec inferiora quæ vicissim alterantur, corruptiuntur & generantur: perpetua tamen est & constans, quoad iuperiora quæ obnoxia non sunt corruptioni.

V R G E N T aduersarij, materia sublunar is eiusdem est speciei in omnibus sublunaribus quia formis suis vnitur dissolubiliter: ergo, cœlesti eiusdem sit speciei in omnibus oportet, quia suis formis indissolubiliter vnitur. Sed contraria dissolubilitas enim critur ex appetitu plurium; indissolubilitas vero ex appetitu vnius dūtaxat. Vnde differentiae specificæ non sunt, sed proprietates genericæ duntaxat: duplex autem est indissolubilitas in Cœlis, altera genericæ, specificæ altera. Conueniunt enim in hoc quod materia cœlestis in genere, sit indissolubilis à propriâ formâ: differunt verò quod singulæ materiæ indissolubiles sint à proprijs formis. Vnde nec materia lunæ separabilis est à propriâ formâ, nec vniuersaliter est formæ Mercurij, aut è contraria, quapropter diuersa est specie materia in Cœlo Lunæ, & in Cœlo Mercurij, ac in alijs.

Q uod spectat ad formas, per se liquet esse diuersæ speciei inter se, primò enim dicunt essentialē ordinem ad diuersas specie materias. Secundò, habent diuersas proprietates. Tertiò, postulant diuersum locum ac situm. Deindè indissolubiliter vniuntur proprijs materijs, nec sanè possunt huiusmodi esse nisi differentiæ specie. Sed hæc de materiâ & formâ, nunc de toto composito, agamus.

## QVÆSTIO VII.

*An Cæli sint corruptibiles.*

CORRUPTIBILES esse Cœlos censem, qui eorum materiam eiusdem esse rationis cum sublunari putant. Vbi enim est potentia & appetitus universalis ad plures formas, ibi sit & radix corruptio- nis oportet. Has partes tuetur Plato in Thymæo; ibi enim præmissa huius rei perquisitione, tandem concludit Cœlos naturâ suâ corruptibiles esse: incorrup- tibiles verò sola Dei voluntate, quo censem quidam ex Theologis, primum hominem naturâ suâ quidem extitisse pecabilem (ut postea rerum probauit even- tus) sed gratiâ Dei impecabilem euasiisse, si iustitiam retinuerit originalē.

Hic opinioni Platonis videtur innuere Scriptura, & experientia; Scriptura quidem quâ dicitur Cœlos fore aliquando immutandos: experientia verò quâ gonstat eosdem incorruptos modo perseverare. Sed id gratis singitur, si fidem ijs habeamus qui corpora cœlestia esse naturâ suâ incorruptibilia asserunt nec illa posse vi dirimi, quam diuinâ. Horum ratio est, quia nullum datur agens naturale actu, quod possit in ma- teriam cœlestem contrarias inducere qualitates, nec formam intromittere nouam, cum ibi non sit appeti- tus, neque potentia nisi vnius duntaxat formæ.

S V N T verò alij qui negant etiam diuinitus, posse dari agens tantæ virtutis ut formas cœlestes expellat, aliam introducat: & ij quidem recte neque enim sollet Deus, rerum essentias inuertere: neque vim illis inferre. Quare, sequitur formas cœlis indissolubiliter vniri nec posse vnam dirimi ut alia substituantur, etiam diuina virtute; quia, materia nec eam appetit, neque illius est receptuua.

DICENDVM est igitur, Cœlos naturā suā incorruptibiles esse. Ratio est euidens, nam corpus corruptibile fit ex principijs corruptibilibus; ergo & incorruptibile ex incorruptibilibus: principia autem Cœlorum sunt incorruptibia, quia indissolubilia; ergo & Cœli.

DICES 1. formæ cœlestes fuerunt vnitæ: ergo, dissolui possunt. Stat sequela, nam dissolui possunt quæcumque sunt vnitæ; ergo possunt corrumpi. Sed contra, dissolui enim non est corrumpi, neque dissolutio, corruptio, nisi ea quam sequitur alterius generatio. In Cœlis autem nulla sequeretur forma licet prima abiret, quia alterius non est materia capax.

DICES 2. futurum esse vt aliquando immutentur Cœli: ergo necessariò corruptibles esse; sed contrà immutandi sunt Cœli quoad accidentia communia, concedo: quoad substantiam aut accidentia propria. nego. Fient enim quidem lucidiores Cœli, post diem iudicij, atque sydera micantiora: sed materia & forma remanebunt penitus immutata.

DICES 3. aliquando visæ sunt nouæ stellæ in firmamento, vt patet de illa quæ iam à sexaginta annis in Cassiopea apparuit; ergo, pars Cœli generari potest & consequenter totum. Sed contrà, dicunt quidam Astronomi illam quæ apparuit vnam fuisse ex tredecim ex quibus constat Cassiopea: est enim Cassiopea sydus in octaua sphæra tredecim constans stellis, quæ propter ingentem exhalationum copiam inter illam & oculum nostrum interseptam, maior & lucidior apparebat. Sed yrgebis, præter tredecim quæ solent in Cassiopea deprehendi, aliam extitisse quæ excitandæ controuersiæ astronomicis ansam præbuit. Sed contrà, alij enim rem attentius considerantes nonstellā esse in Cassiopea positam; sed cometam infrâ Lunæ globum existentem. At dices, quæ sub Lunæ globum existunt, non posse eadem magnitudine & hab eadem aspectu, vniuersis mundi partibus apparere, sed debere altiorem locum occupare; ac proindè illud iubar in octaua sphæra extitisse: maximè cum fuerit depre-

hensum diuino motu simul cum primo mobili oriri eademque quâ Sol verti velocitate in gyrum. At contrâ in tanto philosophorum dissensu.

DICENDVM, si iubar hoc extiterit sub Lunæ globum cometam fuisse, ex exhalationibus ignitis vi radiorum solis sursum eleuatis compactum : si verò suprà quia ex omnibus orbis partibus conspectum fuerit ( idque in Cassiopea ) nouam fuisse stellam à Deo productam virtute supernaturali quæ omnino libera est à communi lege naturæ, idque fortè, ut esset prænuncium malorum quæ ea tempestate viguerunt, apparuit enim anno millesimo, quingétesimo septuagesimo secundo. Cum fames insatiabilis pestis incurabilis, & bella horribila totum fermè occupabant orbem & præsertim Galliam ob nefariam Luthæri hæresim, & Caluinistarum rabiem. Si autem hic cometa sub Lunæ extiterit certum est vi naturali compactum fuisse ut sèpè fit, & contigit anno millesimo sexcentesimo decimo nono, me Auenione sacræ Theologiae operam nauante.

ADVERTE autem, dum dixi, si visum fuerit iubar illud in octaua sphæra, ibi conditum fuisse vi diuinata me non existimare illud partem fuisse Cœli, sed Deū creasse nouam materiam ex qua nouam eduxit illius stellæ formam & simul posuit penetratiuè cum illa parte Cœli in qua micabat: neque enim destruxit Deus particulam formæ Cœli, retenta illius materia, ut ibi formam stellæ illius substitueret : sic enim sequetur materiam Cœli posse alteri formæ vñiri cœlestemque formam esse corruptibilem, contrâ ea quæ docuimus quæst. 3. atque hæc de materia, forma & incorruptibilitate Cœlorum. Quotuplex sit Cœlum, videamus

## QVÆSTIO VIII.

*De numero Cælorum.*

**V**NICVM esse cœlum duntaxat, censuit Diuus Chrysostomus homiliâ quartâ super Genesim quod dicat scriptura creauit Deus cœlum & terram. Huic assentiuntur quidam Astronomi, vnicam ponentes sphærām cœlestēm, cui firmiter hæreant stellæ fixæ & propterea dicatur Firmamentum: niten verò planetæ in eiusdem crassissie, & propterea dicatur cœlum planetarum. Dicunt autem planetas motu cœli moueri ab ortu in occasum: motu verò proprio ab occasu in ortum. Sed qui possit id fieri non video, cum neque cœlum sit secabile, neque possit idem corpus simul dupli motu opposito, cieri.

**Q**VARÈ, plures sint cœli oportet, & constat ex varijs motu syderum, atque planetarum. Videmus enim septem planetas, Lunam, Mercurium, Venerem, Sollem, Martem, Iouem & Saturnum, aliquando distare, aliquando ad se inuicem coniungi: ergo vel varijs insident orbibus, vel in eodem percurrunt ut pisces in Mari, & ut aues in aëre; soliditatem cœli persuadendo, partesque illius dissecando: hoc autem ultimum nequit asseri cum cœlum sit inseparabile & quasi ære fusum Job. 34. ergo primum. Stat sequela, nam si in eodē essent planetæ cœlo affixi ut nodali in ligno, semper eamdem seruatent distantiam inter se, eademque planè viâ incederent: atqui modo accedunt modo recedunt inuicem, ut patet de Sole & Lunâ; hæc enim plenior sit atque lucidior receden te Sole: minus verò lucida eodem accedente: aliaque incedit Luna, à Sole, viâ, ut patet: ergo, in varijs sint affixa orbibus necesse est, & similiter de alijs planetis. Licet enim rudi oribus non innotescant ipsi, neque eorum motus,

palam

palam fiunt nihilominus Astronomis , quorum est Cœlorum motus metiri, influxus perscrutari & alia id genus attingere quæ postea cœteris hominum , suis predictionibus patefaciunt. Stellas vero fixas diuerso orbi inesse à planetis, vel ex eo constat, quod semper eandem seruent inter se distantiam , & per idem gradiantur iter , neimpe ab ortu in occasum , per lineam rectam, planetis incidentibus per obliquam.

SED, nūm sint alij orbes præter assignatos & Empyreum de quō postea, dissentivint authores. Alij enim suprà stellatum seu firmamentum, aliud ponunt, quodam motu trepidationis efficiens , ut & stellæ fixæ & ipsi planetæ sibi inferiores, nunc versus unum polum nunc versus aliud inclinentur. Suprà Cœlum hoc trepidationis , aliud constituunt quod primum mobile dicitur , & cuius motu concitatissimo cœteri rapiuntur inferiores ab ortu in occasum, spatio viginti quatuor horarum. Supra primum mobile quod decimum faciunt Cœlum Christallinum constituunt , & deinde Empyreum quod est beatorum sedes. Sed cœlum trepidationis , Christallinum , & primum illud Mobile distinctum ab stellato , Chymericos esse autumant, qui rem attentius spectantes eos omnino superfluos esse deprehenderunt : atque ijs assentimur & nos, & mentem nostram inferius aperiemus. Interim qui fieri potest ut supra stellatum aliud sit, motu suo trepidationis, inferiores hinc inde agitans, & nihilominus sit supra illud primum mobile quod sito motu istud per lineam rapiat rectam : simulne poterit idem corpus tam vario motu cieri? ipsi viderint.

D I C E N D U M e s t , apud nos nouem tantum esse Cœlos; septem planetarum : primum Mobile, seu stellatum, quod & firmamentum dicitur eo quod illi firmiter insidiant stellæ fixæ: & Empyreum omnino immobile in quo videt D. Paulus arcana Dei. De Empyreo constat ex fide. De primo Mobilis en stellato patet ex motu nocturno stellarū. Videmus enim eas semper æqualiter distare inter se, & passibus numeratis, singulis noctibus ascendere suprà nostrum orisontem , ut

etumdem semper cursum perficiant per eandem lineam rectam ab ortu in occasum.

**Q**uod spectat ad planetas seu stellas errantes (quas vocant,) ut sunt, Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Jupiter, Saturnus, per se liquet esse in varijs orbibus, cum nec semper inter se eamdem distantiam seruent, nec per eandem semper incedant viam, sed per diuersam; errant enim hic illucque.

**D**ICES Diuus Paulus raptus fuit usque ad tertium Cœlum, ibique videt arcana Dei; sunt autem arcana Dei in supremo Cœlo: ergo tertium Cœlum, est omnium supremum, ergo, tres duntaxat sunt Cœli: Supremum, Medium, & Infimum: nempe Empyreum, Stellatum, & Planeticum. Respondeo. Sensum esse, Diuum Paulum raptum fuisse usque ad tertium ternarium; vel ad tertium genus Cœlorum: est enim, Empyreum aliud genus ab Stellato, & Stellatum aliud ab iis in quibus sunt septem Planetæ: ut patet ex diuersis affectionibus. Vel si hæc expositio non arideat, hanc cape, raptus fuit usque ad tertium Cœlum, hoc est, ad Deum trinum, qui fons est omniū arcanorum. Vel hanc, raptus est usque ad tertium Cœlum, hoc est, usque ad ipsam diuinam essentiam, usque ad angelicam, & usque ad humanam. Quia triplex est Cœlum mysticum, Deus, Angelus, anima rationalis. Sed hæc satis, an Cœli Planetarum dupli motu opposito voluantur, videamus.

## QVÆSTIO IX.

### *De Motu Planetarum.*

**D**OCENT Astronomi orbes Planetarum motu primi Mobilis ab ortu in occasum rapi: à propriâ verò intelligentia ab occasu in ortum retromeare. Cum enim inæquali & dissimili procedant motu, nec

distatiam seruent eandem inter se, & cum stellis fixis Firmamenti, quia modo iuxta lineam equinoctialem, modo ultra citrave volui deprehenduntur, indè colligunt præter motum, à primo Mobili ab ortu in occasum, alium illis inesse qui à proprijs intelligentijs ortum habeat, & quo simul ab occasu in ortum quasi renitèdo retromeent, licet tardiori gradu. Sed, non video qui possit deffédi hæc opinio, licet Aristotelis lib. 1 de Cœlo cap. 2. textu. 16. & omnium fermè Astronomorum. Nequeunt enim duo accidentia contraria simul in eodem existere subiecto; ergo, neque duo motus contrarij in eodem mobili. Sequela paret, nam motus in ortum & occasum sunt contrarij & oppositi, cum hæ locorum positiones contrariæ sint, & oppositæ; ergo, nequeunt esse simul; nec consequenter, simul moueri Cœlum, in ortum & in occasum.

IDEM probat Ruuius, lib. 2. de Cœlo, hæc ratione, motus localis est acquisitionis præsentia localis, aut diuersi modi præsentia; sed orbes planetarum, non acquirunt plures præsentias locales, aut plures positiones partium in loco, sed vnicam tantum versus occidentem; non igitur mouentur duplice motu opposito. Et hæc rectè quidem Ruuius, verùm in hoc peccat quod statim addit secunda conclusione eundem motum planetarum ab ortu in occasum à duplice causa prouenire: nempè à raptu primi Mobilis, & à proprijs intelligentijs. Ait enim non posse primum Mobile adeò concitatissimè moueri, quin inferiores orbes sibi maximè contiguos, & intra suum ambitum perfectè comprehensos secum rapiat: idque dicit, se asserere ex sensu communi omnium Philosophorum. Addit etiam orbes huiusmodi simul à proprijs intelligentijs circumvolvi & sic euindem motum à duplice causa prouenire. Sed contrà, non asserit Ruuius Cœlos inferiores à medijs rapi; ergo, neque id asserat de supremo oportet. Stat sequela, nam æqualiter sunt inferiores contigi medijs & à supremo; ergo, æqualiter rapiuntur à medijs & à supremo; at qui non rapiuntur

à medijs; ergo, neque à supremo, vel assignanda erit multiplex causa, & inferiores pluribus subiicientur motoribus quam superiores: quod videtur falsum, cùm fortiori virtute impulsuā indigeat superius Cœlum, quā in inferius, ut potè quod maioris sit extensio[n]is, & potentiōrem sit perfecturum viam quare.

DICENDVM est, vno motu volui Cœlos Planeta[r]um ab ortu in occasum per lineam obliquam, solo impulsu propriæ intelligentiæ ( si illa detur, quia forte probabitur tanquam superflua. ) Conclusio perse liquet, nequit enim idem corpus simul moueri dupli ci motu contrario: nec simul acquirere duplice[m] præsentiam, alioquin simul esset in duplice loco, vt re ste Ruum. Sed neque simul esse à duplice causa motrice vario modo impellente, quia raptu primi Mobilis per lineam tenderet rectam, à propria verò intelligentia, per obliquam; ergo neque moueri duplice impulsu posse. Et sanè, si rapiuntur motu primi Mobilis, per eamdem debent ire viam quā illud, quia eadem ut impelluntur; etgo, per lineam rectam ab ortu in occasum ut illud: at qui non ita fit, sed oblique tantum mouentur, ut patet in sole, luna & alijs; nec inter se eamdem tenent viam; ergo, à propriâ suâ vnumquodque Cœlum mouetur intelligentiâ.

CENSEO tamen probabile, nullam esse Cœlo affixam intelligentiam, cuius sit id muneris, ut perpetuò Cœlum rotet: id enim multum videtur angelicæ naturæ dedecere excellentiam: sed potius, Deum in ipso mundi exordio, impulsu[m] cuilibet orbi impressissim[us] quô, ut proprietate quarto modo, illi perpetuò voluantur: & qui per negationem grauitatis & levitatis possit explicari, cùm eius effectus formalis, ijs opponatur qualitatibus. Hæ namque sursum & deorsum impellunt; Cœli verò neque sursum, neque deorsum, sed circa centrum tendunt. Nec deest ratio, quia si elementis alijsque inferioribus id conueniat, ut à se, & à proprijs accidentibus moueantur, quidni & cœlestes orbes id obtinuerint, maximè cùm sint cœteris sublunaribus longè perfectiores. Nec dicas repugnare

dari talem qualitatem impulsuam, quia non dico Deum produxisse qualitatem impulsuam, sed immediatè ipsum impulsum; & ille non repugnat dari à Deo solo; cùm detur ab intelligentia; & potuerit Deus illum conseruare à primo rerum ortu. Verum, à communī scholæ sensu non discedo, sed ut res clarior erit, sit.

---

## QVÆSTIO X.

*An singulis Cœlis, singula sunt intelligentiae  
Motrices concedenda.*

**L**ICET, solo impulsu Cœlis ab ipsa prima rerum origine impresso possent cœlestes orbes volvit: probabilius tamen visum est omnibus Philosophis, à propria forma ut principio intrinsecō, & ab intelligentia, ut principio extrinsecotid obtinere. Digladiantur tamen inter se authores, quod alij singulis orbibus singulas posuerint intelligentias: alij verò unicas tantum, quæ omnes simul voluat Cœlos.

PRIMVM autem de solo impulsu impugnant D. Bonavent. in 1. dist. 14. & D. Th. Opusc. 17. cap. 12. nullum corpus immedietate móteri à solo Deo afferentes. Nec deest authoritas Patrum qui decēre diuinam sapientiam docent, ut ima à medijs, & media à summis, nempè, sublunaria, à cœlestibus, & cœlestia ab Angelis moueantur. Sed hoc partim redarguit Aristoteles, qui Deum posuit esse primam intelligentiam supremi Cœli motricem: partim verò illud adstruit, quod singulis orbibus singulas cōcesserit intelligentias.

Sed, quidni poterit Deus illum impulsu perpetuō duraturum Cœlis imprimere, cùm per se solum posset quidquid potest cum causis secundis. Negat tamen Abulensis ad cap. 25. Exodi, quod nihil fecerit Deus imperfectum, & foret impulsus huiusmodi impe-

fectorum cum tenderet ad maiorem perfectionem, nempe ad motum: & deinde, motus ad presentiam localem, quae omnium rerum minima dicitur. Sed contra, nam presentia localis, motus, & impulsus, summae perfecta sunt in suo genere; nec possunt magis perfici, cum ita ferat eorum natura, ut sibi ipsis mutuo subordinentur, aut coordinentur. Vrget ille virtus infinita Dei mouet in instanti, Cœlum vero non mouetur in instanti sed in tempore; ergo, eius motus non sit virtute Dei immediate, sed aliena. Resp. motum Cœli non fieri quidem in instanti, sed per spatum viginti quatuor horarum, impulsus vero a quo procedit immediatè quidni fieri potuerit in primo instanti creationis, non video. Nec est cur dicas solius Dei esse ea producere tantum quæ fiunt ex nihilo, non auctem quæ fiunt ex subiecto: quia potest Deus per se immediatè quidquid potest cum causis secundis, maxime cum ipse sit fons omnium virtutum, & in se continet eminenter omnem vim creaturarum. Hanc sequere sententiam si libuerit, secus hanc cape, videlicet, non a solo impulsu primitus insito, sed a propria forma simul & ab intelligentia impellente circumuolui Cœlum. Quod nempe forma Cœli id postulet, nequeat tamen sine adiuncto sibi impulsu, vel a natura, vel a Deo, vel ab intelligentia: ut sit in elementis quæ cieri nequeunt ad proprium centrum nisi per qualitates innatas gravitatem puta, aut levitatem: non autem a Deo immediatè: ergo a forma id postulante & ab intelligentia, id efficiente, vel melius a forma ut principio intrinseco, & ab intelligentia, ut principio extrinseco. Alioquin enim forma esset otiosa, nec actiua esset, sed pure passiua ut materia: patetur namque se simul cum illa circumuolui ab agente extrinseco, nempe ab intelligentia.

DEINDE, in sublunaribus, formæ sunt principia radicalia actiua motuum; ergo, & in Cœlis, ergo formæ celestes natura sua postulant moueri circulariter, & proinde id quod actu moueantur, appetunt: est autem id impulsus: ergo impulsum habeant, vel a se,

vel ab alio necesse est, ut non sit illis appetitus frustra: non est autem probabile illum habere à se, cum omne impulsus fiat, vel à grauitate, vel à leuitate, vel, à forma viuente, vel ab extrinseco, & Cœlum, neque viuens est, nec grauè, neque leuè: ergo, ab extrinseco impulsum habet; & sic Angelus illum imprimit ut causa efficiens extrinseca, forma verò illum appetit ut causa intrinseca.

Sed, quæres cur formæ Cœlotum non sibi ipsi concipiunt qualitates suorum motuum effectivas. Quandoquidem formæ elementares id in se efficiunt, ut suos possint obire motus. Forma enim ignis in se producit leuitatem qua tendit sursum, forma verò terræ grauitatem qua tendit deorsum. Respondeo, id euenire ex eo quod impulsus omnis fieri debeat necessariò, vel à forma viuente intrinseca, vel ab extrinseca, vel à grauitate aut leuitate, ut dixi, adeo ut aliter fieri repugnet: nec licet fiat à causa extrinseca propterè violentus est, quia fit iuxta appetitum rei motæ: vnde defectu principij formalis intrinseci, vices gerit extrinsecum principium. Est igitur certum dari intelligentias Motrices quæ Cœlos rotent. Sed an sint in singulis orbibus, singulæ concedendæ, id nundum est statutum in schola.

ALIOQVI enim vniuersam Cœlorum machinam ab una eademque circumuolui intelligentia putant; nec extræ figmentum esse censem, tot esse motores quoct sunt sphæræ motæ. Ratio eorum videtur probabilis, quia Angelus nobilior est anima eaque fortior, ergo, si una eademque anima plura possit corporis membra mouere: ita & Angelus plures orbes rotare, maximè cum Cœli sint inter se contigui, nec possit moueri unum quin suo motu rapiat & alterum. Sed contigæ, negatur paritas, nam partes corporis licet diuersæ, continuæ tamen sunt inter se; non verò Cœli, sed contigui tantum. Si enim contiguæ ducta at essent moueri nequirent ab anima, ut pateret de membro absiso, licet in eadem planè permaneat distantia: & diximus suprà, orbes inferiores proprio motu cieri

344 PHYSICA TOLOSANA,  
tantum, nec ullo modo à primo Mobili rapi, ut patet  
ex diversa via quam tenent: quare.

DICENDVM, tot esse angelos motores, quos sunt  
Cœli volubiles, ita Aristoteles, & Philosophi omnes  
suadent ratione, Angeli enim determinatam habent  
sibi sphæram actiuitatis, & præsentiam extra quam  
neque esse, neque operari possunt: non est autem pro-  
babile, tam ingens spatium quod occupatur ab omni  
omni congerie Cœlorum esse sphæram actiuitatis &  
præsentia vnius & eiusdem Angelis; ergo, nequit  
idem Angelus omnes simul mouere Cœlos, sed sin-  
guli singulos habent motores.

## QVÆSTIO XI.

### *De influxibus, & effectibus Cœlorum.*

**D**VQ quærit hæc quæstio. 1. An cœli influant in  
hæc inferiora. 2. An sint aliqui effectus in ijs  
sublunaribus qui fiant ab influxibus cœlorum. Do-  
cent omnes Astronomi, & id patet experientia, plura  
nos pati ab ijs influxibus: & plura fieri etiam apud  
nos quæ neque ad ullam causam sublunarem possunt  
reuocari, neque ad solum motum cœlorum, qui ad  
summum potest esse conditio sine qua non dissemin-  
arentur huiusmodi influxus per totum vniuersum  
tanto cum pondere, ordine, & mensura, vt videantur  
sequi, & imitari totius anni tempestatem, plura enim  
sunt meteora autumno quam verè. Sunt autem hu-  
ijsmodi influxus qualitates quædam nobis innotæ,  
nisi per effectus qui inde sequuntur; præter enim lu-  
men, & calorem, quem alium influxum in cœlis esse  
deprehendimus, sunt tamen alij, cum videamus plura  
alia fieri apud nos quæ à solo lumine aut à calore  
non possunt promanare, vt sunt metallæ quæ fiunt in  
visceribus terræ; eo enim usque nequit pertingere aut  
lumen, aut calor, ergo debet esse quidam influxus qui

rotum globum terrę permeat, ut eos attingat effectus.

QUADRIPARTITAM autem faciunt diuisionem horum effectuum, nempe meteora, metalla, animalia quae procreantur ex putri materia, & res alias omnes sublunares, saltem ex parte, sol enim & homo dicuntur hominem generare. Addunt & aliqui actus nostrę voluntatis etiam dependere ex syderum influxu. Neque vlla potest esse controuersia de metallis & meteoris, cum omnes id concedant, & pater experientia, vi syderum attolli sursum vapores, & exhalationes quibus formantur nubes, nix, grando, fulgur, & ceteræ impræssiones quas cernimus in aëre: patet etiam in visceribus terræ procreari metalla quae à nullo possunt proficisci, quam à virtute cœlesti: neque enim fuerūt producta in tanta copia in prima rerum productione, neque vlla potest assignari ibi causa contigua, nec recurrendum est ad Deum: ergo ad sydera. Quod spectat ad viuentia quae fiunt ex putri materia dicendum est illa fieri dispositiūē tantum vi syderum & influentiārum productiūē vera à primā causa suplente defectum causæ secundæ. Cū enim semel aliqua dispositio est introducta in aliqua materia, ita ut debeat sequi forma, si desit causa secunda, solet causa prima supplere defectum, nè materia suscepit frustrā illas dispositiones. Possunt autem cœli & sydera disponere materiam ad omnes formas: prima verò causa, omnes introducere formas.

Quod spectat ad liberam hominis voluntatem concedendum guidem est: illam posse aliquid indirectè pati à syderū influxibus, quatenus possunt ab illis, humani corporis humores perturbari, & sic in imaginationem, & appetitum ascendere, ut inde voluntas trahatur ad vitias propter mutuam harum facultatum subordinationem: sed perpetuo remanet voluntas omnino libera: quinimò sapiens dominabitur astris. Alii verò possunt Astronomi aliquid certi prænunciare ex astrorum motu atque influentijs examinamus. Mirra se dicunt Astrologi posse vi syderum certò variinari: non tantum eorum quae casu eneantur,

sed etiam eorum quæ à voluntate humana dependent. Dicunt autem quasdam esse stellas fatales in quibus tanquā in chartulis inscripti sint effectus casualis, & fortuiti: atque ijs qui procedūt ex nostra voluntate. Afferunt deinde, se illos effectus legere in ijs fatidicis syderibus, vñ quorumdam instrumētorum, in singulorum hominum nativitate. Probant ex illo Genesios. 1. fiant luminaria in Firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem: & sint in signa, & tempora: explicant enim hoc modo, illa luminaria non possunt esse signa, nisi sint alicuius rei signa, ergo, vel signa practica, vel speculativa: si practica, id efficiunt quod significant: si speculativa, ergo id ostendunt: at qui nequeunt id efficere, nisi id in se contineant vel practicè, vel speculatiuè; ergo, continent, & consequenter possumus id in illis legere. Sed Chymæra, licet enim in cœlis, & syderibus contineatur virtus efficiendi plures effectus quos in ijs inferioribus cernimus exoriri: ut sunt, venti, nubes, niues, grandines, huiusmodi: possintque certò determinare Astrologi ob varium motum syderum & concursum planetarum quo anno, qua hora, & qua circumstantia temporis & loci, queant illi prouenire effectus: nequeunt tamen vaticinari quod futurum sit à nostra voluntate, quia hæc neque directe, neque indirecte per se subijcitur astris: sed tantum per accidens eo quo suprà explicuimus modis; sicut, quatenus appetitus sensitius potest syderum vi commoueri, & hæc commotio deriuari usque ad voluntatem propter essentiale subordinationem: sed quia voluntas non subijcitur appetitui sensitivo, sed appetitus voluntati: hinc fit ut voluntas remaneat absolute domina suorum actuum; & sic neque ut astronomi vlo modo scire per scientiam astronomicam quinam sint futuri actus nostræ voluntatis, nisi reuelante Deo.

AN verò cessarent rerum sublunarium ortus & interitus, si cessarent motus cœlorum, probabile est non cessare, sed probabilius est cessare: non cessarent quidem, quia cessante motu circulari, permaneret vis sy-

derum : & sic possent ijdem oriri effectus , quia esset eadem causa ; sed cessarent rerum generationes , quia sublatis conditionibus , cessat actio ; & motus circulatis est potissima omnium operationum sublunarium conditio . Dependent enim omnes res sublunares , à Cœlestibus in suo operari ; ergo , sublato cœlorum motu quo orbis cœlestis suos diffundunt influxus eo ordine quo debent , tolleretur omnis operatio . Ergo , sublato cœlorum motu cessaret omnium rerum sublunarium operatio . Sed à cœlis ad Elementa descendamus .



# DISPVTA TIO SECUNDA.

## *DE ELEMENTIS.*



N M E D I A T E post Cœlos  
veniunt Elementa, quia ex iis  
sunt mixta, quæ tertium ge-  
nus constituunt eorum quæ  
sunt in vniuerso orbe. In illo  
enim sunt tantum, cœli, ele-  
menta & mixta. De cœlis egim-  
us, de elementis agimus &  
de mixtis postmodum age-  
mus. Est igitur. 1. examinandum quid & quotuplex  
sit elementum. 2. Quænam sint primæ & secundæ  
qualitates elementorum. 3. de eorum figura, & ex-  
cessu; & an grauitent aut levitent in proprio centro.  
4. de mutua transmutatione, inter se & in mixta, deinde,  
ad mixta progrediemur.

*Quid & quotuplex sit Elementum.*

## Q V Ä S T I O I.

P RIMA Elementa dicuntur ea ex quibus unaquæque res coalescit, syllabæ sunt ex literis: dictio-  
nes, ex syllabis: ex dictioribus, orationes. Dominus fit

ex lapidibus, homo ex corpore, & anima; compositum Physicum, ex materia & forma: mixtum vero, ex elementis. Sunt autem clementa, quatuor, ignis, aer, aqua, terra. Ex ijs sunt mixta, & in eadem tandem resoluuntur; quemadmodum corpus naturale sit ex materia, & forma, & tandem in materiam resoluitur, & in formam. Definit autem Aristoteles elementum, *corpus simplex: ex quo fit mixtum, & in quod tandem resoluitur idem.* Dicitur *corpus* ad distinctionem principiorum quae corpora non sunt, sed corporis partes, ut *materia*, & *forma*: dicitur *simplex*, ad rei cienda mixta, quae simplicia non sunt, sed ex simplicibus coagmentata: additur, *in quod resoluuntur mixta*, ad remouendos Caelos, qui licet sint corpora simplicia, non tamen ex illis sunt mixta, neque in illa resoluuntur. At, *quotuplex* sit elementum non videtur ita certum. Putant aliqui esse tantum duo, terram, & aquam, ex Aristotele lib. 4. de Caelo. Vbi ponit duas differentias elementorum, graue & leue, sed male explicant textum, vult enim Philosophus ibidem, esse duo genera grauium, & duo genera leuium: nempè, graue simpliciter, ut terra, & graue secundum quid, ut aqua pariter, leue simpliciter, ut ignis, & leue secundum quid ut aer. Superius enim ascendit ignis, quam aer: & tetra inferius descendit, quam aqua. Ponunt alij tria elementa terram, aquam, & aerem; quod existiment omnia fieri ex aere, ex aqua, & ex terra, non autem exigne, quippè qui omnia consumaret sua voracitate. Sed errant, neque enim remanet ignis in mixtis secundum totam suam actuitatem, sed secundum gradum attemperatum, iuxta exigentiam naturæ mixti. Alij scribunt dari quinque elementa, quod illud docuerit Aristoteles in lib. de Mundo ad Alexandrum cap. 2. & 3. sed si bene notent, vult Aristoteles nomen elementi tribui Caelo; ibi enim agit Philosophus de corpore simplici, quod dicit esse quintuplex, nempè Caelum, ignem, aerem, aquam, & terram. Et quia Caelum est corpus simplex ideo tribuit illi nomen elementi.

DICENDVM est igitur, neque plura, neque pauciora dati, quam quatuor elementa, ignem, aërem, aquam, terram. Ita Aristoteles, & patet, nam ijs solis competit definitio allata; ex ijs enim fiunt quæcumque mixta, & in eadem resoluuntur, dum sit eorum corruptio. Lignum enim dum comburitur, in flamnam, fumum, spumam, & cineres resoluitur; ubi flamma indicat ignem: fumus, aërem: spuma, aquam: cineres, terram. Pariter in mixto viuenti quatuor sunt humores quatuor respondentes elementis: flava bilis, responder igni: sanguis, aëri: pituita, aquæ: atra bilis seu melancholia, terræ. Deinde, nullum est mixtum in quo non reperiuntur quatuor qualitates elementorum in aliquo gradu remisso: ergo, ibi sunt etiam quatuor elementa secundum materiam, & qualitates refractas.

SED, solet hoc modo numerus elementorum inuestigari, tot sunt elementa, quot sunt combinationes primarum qualitatum: hæ autem sunt quatuor; ergo quatuor sunt elementa. Antecedens patet, nam cui libet elemento conueniunt duæ qualitates, altera in summo, altera in remisso; igni scilicet calor summus & siccitas in gradu remisso: aëri humiditas intensa, & calor remissus: aquæ frigiditas summa cum humiditate remissa: terræ verò siccitas summa cum frigiditate temperata: ergo, cum nequeant illæ qualitates alio modo combinari, fit ut quatuor sint tantum elementa. Stat sequela, nam si alio modo possint illæ qualitates combinari, maximè calor cum frigore: humor cum siccitate: atqui hoc non potest dici propter mutuam oppositionem earum; ergo, tantum calor cum siccitate & humor cum frigiditate possunt coniungi. Dicuntur autem illæ qualitates inesse elementis quia sunt omnium primæ, & primæ omnium debentur primis corporibus ex quibus fiunt cætera mixta. Sunt & aliæ qualitates quæ dicuntur secundæ quia fiunt ex primis; hæ sunt grauitas, levitas, densitas, raritas, opacitas, & omnes species colorum de quibus erit alibi differendum. Nunc, quid sint singula elementa in se, examinandum.

**S**VPPONO igitur tāquam certum in Doctrina Aristotelis dari ignem in concauo lunæ; qui sit purum elementum, hoc est in materia subtili. Nec refert quod aliqui putent, iam sua voracitate Cœlos consumpsisse, partes aëris sibi viciniores simul: si vllus ibi inesset ignis: quia illius actiuitas & acrimonia qua pollet, tūm natuua raritate, tūm humiditate aëris vicini, ita debilitatur, ac refringitur, vt nequeat id obire. Deindè Cœli sunt incorruptibiles; ergo, nihil omnino possunt pati ab igne: aër vero, humidus est, & sic nihil patitur ab illo. Dari autem illum ignem elementarem in concauo lunæ, facile potest ostendi. Illo enim sublato: manca esse huius mundi vniuersitas, siquidem careret pulcherrimo omnium elemento, ac nobilissima omnium causa actiua. Præterea, summus calor debetur alicui elementu, non aëri, qui summè humidus est: non aquæ quæ summè frigida, neque terræ quæ summè sicca; ergo, igni, & consequenter ille datur. At inquires, datur quidem ignis apud nos, sed non in concauo lunæ ibi enim pabulo careret, quo foueretur. Sed contrà, non enim ibi habet contrarium à quo expugnetur, vt haber apud nos: deinde, ibi abundat exhalationibus quibus nutritur. Sunt autem illæ exhalationes sursum eleuatæ virtute Cœlorum, syderum, & astrorum.

**Q**UÆRES, an ignis elementaris in concauo Lanæ residens sit eiusdem speciei cum hoc nostro. Resp. affirmatiuè, nec enim differunt nisi penes crassitudinem, aut raritatem materiae, hic enim noster in densiori est subiecto; ille vero in rariori. Quæres 2. nūm ignis qui in inferis torquet damnatos sit eiusdem rationis cum elementari. Respondeo probabilem esse utramque opinionem, non enim repugnat esse eiusdem rationis, quinimò docent quidam Theologi esse partem illius sphæræ quæ supra aërem insidet, quod putent Angelos detrusos è Cœlis in partes inferiores terræ propter peccatum, illum ignem secum deportasse in pœnam peccati: probabile etiam est, posse

esse diuersa specie, cum tandem detineatur extra propriam spharam. Quæres 3. qui possit fieri ut ignis corporeus agat in res spirituales, cum ibi nulla sit proportio agentis & patientis. Respondent aliqui, cœuari per potentiam obedientiam ad talen effectum edendum. Respondent alij non cœuari. Videlimus enim animam rationalem pure spiritualem esse, & tamen vniri corpori: sic putant, ignem elementarem posse vniri spiritibus ad illos cruciandos. Et hæc de igne.

## A E R.

AEREM in rerum natura existere nemo est qui insciatur: sicut verò rectè distributus in triplicem regionem, infernâ, medium, & supremam, hoc in lito est. Censem enim aliqui vniuersum aërem vnicam tantum constituere regionem, eò quod nullibi sit à se ipso diuisus, sed continuo protendatur à globo terra, usque ad spharam ignis, nec vlla appareat distinctio nisi penes accidentia communia, quæ varia sunt in singulis illius partibus, præindèque non substantiam, sed sola accidentia, triplicem illam totius aëris regionem constituere. Verum constans est, apud Peripateticos sententia, in tres veluti prouincias distribui aërem ut explicabitur quæstione de Meteoris. vbi quedam fieri in supraem aëris regione demonstrabimus, quedam in media, quedam in infima parte, interim infima regio ea est quæ nos undequaque ambis, & usque ad eam porrigitur, vbi repercussio solis pertinet: supra dicitur ea quæ ab elemento ignis, usque ad eam partem quam ignis calefacit protenditur: media verò totum illud occupat spatum quod interacet inter utramque: atque ex ijs sequitur infimam & supremam esse valde calidas: medium verò frigidam, propter antiperastasim aliarum.

## A Q V A.

ELEMENTVM aquæ adeo notum est dari ut non indigeat probatione. Constat ex omnibus aquis naturalibus fluviorum, fontium, puteorum & aquoris, licet hæc habeat sibi permixtam falsedinem. De origine

ne fontium & fluminorum suo loco. Mox ditidimus Mare in Oceanum; Mediterraneum, Rubrum, Persicum, & Calpium seu Hircanum. Oceanum varia sortitut nomina propter variam sui extensionem. Propterea enim versus Occidentem porrigitur usque ad montem Athlantem, Athlanticum nuncupatur propterea versus ad orientem, Aëolum: quâ parte ad meridiem versus Äthiopianum, Äthiopicum; quatenus ad septentrionem distenditur Septentrionale dicitur, vel Scythicum à Scythia. Varia iterum nomina sortitut a variis regionibus, a Britannia dicitur Britannicum: à Germania, Germanicum: & sic de ceteris. Mediterraneanum vero ex Oceano fluit per fretum Herculeum inter Heralis columnas; & Africam ab Europa diuidit. Deinde in varia aquora partialia distribuitur, Ibericum, Adriaticum, Gallicum, & alia de quibus consule Geographos. Mare rubrum ( aliter Erythræum à Rege Erythre ) ita dicitur quod tererat colorem rubrum. Mare Persicum à Persarum regionibus dictum esse existimo. Mare vero Caspium, seu Hircanum, à Caspia, & Hircanis montibus nominatum. Plura apud Geographos. Num vero ex elemento aqua, sicut unica mole quae aequaliter distet a Cœlo, dubitant authores. Nonnulli putant aquam, terræ notabiliter prominere: alii vero terram exuberare, saltem secundum cæmina montium. Hæc opinio probabilior apparet primò intuitu, verum re paulo altius expensa, certe deprehenditur, aquam superiorem esse terram, & conseqüenter minus distare à Cœlo. Nec refert quod cæmina montium, aquæ Matis videantur prominere; id enim vel ex eo deprehenditur esse falsum, quod in similitate quorundam montium sint fontes quorū origo est aequor, nec ascendit aqua superius quā sit eius origo.

## TERRA.

OMNIVM infima elementorum, in medio mundi constituta est; prorsus immobilia secundum se rotam. Si enim moueretur, vel motu recto sursum, vel deorsum, vel motu circulari, aut transuersali: nullo autem ex ijs moribus afficitur ut patet: ergo, sileat Coperni-

cus qui cœlos non moueri, sed terram perpetuo volat existimauit. Dixi autem eam esse sitam in medio mundi: id tamen debet intelligi de medio morali, non Mathematico: Nam moraliter & secundum communem usum loquendi, etiam seruat quidem secundum omnes sui partes à circumferentia cœli, distantiam: verumtamen, cum partes habeat alias, alijs sublimiores, nempe montes, non omni ex parte videtur etiam distare à circumferentia cœli: atque adeo secundum rigorem Mathematicum, in medio non est unius. Unde, moraliter quidem est punctum respectu cœli: sed non Mathematicè loquendo. Punctum enim Mathematicum illud est, cuius nulla pars, cum sit prorsus indivisibile: morale vero est divisibile, & est fundamentum comparationis illius quæ sit inter duas magnitudines tantæ inæqualitatis ut una videatur esse punctum respectu alterius: atque hoc sensu dicimus muscam esse punctum respectu Elephantis: acarum respectu equi: & equum respectu montis, licet dicat poëta, instar montis equum, diuina palladis arte. Posset autem unius terra diuidi in duodecim partes iuxta duodecim signa Zodiaci: at vulgariter in quatuor distribuitur, etiam ipsis tyronibus cognitas, Europam, Africam, Asiam, & Americam: quarum qualibet in sua diuiditur Regna, nationes, Regiones, Provincias, Ciuitates, Urbes, Opida. An vero, initio mundi producti fuerint montes, fontes, flumina, flumij & omne genus herbarum, plantarum, fruticum & animalium quæ reperiuntur in terra, in lice est; cum videamus singulis ferè diebus de novo, nouas exurgeare species animalium, frugum, & fruticum. Quod spectat ad flumios, fontes, & montes, dicunt aliqui ortum habuisse à generali diluvio: sed testatur Scriptura sacra, montes & flumina ante diluvium extitisse. Constat enim ex Genezeos secundo, fuisse fluum in loco voluptatis, ad irrigandum Paradisum, qui inde diuidebatur in quatuor capita: constat & ex septimo cap. aquam diluvij quindecim cubitos supra altiores montes elatam fuisse. Unde, videtur certissimum esse

in prima rerum creatione, & montes & flumina Deum produxisse, simul cum terra. Quare vtrum ante peccatum Adami, rose cum spinis fuerint productæ, & cæteræ herbae venenosæ quæ multum videntur obfesse homini: Ratio dubitandi est, quia statim post peccatum imperauit Deus terra ut germinaret spinas, & tribulos. Resp. Deum illud imperasse, ut quæ spineæ antea erant in ornamentum orbis, postea essent simul in pœnam peccati. proh dolor!

## QVÆSTIO III.

*De primis qualitatibus Elementorum.*

**Q**UATVOR duntaxat tribuunt qualitates Elementis, Philosophi: calorem, frigus, humiditatem & siccitatem; easque vocant primas quod simplices sunt, nec fiant ex alijs, sed ex ijs aliae omnes: vnde quemadmodum elementa sunt prima principia ex quibus sunt mixta: ita hæ qualitates Elementorum prima principia sunt, ex quibus sunt cæteræ qualitates quæ simplices non sunt, sed mixta: ut temperamentum viuentium, species omnium colorum, lenitas, grauitas, & alia id genus; quia raritas, densitas, soliditas, perluciditas, & diaphaneitas potius ex varia dispositione materiae proueniunt, quam ex qualitatibus primis; lux pariter licet simplicissima sit qualitas, ex elementarijs non fit, ut potè quæ cœlis contineat, quibus nulla competit qualitas prima: hæ namque corruptionem inducunt, & cœli sunt ab omni corruptione immunes. Fit enim omnis corruptio, vel frigore, vel calore, vel humiditate, vel siccitate, ut apud tonsores notum est. Sed priusquam ad huiusmodi qualitatum effectus descendamus præmittendæ sunt earum definitiones. Solent autem tradi in concreto, non in abstracto, quia concreta notiora sunt abstractis.

DEFINIT Arist. *Calidum lib. 2. de ortu cap. 2. id quod congregat Homogenea, & disgregat Eterogenea.* Hoc sensu ignis suo calore partes auri congregat in fornace; & auram ab argento disgregat. Eodem loco definiuit *frigidum, illud quod aequaliter aggr. gat Homogenea, & Eterogenea,* cuius exemplum erit aqua congelata quæ simul lignum, paleam, ossa, carnem, & similia congregat. *Humorem definiuit id quod i. suo termino difficile terminatur, facile vero alieno ut patet in aqua, quæ ex se nullam sibi figuram præscribit; alienam vero facile recipit, ut cernitur in vase, vbi si rotundum sit, figuram rotundam accipit aqua in illo inclusa: siccum vero definitur, quod suo termino facile limitatur: alieno vero difficile: ut patet in ferro, & alijs corporibus siccis.* Alias afferit Aristoteles definitiones, sed quæ petuntur ex effectibus, quod nempè caloris sit calefacere; frigoris, frigefascere: humoris, humefacere: & siccitatis excicare: sed quomodo se habeant in ipsis elementis videamus.

SCRIBVNT Complutenses disp. 10. qu. 3. §. 2. de elementis, ignem esse summè calidum, & summè siccum. §. 3. aërem neque esse summè calidum, neque summè humidum: sed utramque qualitatem habere in aliqua certa temperie: q. 4. §. 3. docent probabilius esse, quod aqua sit summè humida, & citra summum frigida: & §. 3. scribunt terram esse summè frigidam & temperatè sicciam. Sed, hæc doctrina & Aristoteli, & communī sensui totius scholæ aduersatur. Docet enim Aristoteles lib. 2. de generatione c. 3. terram plus habere siccitatis quam humiditatis: aquam plus frigiditatis quam humiditatis: aëre plus humidi, quam siccii: & igne plus caloris, quam siccitatis: ergo, nequit esse ignis summè siccus, & summè calidus: neque, aër in aliqua temperie humidus, & calidus, & sic de alijs; sed in singulis elementis debet esse una ex quatuor qualitatibus in gradu summo; altera vero in gradu remisso. Est enim mens totius scholæ ut nulli elemento conueniant due qualitates in summo: sed una in remisso, altera in intenso. Fauet ratio,

quia in unoquoque genere entis debet assignari unum primum quod sit caput ceterorum, ut sol in genere lucidorum; ignis in genere calidorum; & sic de ceteris: ergo, si in genere siccorum terra est summè siccata, id non poterit tribui igni. Deinde, si ignis esset summè calidus, & summè siccus: per calorem summè actiuè ageret: & per siccitatem summè resisteret; & sic ceteris præualeret elementis, ipsaque tandem absumeret, & voraret, ut nulla sequeretur victoria aliorum in ignem. Quod tamen videtur Absolum philosophiæ naturali, quæ parem admittit transmutationem elementorum in mixta; & mixtorum in elementa. Fauet, & Diuus Thomas super text. 23. huius lib. ubi sic ait, *in igne verò magis dominatur caliditas quam siccitas*: ergo, cum Complutenses fatantur se esse doctrinæ doctoris Angelici propugnatores, doceant necesse est, ignem esse calidum in summo, siccum verò in gradu remissio, non autem siccum, & calidum in gradu summo, quia duæ qualitates nequeunt esse summè intensæ in eodem elemento. Quare.

DICENDVM est singula elementa secundum naturam suam spectata habere qualitatem unam in summo: alteram in gradu remissio. Ita docent omnes cum Aristotele, præter Complutenses: atque hoc sensu, ignis natura sua est summè calidus; & remissè siccus. Aer summè humidus, & remissè calidus. Aqua summè frigida, & remissè humida. Terra deum summè siccata, & remissè frigida. Dixi si spectentur secundum proprium statum naturalem: nam, ut modo existunt scèpè immutatur illa temperies, propter rerum sublunarium permixtionem, concursum, & alterationem. Neque enim possunt actu reperiri elementa pura ab omni fæcè, & congerie alienarum qualitatum, ob mutuam eorum inter se pugnam, & cum mixtis: aut mixtorum cum elementis. Conclusio patet, nam prima qualitas debetur primo corpori, id est qualitas simplicior, debetur simplicitati corpori: atque, calor, frigus, humiditas, siccitas sunt primæ,

& simpliciores qualitates; quatuor vero elementa sunt prima, & simpliciora corpora: ergo, illis debentur quatuor primæ qualitates. Stat tequila, nam primæ qualitates nequeunt conuenire mixtis in gradu summo; ergo, debent posse conuenire elementis. Quod autem secundum allatam combinationem illis competant, patet: nam 1. de igne: nobilissimo & actiuis-  
simi elemento conuenire debet nobilissima, & aetiui-  
ssima qualitas: sed inter elementa ignis est actiuior,  
& nobilior; & calor perfectior, & actiuior qualitas; er-  
go, conuenit igni. Quod aër sit summè humidus, pro-  
batur ex Arist. contra Complutenses. Humidum est  
quod difficile, proprio; facile vero, alieno termino  
terminatur: sed inter cætera elementa id maximè  
competit aéri: quia aëris magis funditur, & magis dif-  
fluit, faciliusque cedit; ergo, maximè humidus est, vel  
manca eius definitio tradita ab Aristotele, quod nimirūm, *humidum sit id quod difficile proprio, facile vero alieno termino circumscribitur*.

NEQUE enim aqua adeò facile terminatur ac aëris.  
Quod aqua sit summè frigida patet, quia maximè  
contraria est igni; ergo, cum ignis sit summè calidus  
aqua sit summè frigida oportet. Deinde, frigidum est  
quod congregat Homogenea, & Eterogenea: con-  
stat autem aquam id efficere dum concrescit; ergo,  
summè frigida est. Terra autem esse summè sicciam  
colligitur ex dictis; siccitas enim debet in summo  
alicui competere elemento, cum illa sit possibilis, &  
sit qualitas prima, & simplex: atqui, non conuenit  
igni, nec aéri, nec aquæ: ergo, terræ conueniat ne-  
cessarie est.

DICENDVM 2. eam qualitatem quæ est in gradu  
remissio in aliquo elemento, non fieri huiusmodi per  
admixtionem contraria qualitatis, V. g. remissionem  
siccitatis in igne, non fieri per admixtionem humiditatis:  
nec remissionem caloris in aëre, per admixtionem  
frigoris: nec temperatam humiditatem aquæ,  
per admixtionem siccitatis: aut denique frigiditatem  
terræ per admixtionem caloris. Ita docent communis-

per philosophi, & probatur ratione: nam alioqui tres essent qualitates primæ in quolibet elemento, vna summa, secunda remissa, tertia remittens, vel vna tepida; altera summè intensa. Vnde, ignis qui summè calidus est: admixtam haberet sibi humiditatem cum siccitate; quod tamen inauditum est. Igitur, in quolibet elemento altera qualitas remissa est, sine vlla admixtione contrariae qualitatis.

CIRC A hanc qualitatum combinationem quæri solet, an symbolæ qualitates sint eiusdem speciei inter se licet in varijs reperiantur elementis. Id vt capias, aduerte, symbolas qualitates eas dici in quibus duo elementa conueniunt, vt calor in igne, & in aëre: frigus in aqua, & in terra: dissymbolas vero, in quibus duo elementa discrepant, vt calor in igne, & frigus in aqua.

DICENDVM est, qualitates symbolas eiusdem esse speciei in diuersis elementis. Ratio est, quia 1. vbicumque reperiatur calor, semper est calor; vbi-cumque frigus, semper est frigus: & pariter de cæteris: ergo, siue reperiatur in igne, siue in aëre, siue in aqua, siue in terra, semper retinent suam naturam, quia rerum essentiae sunt immutabiles. 2. si calor existens in igne diuersæ esset naturæ ab eo qui existit in aëre; & pariter frigus aquæ ab eo quod inest terræ: necnon humor aëris ab eo qui inest aquæ sequeretur primò, esse octo qualitates primæ & simplices. 2. vni & eidem qualitati duæ aliae essent contrariae in eodem genere contrarietas: id autem repugnat Aristotelei qui vnicuique qualitati primæ, vnicum posuit contrarium; ergo, ex Aristotele repugnat qualitates symbolas esse diuersæ naturæ in pluribus elementis. Et sanè si ita res esset, calor aëris non posset augeri, per calorem ignis; atqui potest, & post augmentum tota illa qualitas intensa secundum priores & posteriores gradus est eiusdem speciei: ergo, calor aëris, & ignis sunt eiusdem speciei. Idem dicendum de siccitate aëris, & terræ, ac alijs. Inuicem enim augentur, & eamdem constituant speciem qualitatis.

Vltimò eiusdem est rationis calor solis, & ignis, quia eosdem habent effectus; ergo, potiori iure, ignis, & aëris calor erit eiusdem rationis. Stat sequela, quia magis distat essentia solis ab essentia ignis, quam essentia ignis ab essentia aëris; ergo, magis distant proprietates solis à proprietatibus ignis, quam proprietates ignis à proprietatibus aëris: atqui, calor est talis proprietas: ergo. Dices, diuersæ essentiae habent diuersas proprietates: atqui, essentiae ignis, & aëris, sunt diuersæ; ergo, diuersas habent proprietates, & sic aliud est calor aëris, illius verò calor ignis. Respond. calor enim in summo esse proprietatem ignis: in remissio verò, esse proprietatem aëris: sed hoc non impedire quia sint eiusdem speciei. Addunt aliqui calorem natuum quo virtutur anima in viuentibus tanquam instrumento ad cibum coquendum esse etiam eiusdem rationis cum elementari, eò quod ab illo possit augeri, & habeat eundem effectum: sed id crediderim esse falsum, quia nec propriè augetur, nec propriè eundem sortitur effectum. Quantumuis enim esset intensus calor elementaris in stomacho, propterea non decoqueretur cibus, nisi præstò adesset calor nativus, ut per se notum est. Sed hæc de qualitatibus alterius, ad motrices qualitates elementorum progrediatur.

---

## QVÆSTIO IV.

### *De secundis qualitatibus Elementorum.*

**S**E VNDÆ qualitates Elementorum dicuntur illæ quæ oriuntur ex primis. Sunt autem in duplice genere, aliæ enim solis conueniunt mixtis: aliæ verò mixtis & Elementis. Colores enim omnes, & temperamentum ad vitam solis competit mixtis; leuias verò & grauitas Elementis primò per se; mixtis verò per Elementa. Ex calore enim summo cum siccitate

tate remissa, resultat leuitas summa & competit igni ex calore vero remisso, & humiditate summa resultat leuitas remissa, & contenit aëti : pariter ex frigiditate summa, & humiditate remissa fit granitas remissa, & congruit aquæ: ex siccitate vero summa & frigiditate remissa fit grauitas summa, & competit terræ. Vnde, quia ex quatuor elementis sunt mixta eamdem participant grauitatem , aut leuitatem cum elemento quod in illis prædominatur. Aurum enim , ferrum, plumbum cæteraque metalla, & lapilli qui in visceribus terræ, vel in illius superficie ex quatuor elementorum concursu sunt, summe grauia sunt, quia in illis terra prædominatur : pisces vero , arbores, ligna, & alia id genus, in quibus aqua præeminet, minus grauia sunt: at aues & tenuiora corpora, quæ plus minusve aëris, aut aquæ participant leuiora sunt, aut minus leuia, ut notum est, propter maiorem , vel minorem aëris aut ignis participationem : pariter & grauia plus minusve grauia sunt, quia plus, minusve participant, terræ, aut aquæ qualitates. Sunt autem hæ qualitates posteriores , loco motrices: illæ vero priores alteratrices; quia prius debet unumquodque mixtum per alterationem & generationem sui, produci, quam possit per motum localem loco moueri. De alteratiis quo ad esse quod habent in elementis diximus: quoad vero earum operari , dicemus postmodum , ubi de mutua pugna elementorum ; deque actione, & reactione eorum: mox vero de motricibus est differendum.

Quare Philosophi nūm hæ sint plures duabus. Concludunt aliqui ita rem esse. Ponunt alij quatuor iuxta numerum elementorum. Primi aiunt, tot sunt qualitates loco motrices , quot sunt differentiae locorum : atqui duæ sunt illæ differentiae, sursum, & deorsum; ergo, duæ sunt tantum qualitates motrices. Deinde , hæ qualitates sunt grauitas, & leuitas ; ergo duæ tantum. Alij vrgent, tot sunt qualitates motrices, quot sunt elementa, vel sunt quædam elementa quæ non mouentur loco, vel si mouentur, non mouentur proprio motu, sed alieno : atqui, non mouentur alic-

no motu; ergo proprio & sic habent sibi proprias qualitates motrices. Insurgunt alij, Igni & aëri sufficit leuitas: aquæ verò & terræ grauitas: ergo duæ sufficiunt. Alij contrà, non eadem quâ ignis, cietur aër leuitate, sed diuersa, quia velocius ignis, quâ aëris: neque eadem fertur terra grauitate, quâ aquâ sed maiori: ergo quatuor debent admitti qualitates motrices. Ut autem vtrosque conciliemus.

DICENDVM est, qualitates loco motrices esse essentialiter duas; accidentariò verò quatuor. Hæ namque sunt essentialiter grauitas & leuitas: accidentario verò secundum gradum intensum & remissum: atqui intensio, aut remissio qualitatis non mutant speciem; ergo, duæ sunt essentialiter: quatuor verò accidentariò. Quæri posset vtrum sint aliqua tertia entitas distincta à primis, ex quibus resultant. Dicunt aliqui non esse, sed potius quamdam combinationem primarum. Docent alij, esse tertiam aliquam entitatem distinctam, resultantem ex primis, & quidem melius: habent enim diuersos effectus formales; primæ enim tendunt ad alterationem: secundæ verò ad loci mutationem, ergo diuersam habent essentiam. Quæri posset. 1. vtrum elementa, & mixta quæ propriam habent grauitatem & leuitatem, actu leuitent, aut grauitent in proprio loco, hoc est, an quando semel aliquod elementum peruenierit ad proprium locum sibi destinatum, ibi conquiescat, aut ulterius nitatur progredi. Id ut capias, aduerte, proprium locum ignis, esse à supraea superficie aëris, usque ad concauum Lunæ: locum proprium aëris, esse à superficie terræ & æquoris, usque ad Sphæram ignis: proprium locum aquæ, esse super terram: locumverò terræ esse à superficie aëris, & aquæ, usque ad centrum mundi: vel totum illud spatium quod à globo terræ occupatur, ijs positis. Scribit Heustachius à sancto Paulo tractat. de elementis. quæst. 5. nullum elementum ulterius progredi, quando semel est in spatio sibi destinato, dummodo grauiora subsideat, & leuiora eminant. Id probat quibusdam experientijs. Prima est

huiusmodi. Qui sub aquis natant nullum onus sentiat: & qui situlam aquæ in putei fundum demersam sive euehit, non multum laborat dum situla per aquâ sursum effertur: sed statim atque ex aqua emeretur tunc laborare incipit, quia tunc ponderosior aqua præsentitur: ergo certissimum est, aquam non nisi extra illud spatium sibi destinatum grauitate. Sed contrâ, neque enim qui natant sub aquis: neque qui situlam aquæ euehit, ullum onus sentit propter continuatatem aquæ superioris cum inferiori, concedo: propter existentiam superioris aquæ in tali spatio: nego. Si enim quæ superimpositæ sunt aquæ humeris, ab ijs quæ subsunt diuidentur, aut per anihilatiōnem superficie intermediae, aut aliâ viâ, sanè grauitarent suprà humeros natantis. Pariter dum vas est inter aquas, si undequaque anihilaretur aqua circumdans, sanè ponderaret aqua vasis licet in eodem remaneret loco, in quo erat ante hujusmodi aquæ anihilatiōnem: ergo, sola continitas aquæ impedit nè pondus percipiatur. Similiter dicendum de terra, quandiu remanent partes eius undequaque unitæ cum toto globo: unde, si quis paulò à centro terræ deambularet, non minus ibi vestigia pedum imprimeret quam si à leucâ distaret; ergo, signum est propè centrum æque grauitari ac in superficie suprema, quam nos pede calcamus. Quare.

DICENDVM est, corpora grauia quoisque centrum terræ pertigerint ponderare. Per centrum intelligo in grauibus, punctum in meditullio terræ constitutum à quo lineæ ductæ ad circumferentiam cœli, omnino essent æquales: in Iæibus vero, ipsam circumferentiam cœli, quæ à centro terræ æqualiter distat. Hæc doctrina licet noua, videtur tamen certissima, & stabilitur experientia, & ratione. Fodatur enim terra usque ad illud punctum, (non enim ibi villa cernitur implicantia,) tunc sanè decidet lapis proprio ponderè usque ad illud punctum, & ibi conq:iescit, non autem prius: idque secundum partes intime præsentes centro, non vero secundum remo-

tiores, quia cùm à centro, distarent ad illud progrederi niterentur: ratione verò, quia tota moles terræ ideo suis librata ponderibus stat suspensa, quia omnes & singulæ eius partes ad medium illud indivisibile co-nantur proprio impetu peruenire: non possent autem eōusque pertingere nisi quæ sunt remotiores, viciniores comprimant, donec ipsamē centrum sint asse-quutæ: ergo, perpetuò grauitant quo usqæ sint centro intiunè præentes. Dices, id esse contra communem sensum Philosophorum. Hi enim docent vnumquodque in suo loco naturali quiescere. Resp. rem ita esse. Sed nego spatiū illud quod à globo terræ occupatur eius esse locum naturalem per se, sed tantum per accidens: Quatenus scilicet propter impenetrabilitatē partium nequit tota simul in proprio constitui centro. Nec dicas ibi esse violenter, quia partim impenetrabilitas quæ illi naturalis est tollit illam violētiam: partim bonum commune vniuersi quod postulat ut aliud sit spatiū occupatum à terra: aliud repletum aëre: aliud ab igne: aliud ab aqua: vndē spatiū illud occupatum est quidem locus continentia elementorum: sed non quietis elementorum. Dicimus ergo, grauia perpetuò grauitare donec centrum attigerint: leuia verò leuitare donec peruererint ad circumferentiam. Nostra hæc assertio licet certissima sit potest tamen suaderi hoc modo. Qualitates primæ ut calor, frigus, humiditas, siccitas, non cessant ab actu donec peruererint ad ultimum indivisibile terminatiū similis qualitatis quam producunt in materia, ut statim generetur forma: ergo, neque grauitas, aut leuitas cessant ab actu, donec illud ultimum indivisibile terminatiū sui actus attigerint: illud autem ultimum indivisibile est centrum terræ in grauibus, & circumferentia cœli in leuibus, ergo, &c. Stat sequela, nam à centro terræ usque ad circumferentiam cœli progreditur differentia motus sursum: à circumferentia verò cœli usque ad centrum terræ differentia motus deorsum, ut colligitur ex Aristotele lib. i. de Cœlo, vbi triplicem differentiam assignat motus

localis; à circumferentia nempè, ad centrum: à centro ad circunaferentiam; & circa centrum: atqui grauiæ naturali impetu tendunt à circumferentia ad centrum: leuiæ à centro ad circumferentiam: cœli verò circa cœlum, & circumferentiam; idque essentialiter neque potest immutari eorum essentia ergo, neque grauiæ quiescunt nisi sint in centro, neque leuiæ nisi adepta fuerint circumferentiam. Tque ex illis colligitur alium esse locum in quo continentur elementa, nempè spatiū occupatum ab unoquoque: alium verò in quo quiescunt, nempè extreum quod possunt adire. Neque enim grauiæ centrum terræ possunt transgredi: neque leuiæ circumferentiam cœli: sed unumquodque eorum definitam sibi habet distantiam, seu spatiū occupandum. Vniuersa enim machina terræ, infimum spatiū obtinet; æquor, & aër, intermedium: ignis verò supremum. Utrum verò maius sit occupatum spatiū ab igne, quam ab aëre: & ab aëre, maius quam ab æquore: & ab æquore maius quam à terra: non est utique certum. Docent tamen omnes Mathematici, ignem maius occupare spatiū, cum sit omnium elementorum mole amplissimum: nam præterquam quod in longum & latum plus cæteris extenditur, secundum etiam crassitatem cætera elementa vincit plurimum, ex observatione Mathematicorū. Aër etiam amplior est aquâ & terrâ saltem secundum longitudinem, & latitudinem, cum ea duo elementa vndeque ambiat: & fortè longior est distantia à terra, ad ignem quam sit ab una extremitate terræ ad alteram versus profunditatem. Quod spectat ad aquam, & terram, non est dubium quin pensatis omnibus dimensionibus, terra sit maior aquâ: licet enim aqua longior sit & latior; excessus tamen profunditatis in terra respectu aquæ, efficit ut terra sit longè maior aquâ. Est etiam terra præstantior cæteris constantia, firmitate, beneficentia, virtute: antistat aqua virtute, vberitate piscium, & rerum mirabilium, quæ in æquore visuntur: præcellit aëris in eo quod summè necessarius sit ad vitam anima-

lum: sed omnium est præstantissimus ignis quod cæteris omnibus prædominetur, sed hæc nimis puerilia. An mutuò agant & reagant elementa inter se, examinemus.

---

## QVÆSTIO V.

*De mutua pugna clementorum inter se.*

**H**A C T E N V S de qualitatibus alteratricibus, & motricibus elementorum, quarum alijs ad locū: alijs vero ad pugnam inuitantur: modo examinandū occurrit quomodo fiat illa pugna, quomodo agant & reagant illa elementa: quomodo patientur, & repatientur vicissim, vt ex tali conflictu ipsa obeant, & exurgant mixta: sunt enim mixta ex elementis, vt dominus ex lapidibus: & demum resoluuntur in elementis, quemadmodum domus, lapsu, resoluitur in lapides. Plura autem sunt agitanda quæ nequeunt unica questione comprehendendi, sed multiplici. 1. quidem an agant & reagant inter se elementa. 2. an semper detur actio à proportione maioris inæqualitatis. 3. an mutuò possint transmutari elementa, & facilius symbola, quam dissimilata: & an idem agat in seipsum, & simile in sibi simile. 4. quid sit, & quomodo fiat mixtio; & an elementa remaneant in mixto. Ultimò, quid, & quotuplex sit in mixtis temperamentum, & num illud sit tertia quædam entitas à primis qualitatibus distincta. Quoad pugnam elementorum hac questione agitandam, aduerte: vt primùm eò confluxere elementa, vt sint intra sphærā mutuæ actiuitatis, ibi decertent mutuò necesse esse, propter sibi ingenitas qualitates actiuas, quæ vt opposita sunt, & contraria nequeunt sese compati simul. Hic autem confluxus vel syderum vi, vel caesarum sublunarium concursu vel lege quadam interna rebus ipsis, eueniat indubio-

tatum est. Neque enim è proprijs locis secedunt clementia, vt pugnam illam aggrediantur, in qua vel unum ab alio vel omnia simul vinci necesse est, vt ex eorum obitu mixtum ipsum oriatur. Confictus vero quomodo fiat, hoc etiam in conflictu est apud philosophos, nec minus decertant inter se, quam inter se pugnant elementa. Dicunt aliqui fieri hoc modo, vt calida, & frigida in summo: humida, & sicca superent (quod ipsa non sint actiua, sed mere passiua) eaque in sese facile transmutent, vnde sequatur statim mixtum. Ratio primi est quia vim agendi adimunt humidis & siccis quam possint virtuti calidi, & frigidi obsistere, eamque propulsare: ratio secundi est, quia calida, & sicca non nihil deperdunt qualitatis innatae, quo deperdito, pereat & eorum forma substantialis necesse est, cum nequeat hæc permanere nisi sint eius qualitates in summo: sed figura mentum. Tribuit enim Aristoteles vim actiuanam humidis & siccis, æque ac calidis, & frigidis, licet non æqualem: hæc enim actiiora sunt, illa verò hebetiora. Deinde, diminuto calore ignis, & frigore aquæ, non statim pereant eorum formæ ut oriatur mixtum.

Quare alij parùm melius hac de re sentientes humidis & siccis, æque ac calidis, & frigidis vim tribuunt quidem agendi: at non secundum eamdem contrarietatem, neque secundum eamdem partem subiecti. Aiut enim, illud quod calore suo vincit aliud posse quidem humiditate alterius superari: at non frigiditate. Addunt præterea, posse idem secundum unam sui partem agere, secundum verò aliam pati: at non secundum quam agit, secundum & eamdem pati seu repati. Sensus est, elementa secundum eamdem contrarietatem qualitatis, & eamdem partem determinatam subiecti quam agunt, non repati à contrario agente, sed secundum aliam omnino. V. g. dum calor ignis agit in frigis aquæ detrimentum sui non pati censent à contrario frigore aquæ, sed ab illius humiditate; neque id in eadem parte subiecti, in qua ipse

residet, sed in diuersa. At contra, neque enim calor opponitur humiditati, neque frigus siccitati, vt sibi mutuo detrimentum ferant; sed calor frigori opponitur, humor siccitati ergo, dum in medium confusere elementa vt dimicent, secundum eamdem contrarietatem pugnant, & in eadem parte determinata subiecti, quia in qua parte insident in eadem proiis attinguntur, seu repatuuntur a contrario. Verum vt res clarior euadat, explicandi sunt iij termini *actio, passio, reacciō, repassio*, seu in abstracto, *agere, pati, reagere, repati*. *Agere* igitur, est in mutuo conflictu alteri praevalere: *pati* vero, alteri cedere & vinci ab illo. Et quidē, *agentis est repati, patientis vero reagere*. Dum enim ignis in aquam agit, & aqua patitur: ab aqua quae reagit, ignis repatitur. Ijs positis.

**D I C E N D V M** est, in mutuo elementorum conflictu dari actionem & passionem: reactionem & repassionem secundum eamdem contrarietatem, & eamdem partem determinata subiecti. Prima pars patet neque enim alteri opponitur calor, quam frigori; neque humiditas, quam siccitati; ergo, neque agit calor, nisi in frigus: neque humiditas, nisi in siccitatem: ergo, à nullo patitur, seu debilitatur calor, quam a frigore, neque frigus, quam a calore: & pariter ditendum de humore, & siccitate. Neque enim ab alio potest debilitari humor, quam a siccitate: neque siccitas quam ab humiditate. Quasi vero, humor, & siccitas inter se dimicent, cum sece compatiantur in aqua, aut calor cum siccitate luctentur, cum simul adunata sint in igne. Fieri quidem potest ut per accidens dimicent, at non per se primo. Dixi per accidens, hoc est per concomitantiam. Corrupto enim calore ignis, corruptitur & siccitas, propter essentialē connexiōnēm. Secunda pars patet, nam quā in parte subiecti residet calor, in eadem attingitur à frigore, non enim potest attungi nisi ubi est: ergo, datur actio, & reactio in eadem parte determinata subiecti. Sed an detur semper actio à maiori superante imbecilius: videamus.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO XI.

*An derur semper actio à proportione maris  
inæqualitatis.*

**V**T fœtus à matre, & effectus à causa: ita hæc quæstio procedit à præcedenti. Proponitur autem sub ijs terminis, an scilicet semper derur actio à proportione maioris inæqualitatis, hoc est, an actio sit semper à maiori, seu robustiori, in imbecillius: in æqualibus enim nulla est actio. Maior autem inæqualitas se tenet ex parte robustioris agentis minor vero ex parte debilioris. Censent autem aliqui ex duobus contrarijs inæquali virtute dimicantibus fore futurum ut vtrumque æqualiter agat. Rem declarant exemplo, sic calidum ut sex, & frigidum ut quinque, ponantur vero intrà sphæram mutuae actiuitatis, sancè vtrumque elicet actum: calor aget in frigus, & frigus aget in calorem: ergo, vtrobique erit æqualis actio: & sic non datur semper actio à maiore superante imbecillius. Sed contrà, ibi enim est inæqualis actio. Validior enim est actio calidi ut sex, quam frigidi ut quinque. Deinde, calidum ut sex agit, secundum sex gradus caloris; patitur vero à frigido, secundum id solum quod deperdit de calore: è contra vero frigidum ut quinque, agit in calidum, secundum torum suum frigus; patitur vero à calido, secundum id frigiditatis quod deperdit per oppositum calidum. Vnde semper actio est ab agente superante, patientem, id autem caloris quod deperdit in calido minus est frigore, per quod frigidum agit: ergo, si fiat comparatio inter illa duo, maius est frigidum agens, quam calidum patiens quare.

DICENDVM est, semper dari actionem à proportione maioris inæqualitatis. Maior enim est qualitas

quæ agit, quam quæ patitur, hæc enim particula est; illa verò tota qualitas. Deinde, actio debet semper esse inter inæqualia, siquidem nulla est actio æqualis, in æquale: ergo, inæquale maius seu validius agit in debilius: & sic datur actio à proportione maioris, non minoris inæqualitatis. Stat sequela, nam actio est ab eo, à quo resistentia alterius vincitur, & superatur: atqui, resistentia passi vincitur ab actione agéti, ergo agens debet esse semper validius, & fortius patiente: vnde, sapiens Cato, maiori cede: minori parce.

**I**N D E S ORITUR HOC DUBIUM; AN SCILICET IDEM AGAT IN SEIPSUM: & SIMILE IN OMNIUÒ SIBI SIMILE. SIMILE IN SIBI SIMILE AGERE. IDEM EST AC ÆQUALE CUM ÆQUALI DIMICARE. IDEM IN SEIPSUM AGERE, IDEM EST AC SEIPSUM VEL PERFICERE, VEL DESTRUERE, VEL SECUNDUM VNAM SUI PARTEM IN SE AGERE: SECUNDUM VERO ALIAM IN SE PARTI. VT DÙM AQUA REPIDA SEIPSAM REDUCIT IN PRISTINAM FRIGIDITATEM:ILLA ENIM AGIT IN SEIPSAM, PER SUAM FORMAM, PATITUR VERO IN SE, PER SUAM MATERIAM, FRIGIDITAS ENIM PROFLUITÀ FORMA, VT PROPRIETAS AB ESSENTIA, RECEPITUR VERO IN MATERIA TANQUAM IN COMUNI SUBJECTO ACCIDENTIUM. QUERITUR ERGO, AN SIMILE AGAT IN SIMILE, SEU ÆQUALE, IN ÆQUALES; AN VERO, NEQUE VNUM ALIUD VINCAT: NEQUE ALTERUM, AB ALTERO VINCATUR. VERBI GRATIA, AN DUO CALIDA IN pari gradu possint sese mutuò intendere, & augere. HÆC QUÆSTIO OREST SUMI MORALITER, & PHYSICÆ: MORALITER QUIDEM SI SPECTETUR IN DUELLO IN QUO NEC ALTER ALTERUM SUPPERAT, QUIA ÆQUALES SUNT VIRES, PAR ROBUR, & Eadem fortuna: PHYSICÆ VERO, SI SPECTETUR IN IPSO ELEMENTORUM CONFLITU, AUT ETIAM IN CONGRESSU MIXTORUM: AGUNT ENIM INTER SE MIXTA, QUEMADMODUM & ELEMENTA.

**D**IE ENDVM EST, SIMILE NON AGERE IN SIBI SIMILE. ITA ARISTOTELES HOC LOCO, VBI AIT, OMNE AGENS TANTUM INTENDERE SIBI ASSIMILARE PATIENS, FACTA VERO ASSIMILATIONE CESSIONE AB ACTU. FAUET RATIO, NAM OMNIS CAUSA TANTUM AGIT QUANTUM POTES, & TANTUM POTES, QUANTUM VIRTUTIS HABET AGENDI; ERGO SUPRA VIRES NON AGIT; ERGO CALIDUM UT SEX POTES RUM PRODUCERE CALOREM UT

ser: sed non progreedi vltterius , nec amplitis agere in passum calidum vt sex , quia sibi simile est factum , & facta assimilatione cessat actio : & nequit intendi calor ille nisi ab intensiori , nempè à calido vt septem , vel vt octo: ergo , duo calida vt sex non agent mutuò , sed quiescent: natura enim eorum est principium æque motus, ac quietis. Deinde simile, & æquale idem sonant: æquale autem non agit in æquale , quia neutrum vincit , neque vincitur : alioquin æqualia non essent, sed inæqualia; ergo , neque agit simile in simile. Præterea , omnis actio procedit semper à maiori in minus : seu à validiori , in imbecillius: ergo , omnis actio est semper inæqualia, & inter dissimilia, vndè sapiens ac prouida mater, *natura*. Elementa fecit inæqualia : Mixtaque dissimilia , vt vniuersus orbis qui ex varia rerum transmutatione suam trahit propagationem, in perpetuo mixtorum , & elementorum conflitu consisteret. Quod autem elementa sint inæqualis virtutis , patet , nam calor ignis est validior frigiditate aquæ: humiditas aëris actiuor est siccitate terræ: & sic vna qualitas etiam in pari gradu est altera fortior, alioquin non esset actio; & pariter mixta quoque participant elementorum virtutes inæqualis sunt actiuitatis: vt perpetuò agant & reagant , militia enim est vita hominis super terram, hoc est, homo est omnis creatura, quia habet esse cum elementis, motum cum cœlis, viuere cum plantis, sensus cum brutis, & intelligere cum angelis: ergo omnis creaturæ vita, perpetua pugna est super terram , donec omnia siant similia, quia similitudo est causa amoris, & pacis: dissimilitudo verò, *causa iurgij & inimicitie*.

Quod neque idem agat in seipsum patet, nihil enim est seipso similius: nihil seipso æqualius, & actio non est in æquale, neque in simile. Verum duplex est actio, perfectiva scilicet, totius & partis : & corruptiva totius, & partis : nihil autem potest agere in seipsum actione corruptius suisius totius , neque perfectius suisius totius: quia , nequa seipsum potest primò produtere: neque seipsum redigere in nihilum: potest

verò aliquid in seipsum agere actione corruptiua, & perfectiua secundum aliquid sui; quia potest & partim sui dirimere & partem sibi comparare: ut fit in nutritione, & decretione viuentium. Hac enim aliquid dirimitur; illa verò, aliquid comparatur. Dices, potest aqua calida seipsum totam restituere frigiditati: ergo potest idem in seipsum agere actione alteratiua. Nego consequentiam: aqua enim quæ sese in pristinam restituit frigiditatem, non agit in seipsum: sed in suam materiam, ut supra insinuauimus. Aduertè tamen idem posse per accidens agere in seipsum anima enim mouetur, cum corpus mouetur, sed dices, anima non est corpus, ergo licet moueatur ad motum corpori non mouetur à seipsa. Negatur consequentia; quia corpus mouetur ab anima: ergo dum anima per motum corporis mouetur à seipsa mouetur: quia corpus ab illa mouetur, & per corpus illa mouetur: iuxta illud quod est causa causæ, est causa causati. Sed ad transmutationem elementorum progrediamur.

## QVÆSTIO X.

*An Elementa possint inuicem transmutari; & facilius quæ symbola sunt, quam quæ dissimilata, idque immediate, vel mediata.*

**S**ENSUS quæstionis est utrum elementa quæ ordinantur naturâ suâ ad compositionem mixtorum, debeant prius transmutari inuicem, quam possit ex illis mixtum resultare: vel utrum immediate fieri mixtum ex elemētis alteratis, nullo pacto inuicem transmutatis. Quærit item titulus quæstionis, utrum, licet non debeant elementa prius inuicem transmutari quam possint ingredi compositionem mixti: possint tamen inter se transmutari immediate.

**N**EGRANT nonnulli, unum elementum posse imme-

diatè conuerxi in aliud propter illud Aristotelis lib. 1. Physicorum *principia sunt qua neque ex se se mutuo, neque ex alijs fiunt; sed omnia ex ijs.* Ratio est quia elementa sunt prima principia, ergo, neque ex se se pos- sunt fieri, neque ex alijs, sed sola mixta, ex ipsis. Sed contra, elementa, sunt prima principia mixtionis con- cedo: sunt prima principia generationis, nego: allata autem definitio tradita fuit ab Aristotele de solis principijs generationis, non mixtionis. Probant, 2. si esset vllum elemētum quod posset conuerti in aliud, maximè aqua in ignem, vel ignis in aquam: atqui dum ignis injicitur in aquam resoluitur in exhalationes: dum verò aqua injicitur in ignem resoluitur in fumum & vapores: ergo, neque aqua conuertitur in ignem: neque ignis in aquam: & sic vnum elementum non est transmutabile in aliud immediatè, sed tan- tum mediatè quatenus scilicet, aqua resoluta per ignem in vapores possunt iij vapores inflammari & con- uerti in ignem: & exhalationes quæ fiunt ex igne pos- sunt inclinari in aquam. Sed contra, nàm aqua im- mersa igni partim quidem resoluitur in vapores, sed partim conuertitur in ignem: & ignis immersus aqua partim quidem resoluitur in exhalationes: sed par- tim in aquam transmutatur. Quare.

DICENDVM est, posse elementa transmutari imme- diatè, & facilius quæ symbola sunt, quàm quæ dissym- bula, prima pars patet nàm primò, habent commu- nem materiam quæ est capax omnium formarum nec potius appetit formam mixti quàm formam elementi, ergo, non est implicātia quin ignis agendo in aquam, aut in aëre possit quæ immediatè conuertere aquam, aut aërem in se, quàm in mixtum, ratio conuincit, nàm vnumquodque intendit producere sibi similes, ergo elementum intendit producere prius simile ele- mentum quàm vllum mixtum: quinimò, videtur esse omnino peraccidens quod elementa conuertantur in mixta: cùm ex propria inclinatione intendant tan- tum producere alia elementa sibi similia. Deinde con- fluere possunt intrà sphērā mutuæ actiuitatis, vbi erit

actio, & reactio : donec eo perueniat pugna ut vnum  
deuincat aliud, illiusque formam expellat & suam in-  
troducat : ergo, potest vnum in aliud conuerti imme-  
diatè, nec opus est, ut conuertatur in mixtum, & dein-  
de in elementum. 2. pars liquet, nam maior requiri-  
tur vis ad contrarium expellendum, quam ad simile  
gignendum, & perficiendum: ergo, difficultius conuer-  
tuntur elementa dissymbola inter se; quam symbola.  
Id patet exemplo, sit ignis calidus ut octo, & aer cali-  
dus ut quatuor; facilis conuertetur iste aer in ignem,  
quam aqua frigida ut octo. Ratio est, quia ad conuer-  
tendum illum aërem calidum ut quatuor in ignem,  
tantum requiritur, ut ignis augeat illum calorem, in-  
troducingo quintum, sextum, septimum, & octauum  
gradum caloris: sed, ad conuertendū aquam in ignem,  
requiritur necessariò, ut ignis per suum calorem ex-  
pellat octo gradus frigoris qui sunt in aqua, & produ-  
cat in ea octo gradus caloris; quod nequit fieri sine  
magno certamine & conflictu illarum qualitatum:  
ergo, facilis transmutantur inter se elementa sym-  
bola, quam dissymbola. Vnde prouida mater, *natura*,  
immediatè post ignem constituit aërem in calore  
symbolisantem; remotè verò posuit aquam: quæ in  
nullo conuenit cum igne: ut inde sciamus, facilis  
transmutari inter se elementa symbola, quam dissym-  
bola: propter maiorem similitudinem, idemtitatem &  
unitatem. Suadet ratio, nam simile, simili gaudet; pa-  
res, cùm paribus facilimè congregantur: hæc omnia  
satis indicant facilis adunari quæ sunt similia, quam,  
quæ dissimilia: & sic symbola elementa facilis  
transmutantur, quam quæ dissymbola. Deinde, ele-  
menta symbola vnicam habent qualitatem angen-  
dam, & nullam expellendam: dissymbola verò, duas  
habent qualitates expellendas, & duas introducen-  
das, ut patet in igne conuertente aquam: atqui faci-  
lius est opugnare vnum, quam duo, cùm nequidem  
**Hercules** contrà duos; ergo, facilior est conuersio  
elementi symboli, quam dissymboli.

NVM VERÒ, EX DUOBUS ELEMENTIS INTEGSE DILICANTI-

bus, possit aliud tertium diuersæ speciei, exurgere, non est ita certum. At, ut id capias, nota id sumi duobus modis. Primo quidem, ita, ut utrumque non corruptatur, sed alterum duntaxat, remaneat vero aliud, quod aliud educat in specie diuersum. Secundo, ita, ut utrumque corruptatur, & ex illis resultet aliquod tertium. Docent Complutenses disp. 11. de elementis q. 3. §. 2. ex duobus elementis symbolis ad inuicem corruptis, non posse aliud tertium elementum, specie distinctum produci ab utroque: posse vero ex duobus dissymbolis, aliud diuersæ speciei resultare. Primum probant, nam ad hoc ut ex duobus elementis aliud tertium generetur, oportet ut in illo maneat aliqua qualitates elementorum quæ sint dispositiones ad illum tertium, sed hoc nequit fieri, quod probant, nam sit pugna inter ignem & aerem ex qua pugna debeat gigni aqua aut tera: vel debet remanere in materia quæ fuit aeris & ignis siccitas summa, cum frigiditate remissa, ut fiat terra: vel frigidas summa, cum humiditate remissa, ut fiat aqua: at qui hoc non potest, neque enim siccitas summa repetitur in igne, aut in aere; ut illam possint communicare materiae propriæ in ordine ad formam terræ: neque etiam frigiditas summa cum humiditate remissa, ut illam possint communicare materiae propriæ in ordine ad formam aquæ: ergo, nequit fieri elementum diuersæ speciei ex duobus symbolis, & in hoc quidem rectè Complutenses; sed in secundo errant. Aiant enim ex duobus dissymbolis fieri posse aliud tertium in specie diuersum. V. g. ex igne & aqua, terram, & aerem: & ex aere & terra: ignem & aquam, hac ratione, quando aqua, & ignis rixantur, & aquæ frigiditas corruptitur a calore ignis: & siccitas ignis destruitur ab humiditate aquæ, tunc corruptitur utrumque scilicet, ignis & aqua, & remanet in materia humiditas, cum calore: ergo, ex inde poterit resultare aer qui calidus est & humidus. Sed contra, nam ibi non remanet humiditas summa sed remissa: ergo, ibi nequit forma aeris generari. Stat sequela, nam forma non in-

introducitur quin præcesserint dispositiones: ergo, nequit forma aëris gigii nisi ubi est humiditas summa: ut patet, & sic de cæteris.

DICENDVM est igitur, vnum elementum posse quidem immediatè conuerti in aliud: sed non posse aliquod tertium specie diuersum resultare ex duobus corruptis, sed debere sequi aliquod mixtum necessariò. Ratio est euidens, nam pugna duorum elementorum cùd deuenit ut qualitates utriusque sint adeò debitæ, ut nulla sit in gradu summo, sed omnes in gradu remissio: ergo, nulla forma elementaris potest exurgere ex illis, cùm debeat in unoquoque elementorum esse aliqua qualitas in summo; debet tamen necessariò exurgere aliqua forma in illa materia, quæ fuit elementorum cùm nequeat existere sine forma: & nulla est ibi forma elementaris, ut patet, quia corrupta est utraque: ergo, sit forma mixti oportet. Finit igitur mixta ex elementis: estque elementorum corruptio, mixtorum generatio, ut patet, sit igitur.

## QVÆSTIO XI.

*De mixtione elementorum, & an elementa  
remaneant in mixtis.*

PRIMVM quid sit mixtio, deinde qua ratione fiat, est examinandum. Mixtio dicitur primò, productio mixti; est enim aliqua generationis species. Secundò dicitur dissimilium coaceruatio: per eam enim elementa quæ dissimilia sunt in vnum adunantur. Tertiò propriè dicitur miscibilium alteratorum vnio, atque hoc modo sumimus cum Aristotele lib. i. de ortu cap. 10. mixtio enim ut vox sonat non est præcisè eductio formæ mixti, in materia: quæ fuerat elementorum, neque eiusdem vnitio, seu vnio cum tali materia: quia prius debet disponi materia, quam educa-

dur forma, & forma prius educi, quam vniatur materia: & educi nequit, quin materiae elementorum sint inter se vnitæ, nec alio modo vniuntur quam per mixtionem; ergo, mixtio, non est formæ mixti eductio, neque illius vnitio; sed miscibilium alteratorum vnio. Hæc explicatio germana est, & menti Aristotelis consentanea. Sed ex modo quo fit mixtio, magis elucescit eius natura. Fit autem mixtio hoc modo, cōfluunt in unum elementa; ibi agunt, & reagunt, pugnant, dimicant, luctantur. In tali conflictu pereunt paulatim eorum virtutes, seu qualitates, quæ cum sint earum formarum conseruatrices, nequeunt hæc formæ non obire, illis omnino auulfis. Cum igitur eò deuenierunt qualitates, ut sint refractæ usque ad certam temperiem quæ sit debita dispositio mixti, pereunt formæ elementorum, & gignitur forma mixti, ita ut quinque concipiamus instantia naturæ in eodem instanti temporis: primum in quo fit adunatio elementorum alteratorum: secundum, in quo pereunt formæ elementares: tertium, in quo educitur forma mixti: quartum, in quo illa forma vnitur materiae quæ fuit elementorum, quintum, in quo resultat mixtum. Num vero elementa remaneant in mixtis, hoc in lite est, inter Philosophos. Docent medici cum suo Galeno, elementa remanere in mixtis secundum materiam, formam & qualitates: negant vero Peripatetici, afferentes remanere tantum secundum materiam & qualitates refractas, non autem secundum formas.

R A T I O Galeni est huiusmodi, unumquodque ea continet formaliter in quæ tandem formaliter resolutur: at qui mixta resoluuntur formaliter in elementa; ergo elementa continentur formaliter in mixtis. Probat minorem, nam lignum resoluitur in Flammanum, fumum, spumam, & cineres: at cineres denotant terram, spuma, aquam: fulmus, aërem: & flamma, ignem; ergo quatuor sunt elementa formaliter in mixtis: si enim in ligno, quidni in alijs omnibus? stat sequela, nam lignum non est perfectius mixtum, cui soli id debeatur. Vult tamen Galenus formas ele-

mentares non esse in mixto secundum totam suam perfectionem, sed secundum imperfectionem quamdam; eo ferè modo quo insunt qualitates, nempe in gradu remisso. Putat enim substantiam suscipere magis & minus, sed Aristoteli aduersatur & rationi. Aristoteli quidem, docenti substantiam esse in individuabili quoad intensionem, rationi verò suadenti plures formas substanciales non subordinatas non posse esse simul in eadem materia. Sequitur tamen Galenum Auerroes lib. 3. de cœlo, comitiento 67. vbi censet in quois mixto reperiri quatuor elementorum formas, sed aliquantulum refractas, & vt ita dicam imperfetiōres quām sunt in puro elemento. Putat enim eas esse imperfectiores, formis mixtorum; proindeque ad imperfectionem accidentium accedere, & sic, vt accidentia intendi & remitti. Scribit enim ibidem, in mutua elementorum pugna non tantum qualitates refringi, sed etiam formas substanciales: easque fieri remissiores, & sic constitutas, in mixtis remanere, & una cum propriâ formâ mixti unum per se substantialiter componere. Sed contrà, nam tota essentia substantia s̄istit in eo quod sit ens per se subsistens, at qui id quod per se subsistit, individuabiliter subsistit, non autem dividibiliter alioquin quā parte minus per se subsisteret, inhäretur: & sic substantia esset accidens ergo, dividibiliter subsistit, & sic non suscipit magis & minus, sed probatur conclusio per partes. Prima est, elementa remanere in mixtis quoād materiam quia eadem materia quæ fuit elementorum, est postea in mixtis. Secunda est, qualitates elementorum refractas remanere in mixtis, quia in tali temperie sunt debita dispositio ad formam mixti. Tertia verò est elementa non remanere in mixtis secundum formas, quod probonam. 1. nulla forma substantialis remanet in materia vbi non sunt eius dispositiones: at in mixtis non sunt dispositiones formarum elementorum: sed formæ mixte: ergo. Stat sequela, nam dispositio formæ elementaris est altera qualitas in summo. 2. plures formæ diuersæ speciei non possunt simul esse in eadem

numero materia nūl sūnt essentia liter subordinata, vt  
sunt forma oīlis, carnis, nerui, quæ subordinantur  
animæ: atqui, formæ clementorum neque sibi, neque  
alijs subordinantur; ergo, neque uat esse simul in ea-  
dem materia. 3. si formæ clementorum essent simul  
cum forma mixti, pariter adessent earum qualitates,  
idque intra sphærā mutua actiuitatis, sicque ibi  
agerent, atque reagerent: & mutuò se dissiparent: at-  
qui, id non concedunt Galenici: nec proinde conce-  
dant necesse est, quod formæ clementorum sint actu  
in mixto. Dices nōn sunt in gradu intenio, sed in  
gradu remisso, vt qualitates. Sed contrà nam substan-  
tia non intenditur, neque remittitur, vt qualitates.  
Ultimò, si formæ clementorum remanerent in mixtis,  
generatio vnius, non esset corruptio alterius: gene-  
retur enim mixtum, & non corrumperetur elemen-  
tum, quod tamen Aristoteli obest. Melius est igitur si  
dicamus solam materiam, & solas qualitates elemen-  
torum refractas remanere in mixtis, non autem for-  
mas, nisi virtute tantum, quatenus scilicet qualitates  
quæ remanent, possunt inclinare mixtum ad sui con-  
uerzionem in elementum. Sed quænam sit temperie  
primarum qualitatum in mixtis videamus.

---

## QVÆSTIO XII.

*Quid, & quotuplex sit temperamentum in mixtis.*

**T**EMPERAMENTVM, quod ex harmonia, seu con-  
centu primarum qualitatum resultat in mixto,  
temperis est; seu potius primæ qualitates certa qua-  
dam ratione in mixto, attemperatæ. Diuiditur autem,  
1. in temperatum, in quo nulla qualitatum notabili-  
ter excedit: & intemperatum, in quo dñe notabili-  
ter excedunt, cæteris inter se perfecte contemperatis.  
2. diuiditur in temperamentum iustitiae: & tempera-  
mentum ad pondus. Primum est idonea cuiusque

mixti dispositio:& dicitur iustitiae, quia cuilibet mixto debetur, ex propria natura: secundum verò, est illa æqualitas qualitatum, quarum alia, alteram non excedit, nec ab altera exceditur, & dicitur ad pondus quia quælibet qualitas quantum potest ponderat. Verùm istud duplex est; vnum, in qualitatibus alteratiuis; alterum in loco mouentibus. Primum est, quando omnes qualitates primæ, calor, frigus, humiditas, & siccitas, essent simul in pari gradu, & in pari intensione secundum verò, quando leuitas, & grauitas essent æqualiter in aliquo subiecto. Sed duplex est iterum vtrumque: nempe innatum, & aduentitium. Innatum esset, si Deus aliquod produceret corpus cui natura sua competenter omnes qualitates primæ alteratiæ, aut loco motiæ, in pari gradu, & pari intensione aduentitium verò, si per agentia naturalia casu, aut fortuito inducerentur huiusmodi qualitates æqualiter intensæ in aliquam materiam, ijs positis quæri solet à Philosophis vtrum detur, aut sit possibile in mixtis vtrumque illud temperamentum, ad pondus, & ad iustitiam.

SCRIBIT de Raonis disp. de mixtis propositione 1. q. 2. vt plurimùm non dari temperamentum iustitiae in mixtis: sed ego existimo semper dari temperamentum iustitiae in mixtis. Probo vna ratione, temperamentum iustitiae est talis temperies primarum qualitatum, quæ sit debita dispositio ad formam mixti: ergo, semper est temperamentum iustitiae. Probatur minor, nám semper datur mixtum, seu productio mixti: ergo, & dispositio ad mixtum: vnde, vel tollenda de medio generatio formæ mixti, vel admittendum est temperamentum iustitiae: & sic tollitur generatio; tollitur & corruptio, cùm generatio vnius sit corruptio alterius: at sublata corruptione rerum quid sequeretur quæm perpetuitas orbis, immortalitas rerum, & plura quæ obsunt experientiae. Quare.

DICENDVM est, in omni generatione mixti, dari necessariò temperamentum ad iustitiam. Ita docet vniuersa schola, & patet, nám illa temperies est debita

dispositio ad formam mixti: atqui nulla forma mixti gignitur, nisi sit in materia debita dispositio: ergo, in quacumque generatione mixti, datur necessariò temperamentum ad iustitiam. De temperamento ad pondus, censem quidam Medicorum cum suo Galeno 1. de temperamentis, exteriorem illam cutem quæ manum, maximèque digitos contegit hocce temperamentum obtinere, nec proindè, illud denegandum esse vniuerso corpori humano, cùm cæteræ corporis partes non peioris sint conditionis. Sed contrà, nam protius impossibile est viribus naturæ, ut omnes primæ qualitates sint simul in pari gradu, & intensione in eodem mixto, vnde, in singulis prædominari semper aliquod elementum docent Philosophi. Quare.

DICENDVM est, non dari naturaliter temperamentum ad pondus siue innatum siue aduentitium, in qualitatibus alteratiis, aut loco mouentibus. In omni enim mixto semper est aliquod elementum quod prædominatur; nempe terra, aut aqua, in grauibus: ignis, aut aër in leuibus: ergo, & qualitates illius alteratiæ in eodem mixto excedunt: non sunt ergo temperatæ ad perfectam æqualitatem: ac proindè, non datur in illo temperamentum ad pondus. Confirmatur nam, si esset in illis tale temperamentum, esset æqualis grauitas: & æqualis leuitas: atqui, si ita res esset neque sursum, neque deorsum tenderet illud mixtum; quia nec præualeret grauitas; nec dominaretur leuitas; ergo, sisteret immobile quod videtur omnino repugnare naturæ, quæ ex æquo principium est motus & quietis. Nec refert quod primis Parentibus, & Christo Domino illud tribuerint Theologi non pauci; & futurum sit in corporibus beatorum: quia in beatis, nulla est futura contrarietas primarum qualitatum: nulla alteratio, nullaque corruptio. In primis vero parentibus, & in Christo Domino talem temperiem extitisse qualitatum, ut fuerit ad pondus, nego, propter allatam impossibilitatem. Præterea, primi parentes, & Christus Dominus eisdem quibus nos obnoxij erant alterationibus, frigoris caloris,

&c. ergo, videtur neque etiam in illis non extitisse temperamentum ad pondus. Quare vtrum temperamentum iustitię quod diximus esse in mixtis aptam dispositionem ad formam mixti, cūm fiat ex permixtione primarum qualitatum, sit quædam tertia entitas distincta à primis qualitatibus refractis; vel ipsæmet qualitates attemperatae. Resp. non esse tertiam aliquam qualitatem distinctam specie à primis qualitatibus; sed ipsæmet qualitates, ad certam quemdam temperiem redactas, quæ sit debita dispositio mixti. Sed hæc de elementis, eorumque mixtione; ad mixtorum generationem, progrediamur.



# DISPUTATIO TER TIA.

---

*DE GENERATIONE, ET  
corruptione rerum naturalium.*



VNC ordinem sequutus est Aristoteles, vt octo libris physicorum attigerit corpus naturale quâ naturale, lib. de Cœlo, idem qua mobile ad locum: libris verò de ortu, quâ mobile de forma in formam: & de qualitate, in qualitatem. Generatio autem & corruptio hoc loco idem sunt ac ortus, & interitus: quidquid enim oritur in rerum natura, generatur: quidquid verò interit, corruptitur. Sunt autem res quæ oriuntur, & intereunt, vel substantiæ vel accidentia. Substantiæ dicuntur propriè generari, & corrupti: accidentia verò corrupti quidem, sed alterari, non generari: fiunt enim alteratione, non autem generatione, vt substantiæ. Naturam igitur generationis, & corruptionis aggredimur explicandam, simul & alterationis. Et quidem. 1. quid sit generatio, & corruptio substantiæ, & quinam sint earum termini & principia. 2. An generatio unius sit corruptio alterius. 3. An fiat resolutio usque ad materiam primam.

Deinde ad alterationem, intensionem qualitatum, nutritionem, augmentationem, rarefactionem, & condensationem progrediemur: sit igitur.

## QVÆSTIO I.

*De essentia, & existentia generationis,  
& corruptionis.*

**G**ENERATIONIS essentia, quadruplici solet definitione explicari, dicitur enim. 1. *Mutatio* totius, in totum nullo sensibili remanente. 2. *Mutatio* à non ente, ad ens. 3. *Mutatio*, à substantia potestate, ad substantiam actu. 4. *Mutatio*, à priuatione ad formam, in materia. Addunt Theologi. 5. quæ & diuinis accommodatur, nempe, ut sit processio, unius ab altero secundum similitudinem natura, ex ijs autem definitionibus prima & ultima ab alijs segregatur: ceteræ vero idem prorsus sunt, nec nisi penes vocabula distinguuntur. *Mutatio* enim à non ente, ad ens: seu à substantia potestate, ad substantiam actu, idem sunt ac *mutatio* à priuatione ad formam in materia: priuatio siquidem, idem est, ac non esse formæ, seu potentia ad formam. Ijs prælibatis, queritur an generatio sit possibilis, vel an existat actu. Negat Anazagoras, & cum eo plerique Antiquorū, afferentium nihil produci de nouo preter accidentia, quod putent corpora naturalia constare sola materia immutabili & incorruptibili, & ex accidentibus corrupribilibus. Sed errant, neque enim sola materia est tota essentia cōpositi: neque materia cum accidentibus, sed materia, & forma: constat autem materia esse ingenerabilem; formā vero generabilem: ergo datur generatio. Stat sequela nam cōstat, elementa in mixta transmutari, & mixta in elementa conuerti per mutuas generationes: est enim vis indita singulis rebus corporeis sibi similitudine in specie procreandi, ut ea quæ secundum individuationē peritura sunt, possint substantiam

in suis speciebus cōseruari. Dicitur enim vulgo, quod species per sua individua conseruatur: incorruptibilis vero non est indita vis sui similia procreandi, quia nulli subiiciuntur corruptioni: sed per se subsistunt, nec illa vi possunt definere, nisi per diuini concursus subtractionem: nec fieri, nisi per creationem, unde ex nihilo fiunt, & in nihilum definunt. Corruptione vero quae opponitur generationi, mutatione dicitur ab esse formæ, ad non esse formæ in materia, seu à substantia actu, ad substantiam potentia; seu à forma ad sui priuationem in materia: estque motus priuationis: generatio vero motus est positivus quia tendit ad formam, quae positiva est. Quæritur autem, utrum hæc actio quæ generatio dicitur, sit realiter distincta à prævia alteratione, vel idem realiter cum alteratione. Dixi à prævia alteratione, quia nulla sit forma nisi præcesserint dispositiones, & consequenter nulla est generatio, quin præcesserit alteratio, quia præviae dispositiones fiunt per alterationem, forma vero per generationem.

SCRIBUNT complutenses disp. 2. de generat. q. 2. §. 5. quamvis sit probabile generationem esse actionem realiter distinctam à tota alteratione præcedente: probabilius tamen esse, non distingui realiter ab illa. Probant hoc modo, si generatio substancialis per quam fit forma esset actio distincta realiter ab alteratione præcedente, substantia creata esset per se immediatè operativa, at hoc implicat. Stat lequela, nam qualis est terminus immediate per se productus, talis debet esse virtus operativa, seit principium proximum operandi: ergo, si forma fiat per actionem distinctam ab alteratione, eius principium effectuum erit substantia agentis, & sic substantia erit per se primò operativa. Sed contra, nam docent ijdēm disp. de causa efficiente q. 5. §. 2. accidentia concurrere tantum instrumentaliter, & dispositiū ad productionem substantiæ: ergo, Substantia est productua alterius substantiæ: & sic alteratio per quam fit dispositio ad formam, per illos, distin-

sta est à generetione per quam fit forma. Addunt tamen eodem loco formam substantialē agentis esse rationem agendi, & producendi aliam formam: quo posito sic arguo, vbi est duplex ratio agendi ibi est duplex actio, atqui in alteratione, & generatione est duplex ratio agēdi, nēmpe qualitates actiuæ è quibus effluit alteratio; & forma substantialis agentis è qua effluit generatio alterius, ergo alteratio, & generatio realiter differunt, quia sunt diuersæ actiones. Vnde, qualitates dispositiuæ fiunt à qualitatibus agentis; forma verò genita, fit à forma agentis: nec indè sequitur substantiam esse immediatè operatiuam ut falso putant compl. quinimo, indè arguitur, substantiam esse operatiuam medijs accidentibus, quatenus forma agentis non potest formam sibi similem generare in materia, nisi medijs dispositionibus per alterationem introductis in materia. Quare.

D I C E N D U M est, generationem esse actionem realiter distinctam à tota præcedenti alteratione. Probatur, generatio est actio quā fit forma atqui transiuit tota alteratio antequām fiat forma, quod probo, forma non potest gigni, nisi sint omnes dispositiones completæ, atqui completis dispositionibus cessat alteratio: quod probo, nam posito termino cessat actio, atqui præuiæ dispositiones sunt terminus alteracionis: ergo positis dispositionibus in actu completo cessat alteratio: & debent esse dispositiones actu completæ, ante quām possit generari forma; ergo multum distat generatio à tota prævia alteratione. Probatur. 2. Nam actio substantialis non minus differt ab actione accidentalī quām differat substantia ab accidente: sed accidens differt realiter à substantia, est enim unum in alio subjectuè per realem inhæsionem, & quidquid eodē modo est in alio realiter differt ab illo: ergo actio substantialis differt realiter ab accidentalī, & consequenter generatio, ab alteratione, est enim alteratio actio accidentalis cùm procedat ab accidente & terminetur ad accidens: generatio verò est substantialis quia à substantia procedit, & terminatur ad

substantiam. 3. productis dispositionibus in aliqua materia, posset Deus impedire eductionem formæ: v. g. Introductis organis in corpore humano posset Deus non introducere animam rationalem: vel introducto calore in summo cū siccitate remissa in aliqua materia, itavt, necessariò iuxta ordinem constitutum in natura deberet gigni forma ignis; posset Deus impedire huiusmodi, introductionem; ergo, tunc esset alteratio sine generatione: ergo, realiter differt una ab altera. 4. termini realiter distincti petunt actiones realiter distinctas, si unus possit conseruari sine alio cum rei conseruatio sit prima rei productio continua: atqui, forma, & dispositiones, sunt termini realiter distincti, quod probo, scilicet per prius, & per posterius, ergo realiter differunt. Deinde, alteratio est essentialiter successiva: generatio vero instantanea, ut etiam ipsi fatentur Complutenses qua parte dicunt cum Aristotele substantiam non suscipere magis & minus, sed sistere in indivisiibili & sic secundum se totam fieri in instanti; vnde dicunt alibi non dari motum successuum, sed instantaneum ad substantiam & quantitatem: atqui actio instantanea differt realiter à successiva; ergo, & generatio ab alteratione. Sed ultimo probatur nostra doctrina ex ipsis Complutentibus disp. 2. 4. 1. §. 1. vbi distingunt duplē generationem unam simpliciter; alteram vero, secundum quid. Generationem simpliciter vocant illam quā sit forma: generationem secundum quid vocant alterationem qua fiunt dispositiones: ergo, ex illorum mente realiter differt generatio formæ, à tota prævia alteratione. Multum displiceret quod aiunt q. 2. §. 5. nimirū generationem esse puram resultantiam terminatam, ad formam substantiam: indē enim sequitur formam non propriè educi, sed resultantia quadam exurgere, eo modo quo passiones effluunt ab essentia: quis autem vñquam audierit tantum figuratum; At, quid scribunt disp. 4. de forma subst. q. 2. §. 3. nisi formas educi de potentia materiæ, & quid est educi, nisi vera actione fieri, non autem per re-

388 PHYSICA TOLOSANA,  
sultantiam: & cùm sint propugnatores doctrinæ Thomisticæ, sanè cum Thomistis debent afferere, materiâ prius recipere actum substâialem, quâm accidentalē: cùm igitur forma sit actus substantialis; dispositio-nes verò actus accidentalis, necesse est ut forma prius, recipiatur in materia quâm accidentariæ dispositio-nes; & sic, forma non potest fieri per resultantiam ex præuijs dispositionibus: sed potius præuiæ dispositio-nes fiunt per resultantiam ex præexistente forma. Sed hæc omnia absurdâ, & contra communem sensum. Scholæ: ergo, melius est si dicamus, alia actione fieri præuias dispositio-nes, alia verò formâ substâialem, quæ sint actiones veræ, & realiter distinctæ: cùm sint per prius, & per posterius, ad terminos realiter distinctos, & possit vna existere sine altera. Sed qui sint termini generationis videamus.

---

## QVÆSTIO II.

### *De terminis generationis substancialis.*

**T**ERMINVS generationis, hoc loco idem est, ac principium. Vndè tot sunt termini, quot principia generationis, totidemque corruptionis. Secundum communem sensum scholæ tres sunt huiusmodi termini, nempè materia *terminus in quo*: priuatione, *terminus à quo*: & forma, terminus ad quem: fit enim generatio à priuatione, ad formam, in materia: ergo, sufficiunt illi tres termini. Docent omnes Philosophi præter Thomistas *terminum in quo*, generationis, esse materiam primam affectan quantitate, & qualitatibus disponentibus illam ad formam recipiendam, quia, inquiunt, in eodem subiecto est generatio in quo est forma; est autem forma in materia disposita, & affecta quantitate: ergo, & generatio est in materia, quia fit in materia, & in eamdem, inducit formam. At Complutenses disp. 2. de generat. q. 6. §. 2. aperte negant,

Materiam esse terminum in quo fit generatio; sed totum compositum, ac proinde generationem non recipi in materia affecta quantitate, & alijs dispositionibus accidentalibus: sed in toto composito. At scribunt disp. 4. de forma substantiali. q. 2. §. 3. omnes formas substantiales materiales educi de potentia solius materiae, & educi secundum illos est generari: ergo, secundum illos omnis forma generatur in sola materia: ergo, non in toto composito: debent igitur, aut negare formas educi de materia: aut concedere eas recipi in materia; non in toto composito. Et sanè si formæ sint in toto composito, non in sola materia, duæ formæ substantiales sunt simul in quolibet toto; ea nempè quæ constituit totum, & ea quæ gignitur in toto. Quod tamen negat disertis verbis disp. 4. de forma subst. q. 6. §. 2. vbi docent implicare contradictionem, quod, duæ formæ substantiales sint simul in eodem subiecto: sed ipsi viderint. Dicendū est terminum in quo fit generatio, esse solam materiam primam affectam qualitate, & alijs accidentibus dispositiuis. Probatur ex Complutensibus disp. 2. de generatione substantiali. q. 2. §. 3. contra eosdem, eadem disp. q. 6. §. 2. Dicunt enim suprà, generationem resultare ex alteratione, adeòt eadem actio sit alteratio prout disponit materiam, generatio verò prout attingit formam: ergo, sentiunt in eodem esse subiecto generationem, in quo est alteratio; & consequenter formam esse vbi sunt dispositiones. Atqui dispositiones non sunt in toto composito, sed in materia, est enim inauditum totum compositum disponi, sed solam materiam: ergo forma non recipitur in toto, nec consequenter generatio. Deinde, docent disp. 2. de principijs entis naturalis. q. 2. §. 2. tria esse principia generationis, materiam, formam, & priuationem: ergo, cùm ex professō inuestigant libris de ortu quænam sint principia, seu termini generationis, memores sint oportet eorum quæ tradiderant disp. de principijs; vel fateantur necesse est se in principijs errasse, sed age. Generatio est in illo subiecto in quo gignitur forma;

arqui, forma non gignitur in toto composito sed in materia: quia non educitur de composito, sed in materia: ergo, non recipitur in composito, sed in materia. Deinde, ex composito, & forma, non sit totum, sed ex materia & forma: ergo, forma non est in composito, sed in materia. Ultimò, ex Complutensibus & alijs Thomistis fit resolutio usque ad materiam primam, & materia prima recipit in se prius actum substantialem nempè formam, quam accidentalem: ergo forma non est in composito tanquam in subiecto, sed in sola materia.

*Quod spectat ad terminum à quo procedit generatio.* Scribunt aliqui illum esse formā præcedentem, alij vero solam priuationem formæ generatæ & quidem melius, cum constet totam essentiam generationis esse sitam in eo quod sit transitus de priuatione ad formam in materia, ut patet in prima rerum productione, & sit per accidens quod præcedat forma expellenda. Terminum vero ad quem tendit genario duplicum faciunt Philosophi, *mediatum nempè, & immediatum.* Vel ut volūt alij: alius est terminus qui: alius vero terminus quo. Terminus qui, ille est qui propriè inteditur producere natura: terminus quo, ille est quo medio alius attingitur à natura. Hoc sensu terminus qui in medicina, est sanitas, terminus quo est medicamentum. Quod spectat ad nostrum propositum. Scribunt aliqui terminum, qui, in generatione non esse formam generandam, sed eius unionem, quia totum non resultaret posita forma, nisi uniretur materia, alij vero respondent unionem esse quidem conditionem sine qua totum non resultaret, sed tamen formam propriè gigni, ut id quo medio resultat totum constitutum, & quidem recte. Scribunt Complutenses dis. 2. degenerat. q. 3. s. 3. terminum, quo, esse quidem formam substantialem: sed terminum, qui, non esse compositum ex materia & forma: sed suppositum ipsum ex prædicta natura totali coalescens, ubi distingunt speciem ab individuo, & dicunt solum individuum produci: non autem ipsam speciem, absque individuatione.

ne. At , quis vñquam potuerit imaginari solam speciem posse produci cùm individuatio sit vltima conditio ad existentiam. Quare.

DICENDVM est, terminum, qui , generationis esse totum compositum in individuo; terminum vero, quo , formam generandam individuatam : & consequenter totum propriè intendi à naturâ, formam vero, vt medium ad totum. Ratio conuincit, nám omne agens intendit producere sibi simile : atqui totum compositum gignendum est similius, composto agenti , quā sola fortia : & tamen forma necessariò requiritur ad totum confundendum : ergo , forma intenditur vt medium essentiale , totum vero vt finis constitutus. Confirmatur.

Nám forma agentis est id quo medio illud agit: ergo forma generanda debet esse id quo medio illud agitur: & sic totum intenditur primariò; forma vero secundariò. Stat sequela, nam in omni operatione ea sunt priora in intentione quae sunt posteriora in executione : atqui in via executionis totum est posterius formæ; forma vero prior , quia prius debet esse forma quā sit totum : ergo , totum est prius in intentione agentis , atque ex illis colligitur unionem & formam esse terminos quibus medijs sit totum , ijs enim medijs generatio derivatur usque ad totum, cùm totum ipsum fieri, nihil sit aliud quām partes vñiri.

Superaet difficultas non contemnenda , an scilicet eadem individuibili actione qua sit forma per eamdem vniatur materia. Quod attinet ad generationē rerum corporearum docet Ruuius eadem prorsus actione individuibili fieri triplicem illum terminum formam, unionem , & totum. Probat ijs verbis forma corporea non habet propriam subsistentiam sed inheret materiae inhaesione substantiali : ergo , per eamdem actionem qua educitur de potentia materiæ, vnitur materiae & fit inherens materiae. Accidentis enim (inquit) non est per se existere , sed in subiecto , ergo pariter forma nō est per se existere, sed in subiecto, & per existentiam subiecti ; ergo , cum existentia sit terminus pro-

ductionis, sit ut per eamdem actionem quā sit forma, per eamdem & vniatur materiae & resultet totum. Sed contra, neque enim accidens etiam vnitur subiecto per eamdem quā sit actionem, quod probo ex ipso. Ruiio. Multis in locis asserit rei conseruationem esse primam productionem rei continuatam: atqui, potest conseruari accidens extrā subiectum sublata ymone: ergo, apparet quomodo, ynio non fiat eadem actione quā sit accidens, si enim esset eadem actio illa permanente, permaneret & ynio, quemadmodum accidens Pariter in forma, potest illa existere separatim a materia etiam ex Ruiio tract. de forma; ergo diuersa fit actione ab ea quā sit ynio, sed hæc satis.

### Q V Ä S T I O III.

*An generatio sit actio instantanea: & an eadem instanti quo sit generatio unius, fiat corruptio alterius*

D E generatione agimus hoc loco, non prout est mutatio de non esse, ad esse formæ in materia: sed prout est actio quā sit forma in materia disposita. Docent Complutenses disp. 2. de generat. q. 2. §. 3. generationem prout est actio non terminari ad formam, neque ad compositum: sed ad præuias dispositiones: prout verò est quædam resultantia, terminari ad formam ut terminum, quo, ad totum vero compositum, ut ad terminum, qui: censem enim, ut explosum fuit supra, generationem non esse actionem distinctam ab alteratione præcedenti. Secundūm igitur eorum mentem, questio hæc querit, an illa resultantia formæ ex præuijs dispositionibus sit actio instantanea, aut successiua. Illi nihil: sed diu morantur in inquirendo an generatio subiectetur in sola materia nuda, aut in materia affecta dispositionibus: aut saltem in toto

composito denuò genito : tandem concludunt , q. 5.  
§. 2. subiectari in sola materia : Questione verò 6. §.  
2. scribunt non recipi in materia, sed in toto. Scribunt  
& disp. 2. q. 8. §. 2. accidentia recepta in toto compo-  
sito , & dimanantia à formâ , disponere materiam ad  
introductionem eiusdem formæ in se. Vbi vides dis-  
positiones esse in composito, formam verò in materia,  
sed, quì id possit fieri non video. Sed an actio genera-  
tiua sit instantanea videamus. Aduerte prius, id fieri  
in instanti quod fit simul secundum se totum: id verò  
fieri successiuè, quod fit secundum aliquid sui prius, &  
secundum aliquid sui posterius. Id fit simul secundum  
se totum , quod caret vel partibus intensionis & ex-  
tensionis vt Angelus , & anima rationalis : vel parti-  
bus intensionis gradualis, licet habeat partes suæ ex-  
tensionis: id verò sit successiuè quod partes habet ex-  
tensionis suæ , & partes etiam intensionis quoad gra-  
dus intensibiles & remissibiles , vt sunt omnes primæ  
qualitates, calor , frigus, humiditas , & siccitas : quæ  
non tantum extenduntur ad extensionem sui subiecti,  
sed etiam intenduntur in eadem parte subiecti.

DICENDVM est, generationem substancialē  
esse actionem instantaneam. Ita docent Complutenses  
disp. 2. quæst. 5. §. 3. num. 58. ijs verbis. Forma  
Substantialis recipitur in sola materia prima tan-  
quam in subiecto informationis : ergo , eius gene-  
ratio, prout est instantanea acquisitione eiusdem in sola  
materia prima ut in subiecto recipitur. Hæc quidem  
rectè, sed quare ponunt : disp. 2. q. 7. §. 2. num. 76. dis-  
positiones ad formas , recipi immediate in toto compo-  
sito, ac proindè materiam non subesse generationi:  
& eadem disputatione. q. 2. §. 3. num 15. generatio-  
nem non esse actionem distinctā ab alteratione præ-  
cedenti , cùm videant alterationem esse successiūam ,  
& totum compositum si sit subiectum generationis  
generationē non posse esse simul in sola materia nisi  
sit in duplice subiecto. Sed mittamus illas contradic-  
tiones, & probetur conclusio nostra, quod nimirum  
generatio sit actio instantanea. Generatio humana, est

vera generatio : atqui , illa fit in instanti ; ergo , omnis generatio fit in instanti. Probatur minor, nam anima rationalis fit per creationem à Deo in instanti , & corpori organico vnitur per generationem , in eodem instanti in quo fit: ergo , generatio fit in instanti. Quod anima rationalis debeat fieri in instanti , patet. Nam , id cuius entitas est omnino indivisibilis , debet fieri actione indivisibili , & quod fit actione indivisibili , fit in instanti , quia illa actio est tota simul in instanti atqui anima rationalis , est entitas omnino indivisibilis: fit ergo actione indivisibili; quod probo. Nam debet esse proportio inter actionem & eius terminum itavt si terminus fit diuisibilis , debeat etiam actio esse diuisibilis , ut totus effectus respondeat toti actioni: & partes effectus , partibus actionis: atqui , anima est tota indivisibilis , & consequenter vnitur per actionem indivisibilem , alioquin vniatur per aliquid sui prius & per aliquid sui posterius , ergo eius vnitio est indivisibilis , consequenter etiam generatio humana quæ eius vnitio est. Animam vero hanc esse indivisibilem , est de fide , & demonstrabitur suo loco , cùm sit tota in toto , in tota in qualibet corporis parte. Si enim esset diuisibilis , itavt vna eius pars esset in digito altera , in manu , absciso digito corrumperetur illa pars animæ & sic corruptibilis esset , & mortalis , quod est impium: ergo , indivisibilis est , & consequenter eius vnitio , indivisibilis est. Vniri autem corpori eodem instanti quo fit , patet , nam si non vniatur eodem instanti , sed in alio subsequenti , per totum tempus intermeditum remanet non vnta , quia inter duo instantia mediat necessariò tempus: atqui , non est probabile , per aliquod tempus remanere animam non vnitam ; ergo , in eodem instanti quo fit , vnitur : fit autem per creationem ; vnitur verò per generationem ; & sic generatio humana est actio instantanea.

Quod etiam generationes formarum corporearum sint instantaneæ , probatur. Nam 1. non fiunt per partes sui priores , & posteriores secundum intensionem , quia non suscipiunt magis , & minus. 2. ex omnium

consensu habent suum minimum quod sic materia, in quo possunt quidem generari, sed non sub minori; ergo, si minimum quod sic forma ignis, sit quantitas digitalis, non potest in illa generari nisi in instanti; si enim per prius produceretur in una parte, & per posterius in altera parte, sequeretur inde, primam partem esse idoneam ad receptionem illius formae, & sic tota illa quantitas materiae non erat minimum quod poterat informare, cum possit informare, medianam partem: constat igitur formam substantialem fieri in instanti in suo minimo quod sic, & consequenter generationem esse instantaneam. Potest quidem secundum extensionem, fieri per tempus quia coextenditur subiecto, sed hoc fit per plures generationes partiales in pluribus minimis quod sic, ut patet consideranti: sed quoad intensionem fit in instanti, quia sit tota simul, neque enim substantia est guttula aquae, ac totum aequaliter. An vero eodem instanti quo fit generatio unius formae, in materia, fiat corruptio alterius, videamus.

Dupliciter potest haec intelligi questio. 1. an generatio & corruptio eiusdem rei hant simul. 2. en generatio unius sit simul cum corruptione alterius. Quoad primum, nequit idem digni, & corrupi, alioquin simili existeret, & non existeret. Quoad secundum asserunt nonnulli, non posse etiam eodem instanti quo unum definit, aliud in eadem materia generari. Debet enim prius expelli forma praecedens, quam subsequens introduci: neque enim possunt duas existere simul. Sed contra, nam potest una esse definita, & altera permanenter nequit enim prima abire, nisi altera sit praesens, nisi materia sit absque illa forma. Quare.

Dicendum est, in eodem instanti temporis quo definit una forma, aliam introduci: & sic in eodem instanti esse corruptionem unius & generationem alterius. Probatur, nam materia nequit esse sine illa forma, nequidem per instans: ergo, quo instanti deperdit unam, eodem instanti acquirit alteram: ergo, quo instanti interit una, gignitur altera. Probatur ex Aristotele. lib. i, de ortu, & interitu, ubi ait generationem unius

esse corruptionem alterius. Quod debet ita intelligi, ut vnius corruptio trahat generationem alterius. Aduertē tamen in eodem instanti temporis; ad minimum distingui posse quatuor instantia naturæ, in quorum singulis, singulæ sunt mutationes, duæ priuatuaræ: duæ posituaræ. Datur enim instans in quo verum est dicere iam esse complètè introductas dispositiones formæ subsequentis, aliud in quo verum est dicere corruptas esse dispositiones formæ præcedentis: aliud in quo definit una forma, & aliud in quo incipit altera. Sed progrediamur.

## Q V A E S T I O I V.

*De corruptione rerum naturalium, & an detur resolutio usque ad materiam primam.*

**D**E Corruptione rerum naturaliū agimus, imme-  
diatè post generationem, tūm quia prius est rem  
generari quam corrumpi; tūm quia generatio est mo-  
tus priuatius: est enim hæc à forma, ad priuationem:  
illa verò à priuatione ad formam: Quamplurima au-  
tem possunt de corruptione inuestigari. 1. an detur. 2.  
an intendatur à naturâ. 3. an sit naturalis rebus. 4. an  
sit prior generatione. Ultimò an in omni corruptione  
naturali fiat analysis omnium accidentium, usque ad  
puram materiam.

Dari autē actu corruptionē rerum naturaliū negant  
aliqui, quod putent nihil corrumpi, sed omnia anhi-  
lari. Ut dum lignum conuertitur in ignem; si aut igne  
secundum se totum abire; & lignum secundum se to-  
tum produci, ratio eorum est, quia nihil ligni rema-  
net in igne. Si enim aliquid ligni remaneret in igne;  
lignum, & ignis essent simul; hoc autem implicat:  
ergo implicat dari corruptionem ligni, & genera-

nem ignis. Sed contra, in conuersione ligni in ignem, nihil ligni remainet in igne, secundum formam & accidentia propria, concedo: secundum materiam, & accidentia communia, nego. Quare dicendum est dari actu corruptionem: videmus enim elementa converti in mixta: & mixta in elementa; pluraque videamus exoriri de nouo & alia interire. Deinde, datur generatio; ergo, & corruptio: quia generatio unius est corruptio alterius. An vero corruptio intendatur a natura, & sit rebus ipsis consona, non videtur ita certum, aliqui docent intendi a natura propter bonum uniusversi; neque enim fieret generatio nisi praecederet corruptio: & nouæ rerum generationes sunt ornamentum orbis. Deinde, est rebus ipsis consona siquidem natura est principium motus & quietis; per quietem intelligunt corruptionem, per motum vero generationem. Sed dicendum est generationem intendi per se, corruptionem vero per accidens tantum. Ignis enim, per se primò intendit producere ignem: per accidens vero corrumpere lignum: vel potius, per accidens est quod lignum corrumpatur, ad productionem ignis. Id enim non evenit ex intentione ignis, sed ex incomposititate duarum formarum in una eademque materia. Est tamen corruptio, rebus ipsis naturalis, cum fiat saltus per accidens a natura; nec excedit vires naturae. Sed potissimum dicitur naturalis quod essentialiter, & ab intrinseco res naturales aequae sint corruptibiles ac generabiles. Deinde, generatio & corruptio reciprocantur: aequus motus est Physicus corruptio, ac generatio: ergo, quemadmodum generatio est naturalis, ita & corruptio: enumeravit enim Aristoteles sex species motus Physici, generationem, corruptionem, alterationem, nutritionem, augmentationem & loci mutationem. Si vero fiat comparatio inter generationem, & corruptionem: certissimum est generatione praecedere, subsequi corruptionem eiusdem rei, prius enim debet res aliqua gigni, quam possit corrumphi: est enim corrumphi, desinere esse; generari vero, incipere esse: & prius debet res

incipere esse, quam possit desinere esse. Si verò fiat comparatio inter generationem vnius formæ, & corruptionem alterius in eadem materia, nemo est qui neget, prius natura corrupti præcedentem, quam possit generari subsequens: quia nequi hæc introduci, nisi expellatur illa, cum duæ non possint existere simul, in eadem materia.

Maior est difficultas, an fiat resolutio omnium accidentium usque ad materiam primam in omni: corruptione rerū. Scribunt Complutenses disp. 3. de Corrupt. q. 6. §. 2. num. 52. fieri talem resolutionem, probant hoc modo, num. 154. si non fieret talis resolutio eadem accidentia remanerent in genito, quæ fuerant in corrupto; at qui hoc indicaret totum compositum non esse subiectum inhalensionis accidentium: sed materiam primam, & materia prima non est subiectum accidentium, sed totum compositum; ergo, destructo toto composito, destrui debent omnia accidentia quæ in illo subiectantur. Fundamentum igitur illorum est quod totum compositū sit subiectum inhalensionis omnium accidentium: materia verò nuda, subiectum receptuum formæ: at, qui fieri potest ut dispositio-nes sint in alio subiecto ab eo in quo est forma, cùm disponant subiectum ad formam? numquid dispositio-nes tribuunt suum effectum formalē illi soli subiecto cui inhærent? effectus autem formalis dispositionum, numquid est disponere subiectum ad receptionē for-mæ eius sunt dispositiones? Si ergo, dispositio-nes sint in toto composito tanquam in subiecto, sanè illud disponunt ad recipiendam formam generandā: ergo, in illo composito erunt duas formæ, contrà id quod docent disp. 4. de forma. q. 6. §. 2. num. 61. ubi scribunt implicare contradictionem duas formas esse simili in eodem subiecto. Vel si dispositio-nes sint in toto, & forma in materia; sequitur, formam esse in subiecto non disposito, & sic non requiri dispositio-nes ad formam educendam, vlo modo, quia educit-ur è materia in qua nullæ sunt dispositio-nes, cùm il-le sint in toto. Et ramen inauditum est in Schola for-

mam recipi in materia antequam in illa sint præviæ dispositiones, & consentiunt Complutenses disp. 2. de generat. q. 2. §. 3. vbi docent generationem non esse actionem realiter distinctâ ab alteratione præcedenti: quo posito: sic arguo, generatio non differt ab alteratione; ergo, recipitur in eodem subiecto in quo recipitur alteratio: atqui alteratio recipitur in toto composito secundum illos: ergo, & generatio. Probatur minor, nam alteratio est actio quæ sunt accidentia; atqui, accidentia recipiuntur in toto composito secundum illos disp. de forma, vbi de eductione accidentium; & disp. 3. de Corrupt. q. 6. §. 2. num. 59. ergo, & alteratio; est autem alteratio eadem actio cum generatione ergo, in toto composito recipitur generatio, & consequenter forma, quæ est terminus generationis. Vnde tria sequuntur absurdâ; primum, alterationem: quæ successiva est, esse generationem, quæ est instantanea. 2. Eumde esse terminum generationis, & alterationis: 3. dispositiones, cum forma esse in toto, quod tamen illi negant. Melius est igitur si dicamus materiam esse subiectum accidentium, & formæ: itavt accidentia disponant materiam ad formam.

\* IN auxiliū tamen Cöplutensium veniunt cæteri Thomistæ hoc modò, generatio est mutatio totius in totū, nullo sensibili remanente; atqui si materia remaneret affecta accidentibus aliquod sensibile remaneret, nempè illa accidentia: ergo, vel falsa definitio. Aristotelis, vel fit resolutio usque ad materiâ primam. Distinguo, generatio est mutatio totius in totū nullo sensibili substantiali remanente, concedo: nullo sensibili accidental remanente nego. Quia scilicet perit tota forma præcedens, & remanent in materia accidentia communia utriusque formæ, cum proprijs accidentibus formæ generandæ, quæ præcesserunt ut dispositiones. Quare.

Dicendum est, nullo modo dari resolutionem omnium accidentium Physicorum usque ad puram materiam. Probatur, nam saltem remanet quantitas quæ



incorruptibilis est , remanent & dispositiones formæ generatæ necessario, quia nequit forma recipi nisi illæ insint materiae; & in instanti quo fit generatio cum corruptione alterius nequeunt simul corrumpi: & simul generari illæ dispositiones cum sint qualitates quæ fiunt per tempus successiue propter intentionem gradualem. Deinde, præcedunt formam , ut illius receptionem iuuent; ergo, debent illi receptioni adesse. Nec præcedunt ut intereant in instanti corruptionis, & exurgant in eodem instanti generationis quia hoc est Chymericū Thomisticum: ergo, remanent in materia. Ultimo, accidentia non sunt inhaesiæ in toto , sed in materia: escent enim 1. in duplice subiecto, nempe in forma & in materia : quia totum nihil aliud est quam partes: 2. non educuntur de toto , sed de sola materia , quia haec sola est subiectum passuum omnium motuum Physicorum; & dispositiones fiunt per motum alterationis: qui præsertim est actus entis in potentia , prout in potentia & sola materia est ens in potentia etiam ex Thomistarum sensu ergo , dispositiones nequeunt esse in toto; sed in materia, & sic remanent post corruptionem formæ præcedentis, in materia affecta altera forma. Id scribit Aristoteles lib.1. de Generat. cap.4. ubi docet eamdem numero perspicuitatem , & frigiditatem posse remanere in duobus compositis sibi mutuo succendentibus, vt dum ex aere, sit aqua , aut ex aquâ, aës, & lib. 2. scribit elementa symbola facilius transmutari, quam dissymbola, quia in utroque remanent quedam accidentia communia. Idque sentiunt Complutenses , sed dicunt non remanere eadem numero , sed specie, in quantum scilicet, in instanti corruptionis perirent & in instanti generationis reuiuiscent, sed chymera. Neque enim possunt in instanti reuiuiscere quia à priuatione ad habitu nō datur egressus. Deinde, illæ qualitates simul existerent, & non existerent: simul desinerent , & inciperent; simul gignerentur, & corrumperentur, quod implicat; ergo, non datur resolutio usque ad puram materiam. Deinde, in cadavere eadem remanent accidentia , atque

que idem vulnus quod anteā erat, ergo non fit resolutio, Chymericum enim esset eadem accidentia interire ut postea reuiuiscerent. Item, dum miscentur herbæ, & ex illis fit medicamentum, in illo medicamine remanent cædem vires quæ erant in herbis; ergo non fit resolutio. Iterū, dum corpus humanum est perfectè organisatum, præditumque ijs facultatibus quibus illud instruxit prouida parens *naturā*: cùm destruitur forma embrionis, induciturque anima, non pereunt illa organa, sed remanent sub anima eadem quæ erant sub emerione, ergo, non fit resolutio. Ultimò probatur nostra assertio, argumento Theologico, si fieret prædicta resolutio, maximè in transsubstantiatione Eucharistiae, ubi desinit tota substantia panis & vini, remenantibus vtriusque accidentibus: atqui tunc non fit illa analysis ut patet, quia remanent accidentia: ergo numquam fit. Potest quidem dati omnium accidentium quæ propria fuerant compositi corrupti, quinimò necesse est illa omnia trahi in interitum simul cum forma: sed nequeunt communia & propria formæ subsequentis deperire, quia materiam afficiunt in ordine ad illam formam. At, quia illa accidentia fiunt alteratione. Quid sit alteratio, & quomodo fiat videamus.

## QVÆSTIO V.

*An sit alteratio, quid sit, & an intensio qualitatis fiat per maiorem radicationem.*

**S**EMPER nobis dimicandum est cum Thomistis: neque enim possumus eorum sapere doctrinam. Docent enim, alterationem non distingui à generatione, nec intensiōnem qualitatis fieri per additionem gradus ad graduum præcedentes: sed per maiorem radi-

erationem: quod tamen & absurdum est, & impossibile, vt statim probabo. Sed prius statuendum. An sit alteratio; & an sit instantanea, vel successiva actio. Actu existere alterationem nemo est qui dubitet; vel illi admoueatur ignis, cuius ardore cogatur illud fateri. Est enim alteratio propriè sumpta, illa actio quā producuntur quatuor primæ qualitatēs, calor, frigus, humiditas, & siccitas. Dicitur autem alteratio, quia per illam subiectum fit alterum, seu alteratum; per generationem vero fit aliud. Dùm enim lignum calefit, dicitur alterari: dùm vero conuertitur in ignem dicitur fieri aliud, vnde cernis alterationē terminari ad qualitatem; generationem vero ad substantiam. ijs positis quæri solet an alteratio sit motus instantaneus vel successivus: & an si successivus, continuus sit vel discretus. Motus discretus ille est qui fit quasi saltuatin, & sine continuitate, vt si V. g. in quois indiuisibili alicuius temporis determinati, quale esset hora, in subiecto quodam produceretur calor. Quia enim post quoduis instans temporis sequitur immediate tempus antequām aliud instans consequatur: & sic omnia instantia discontinuantur, discernuntur, seu interrumuntur, per partes diuisibiles temporis interiectas, fit vt, quemadmodum ipsa instantia inter se sunt discreta pariter etiam & motus qui in illis fit dicatur discretus & discontinuus. Sic volunt aliqui Angelos non manu eri secundum locum in tempore & successivè continuè, sed discretè, itavt in quois instanti temporis quasi saltuatin Angelus mutet locum, & in tempore interiecto inter duo instantia quiescat à motu. Nihilominus tamen hæc discretio duobus modis potest contingere, vel ratione subiecti, vel ratione ipsius motus; ratione quidem subiecti, quando motus qui in illo fit, non recipitur in omnibus eius partibus sed vel in quibusdam separatis, & non in alijs, vel in solis illis indiuisibilibus: ratione verò motus, si in hoc instanti fieret calefactio in parte aliqua subiecti & quiesceret in tempore subsequenti, & deinde fieret in alio instanti, & sic deinceps.

MOTVS verò continuus ille est, qui fit continua  
fieri & a quæ procedit vel ratione sue entitatis, vel ra-  
tione extensionis subiecti, vel ratione vtriusque. Sed  
hæc continuitas potest spectari, vel secundum exten-  
sionem qualitatis in subiecto, vel secundum intensio-  
nem sui in eadem parte subiecti. Dicunt aliqui omnē  
alterationem esse motum quidem successuum, non  
instantaneum: negant tamen esse continuum; sed dis-  
cretum. Putant enim illam procedere saltuatim, non  
verò continuè successuè. At experimur nos, manum  
admotam igni, non per saltus calefieri sed continuè,  
& successuè. Deinde, nulla appetat ratio quā possint  
illi id demonstrare. Si enim discretè fieret alteratio nō  
continuè, maximè quia non fieret in tempore, sed in in-  
stantibus temporis: atqui, non potest fieri in instantibus  
temporis sibi mutuo succedētibus, quod probo. Quod fit  
in instanti, in diuisibile sit oportet, quia debet fieri totū  
simul non autē per prius & posterius, quia instas caret  
partibus: atqui, alteratio non potest fieri tota simul,  
quia habet partes extensionis & intensionis, ut patet  
de calefactione, & frigefactione que extensæ sunt per  
totum subiectum, & intensoe in qualibet illius parte:  
ergo, non fiunt in instantibus: sed in tempore. Stat  
sequela, nam, alteratio est motus cuius duratio est  
tempus: ergo, fit eodem modo quo tempus: atqui  
tempus non fit in instanti, sed per prius & per posterius,  
idque continuo, ergo, & motus alterationis. Ita do-  
cent Complutenses disp. 4. q. 2. §. 2. num. 15. vbi di-  
uidunt motum alterationis, in alterationem, inten-  
sionem, & remissionem: per alterationem, intelligunt  
motum successuum continuum quo fit tota illa qua-  
litas quæ est intensibilis, & remissibilis: per inten-  
sionem intelligunt actionem quā qualitas aliudè pro-  
ducta intenditur & augetur, ut si calor ut sex produ-  
ctus à sole, augeretur ab igne; per remissionem vero  
intelligunt actionem quā qualitas aliqua minuitur, ut  
dùm per frigefactionem minueretur calor in ligno.  
Errant tamen in hoc quod putent, alterationem qua-  
tora qualitas producitur essentialiter differre ab in-

tensione: habent enim eundem specie terminum, neque differunt nisi secundum plus aut minus intra latitudinem eiusdem qualitatis, ut patet, ergo differunt tantum accidentario, nempe secundum plus aut minus eiusdem specie motus.

Hic quæri posset ad quæ prædicamenta detur per se motus continuus & successivus. Docent aliqui dari ad substantiam, quantitatē, qualitatem, & vbi: probant de substantia, nam ideo ad qualitates datur per se motus successivus continuus; quia intenduntur & remittuntur: at qui substantiæ ita se habent; quod probant nam qualitates sunt mensuræ essentiæ; ergo, debent coæquari essentiæ: ergo quemadmodum qualitates sunt intensibiles, & remissibiles, ita & essentiæ. Sed contra rerum enim essentiæ sicut in indiuisibili vt sapissimè diximus. Qualitates verò sunt in duplice genere, elementares scilicet, & illæ quæ competit mixtis: & hæ quidem sicut in indiuisibili, vt risibilitas in homine: illæ verò suscipiunt magis & minus, ut patet. Nam calor intenditur, & remittitur. Sed ostendo ad substantiam non dari per se motum successivum continuum. Nam substantia fit in instanti; ergo, non fit successivè per prius & posterius. Dixi, per se & ratione intensionis, quia per accidens & extensiù in materia, non est dubium quin fiat per minima discreta successivè discretè non verò continuè, quia per tempus disponitur materia in minimo quod sic, & in ultimo indiuisibili terminatio dispositionum dignitur forma, & sic per totam materiam maiorem minimo quod sic dignitur forma successivè discretè, hoc est, prius in primo minimo quod sic, quam in secundo & sic deinceps. Idem dicendum de quantitate nam quantitas sequitur materiam, ergo eodem modo fit quo fit materia, fit autem materia in instanti, quia fit creatione & secundū omnes Philosophos creatio est actio instantanea. Superest igitur ut solæ qualitates, & solum vbi acquiratur per tempus. De vbi distinguendū est. Dùm aliquid ponitur in loco per primam sui productionem, ibi ponitur in instanti dùm verò ponitur

in loco per motum localem , ibi ponitur per motum successuum: Quia motus localis essentialiter, est successius. Quod spectat ad qualitates , in confessore est apud omnes, eas fieri semper per motum successuum, sit enim calor successus continuè in manu, pariter & frigus , dum intenduntur quia nequeunt octo gradus caloris, aut frigoris fieri simul in instanti: sed per prius, & per posterius : est enim subordinatio graduum sibi succedentium, ijs positis queritur , utrum illæ qualitates intendantur , & remittantur per maiorem , aut minorem sui radicationem in eadem parte Subiecti. Scribunt Complutenses disp.4.de alteratione q.8.intensionem qualitatis non fieri per additionem gradus ad gradum, seu qualitatis ad qualitatem: sed per additionem modi maioris radicationis, ut scribunt eadem disp.4.q.9. §. 3. Hæc est communis doctrina Thomist. Probant Complut. primam partem hac ratione, non potest calor intendi per additionem realem gradus ad gradum, seu per additionem caloris ad calorem , nisi unus calor, vel unus gradus distinguatur realiter specificè, vel numero ab alio: at nequeunt inter se ita distingui : ergo, neque intensio poterit fieri per additionem gradus, ad gradum. Maior est certa, probatur minor , nam 1. non distinguntur specie : quia omnis calor, est calor, quemadmodum omnis homo est homo. 2. numerica distinctio qualitatū sumitur ex subiecto, ita ut totuplex sit qualitas quotuplex est subiectum. Deinde , duo illi gradus caloris non possunt uniri nisi ut potentia, & actus, vel per continuationem: non primo modo , quia unus nequit esse subiectum alterius: neque secundo modo, quia sequetur qualitates esse diuisibiles quemadmodum quantitas, quod tamen est falsum : ergo, non sit intensio qualitatis per additionem gradus ad gradum sed per maiorem radicationem qualitatis. Sed contraria, ibi video multa absurdita, primum est, accidentia sumere suam individuationem ab individuatione materiae: unumquodque enim individuatur à sua propria entitate incommunicabili ; quia individuatio rei est intrinseca rei. Secundum est sub-

stantiam & qualitates fieri diuisibiles per quantitatem, quia rerum essentiæ sunt immutabiles : ergo, si ex se sint indiuisibiles non possunt ab alio fieri diuisibiles; cùm igitur videamus qualitates & substantiam corpoream diuisibiles esse, concludendum est, illud habere à propria natura. Et sane, cùm constet ex fide, intenſores esse crueiatus Iudee quam alterius damnati qui minora patraverit peccata; numquid certū est, ignem cuius flamma vruntur, intenſiorem imprimere calorem in uno, quam in altero; non autem maiorem radicationem ignis?

DICENDVM est igitur, intensionem qualitatis fieri per additionem gradus, ad gradum: eo ferè modo quo numerus fit maior per additionem vnitatum ad priores vnitates. Probatur, nam aliquam qualitatem intendi nihil est aliud quam augeri in eadem parte subiecti : non potest autem ita augeri nisi gradibus primo productis alij superaddentur : ergo, qualitas intenditur per additionem graduum. Est quidem certum istud augmentum deferre secum maiorem radicationem, quia vbi sunt plures gradus qualitatis, ibi plures sunt gradus radicationis, singuli enim gradus suam propriam differunt radicationem; quod probo, nam radicatio qualitatis est illius inhæſio in subiecto radicari enim & inhærete idem sonant: ergo, vbi sunt plures gradus, ibi sunt plures radicationes partiales, & consequenter totalis radicatio ex illis resultans maior est, atque hoc sensu admittimus intentionem fieri non per maiorem radicationem, sed cum maiori radicatione; quia verum est, maiorem esse radicationem in calore ut octo, quam in calore ut duo, vel ut tria.

ALII, alio modo philosophantur, dicunt enim intentionem qualitatum fieri, non per maiorem radicationem qualitatis neque per additionem gradus, ad gradum; sed per productionem intenſioris qualitatis, volunt enim, dum calor ut duo, fit ut tria; non additum gradum; sed primum calorem deperdi alium verò produci de nouo, qui intenſior sit. Sed errant, ac-

que enim opponuntur gradus posteriores, prioribus: vt iij' pereant , aliis aduentantibus, cum sint eiusdem speciei. Deinde, quæ ratio est, vt pereant primi, cùm secundi debeant id totum obtinete quod iij possident? Præterea qualitates primæ, & intensibiles, ideo dicuntur intensibiles quòd habeat gradus minores & maiores, seu gradus remissiores & intensiores; vndè dicunt omnes Philosophi qualitates omnes habere octo gradus suæ intensionis. Quo posito, sic arguo, illi gradus sunt sibi essentialiter subordinati; ergo, nequit secundus produci, nisi præcedat primus ; neque tercius, nisi secundus præcesserit, & sic de alijs : ergo nequit tota qualitas secundum se totam produci nisi per partes sui priores, & posteriores: ergo, sit intensior per additionem graduum posteriorum ad priores: & id debent admittere Complutenses. Docent enim qualitates intensibiles fieri per alterationem: alterationem verò per tempus continuum & successiuum: atqui non potest fieri alteratio per tempus continuum & successiuum , nisi eius terminus qui est qualitas , fiat etiam continuè successiùe ; ergo, per illos fit intensio continua successiùe , & consequenter per additionem gradus, ad gradum : non enim est existimandum illam alterationem per se terminari ad maiorem radicationem qualitatis primò productæ , sed ad ipsos gradus qualitatis de nouo intensæ ; quia inhæsio non fit ut terminus, qui, sed ut terminus, quo, fit enim qualitas ut vniatur, media inhæsione.

V L T I M O , sit manus intrà sphæram actiuitatis ignis & producatur in illa aliquid caloris , nempe primus gradus aut media illius pars : illa verò media parte producta , recedat ignis : ego, quæro utrum ille calor fiat intensior necnè : si augeatur , fit effectus finè causa ; si non augeatur , quæro vndè hoc , nisi quia amplius non est ibi ignis producens calorem : ergo, intensio fit per additionem gradus , ad gradum Et sancè, si fiat intensio per solam maiorem radicationem qualitatis : ergo, erit quidem ibi intensior radicatio, sed non intensior qualitas. Prætereat, producta

minimulâ particulâ caloris in ligno , poterit intendi dummodo inhæreat magis, quām anteā; ergo, potest transire de minori inhærentia, ad maiorem inhærentiam; & sic de minori existentia, ad maiorem inhærentiam: & sic de minori existentia, ad maiorem existentiam sui in subiecto; quia inhærentia, & existentia reciprocantur in accidentibus : atqui , hoc est inauditum; & rationi repugnat, idem absque noua actione, & finē sui innouatione migrare de existentia, in existentiam; de inhærentia in inhærentiam , quia sic reproduceretur quod semel productum est, cūm existentia sit terminus productionis: ergo, chymERICA est illa opinio quæ docet intensionem qualitatum fieri per maiorem radicationem eius in subiecto ; non autem, per additionem gradus, ad gradum: maximè cūm qualitates fiant per alterationem : & alteratio sit motus continuè successimus ; debeatque eius terminus fieri pariter successiuè continuè, cūm sit specificatiuus motus. Sed. an alteratio debeat progredi vniiformiter difformiter, videamus.

---

## QVÆSTIO VI.

*Vtrum alteratio sit actio vniiformiter difformis:  
An sit actio in distans sine medio; & utrum  
omnes gradus qualitatis & alterationis  
sint distincti.*

**P**LVR A sunt hac quæstione examinanda, quæ vt magis elucecant debito ordine est progrediendū. Quæritur, i. utrum alteratio fiat vniiformiter difformiter per totum subiectum , & in qualibet parte subiecti. Docent omnes Philosophi præter Thomistas fieri hoc modo : sed discrepant plurimum in re & in


modo explicandi scribunt enim aliqui alterationem ideo fieri vniiformiter difformiter per totum subiectum , quia prius & fortius attingit partes viciniores subiecti quam posteriores , in quo est aliqua vniiformitas, & difformitas. Vniformitas quidem, quia omnes attingit , difformitas vero ; quia omnes inæqualiter attingit. Alij melius, dum asserunt alterationem dici vniiformem ratione termini qui per totum subiectum est eiusdem speciei V. g. calor productus per totum lignum, & in qualibet illius parte : difformem vero, ratione modi quo fit, nam procedit per prius, & per posterius : fortius in viciniori quam in remotiori. Vnde, alteratio attingit terminum vniiformem modo difformi, seu dissimili. Atque ex ijs appetet quomodo alteratio sit motus continuus successivus & quomodo intensio qualitatis fiat per additionem gradus ad gradum. Nequit enim fieri alteratio vniiformiter difformiter eo modo quo dixi tam quoad extensionem quam quoad intensionem, nisi fiat continuè successivè, neque enim fit in instanti , sed per tempus quod continuum est & successivum: & nisi etiam intentio qualitatis fiat continuè successivè per additionem partis ad partes, quia singulis partibus alterationis correspondent singulæ partes qualitatis; & tota alterationi, tota qualitas : vel per posteriores partes alterationis nihil producetur qualitatis , sed tantum varius modus inherendi quod absolum est, cum modi non fiant nisi per resultantiam ex re cuius sunt modi. Quemadmodum igitur partes priores alterationis differunt inter se realiter à posterioribus: ita, partes priores qualitatis productæ , à partibus posterioribus distinguntur, vnde, quemadmodum quantitas diuisibilis est secundum extensionem : ita qualitates secundum intensionem, & extensionem : nec est qui inficiatur , præter Thomistas qui rerum essentias euertunt, dum asserunt materiam, formam, & qualitates ex se esse indiuisibles & fieri diuisibles per quantitatem. Qui enim fieri potest ut id quod natura sua est indiuisibile, fiat diuisibile per aliud, nisi eius immutetur essentia ?

DICENDVM est, igitur quemlibet gradum qualitatis esse diuisibilem in partes aliquotas numero finitas : & in proportionales numero infinitas. Partes aliquotæ totius qualitatis sunt octo gradus : partes aliquotæ singulorum graduum sunt eorum meditantes quæ sensim acquiruntur in subiecto extensuè, & intensuè. Se habent autem illi gradus ita inter se, ut seruent subordinationem prioris, & posterioris : opponuntur verò inter se contrariæ qualitates, ut primus gradus caloris nequeat existere cum octauo frigoris neque secundus cum septimo nec tertius cum sexto, aut quartus cum quinto : sed primus cum primo : secundus, cum secundo : & tertius cum tertio, ut sit in tepiditate aquæ, quia nimirum æquales non agunt in æquales : sed tota pugna est inter inæquales, octauus caloris est inæqualis primo frigiditatis, & sic de ceteris.

MAIOR est difficultas, an agens possit suam derivare actionem in patiens distans à se, nihil operando per medium intetiacens. Sed dicendum est numquam agens remotum in passum agere, nisi sit actio in medium, ratio est evidens, quia actio non potest attinere distans per saltum, sed successiùè per medium propagando actionem ; neque enim migrat actio de subiecto in subiectum : sed in partibus proximiорibus medijs imprimitur ab agente, & illa media, alia propagatur usque ad passum ; licet idem non producatur effectus in toto medio, qui producitur in passo distito: ut patet de influxibus cœlorum. Cœli enim superiores influunt in inferiores lumen solum, ex medio lumine calor & alijs influxus derivantur ad sublunaria, siue solum lumen contineat ea omnia, siue non. Pariter, obiecta sensuum externorum sui species imprimunt partibus viciniорibus medijs, & ijs medijs alijs propagantur usque ad sensus, ut patet in visu, & in auditu deinde; si medium nihil recipit ab agente, nihil conducit ad operationem agentis, sed perinde se habet ac si non esset : ergo tam bene poterit agens operari in distans si nullum sit medium, quam dūm adest, ergo etiam vacuo interiecto poterit agere quod est.

falsum, & ab omnibus negatur. Tanto enim conatu vacuum non dis fugit natura ; nisi quia illo admisso non possent elementa inter se mutuo agere : neque Cœli suos in nos immittere influxus. Docet enim Arist. lib. 1. De cœlo, cœlos esse contiguos, & clementa pariter contigua, nec non mixta ipsis contigua clementis, ut mutuò possint agere & reagere ac inuicem soueri : & cœli in hæc influere inferiora. Sed hæc sat satis, progrediamur.

DICES, cœlum concurrit ad omnes generationes rerum sublunarium nec tamen in toto medio quidquam producit : Quid enim produceret ibi nisi cumdem effectum quem edit in ijs inferioribus: atqui non fit ita , alioquin produceret metalla in toto aëte intermedio dum metalla producit in visceribus terræ, ergo datur actio in distans sine medio. Sed contraria, nam cœli alias qualitates influunt in aërem , alias in aquas; alias in viscera terræ : donec attingat productionem metalii, si quidem alia est dispositio materie hinc, alia, illuc.



# DISPVVTATIO QVARTA.

---

*DE NVTRITI ONE, ET AV-  
gmentatione.*



T A T I M atque egit Aristoteles de alteratione & intentione qualitatis, nutritionem & augmentationem aggreditur substantia, propter mutuam quam habent inter se analogiam. Ut enim qualitas augetur ex additione gradus ad gradum in eadē parte subiecti: ita substantia augetur per additionem partis ad partem, iuxta extensionem subiecti. Duplex est autem augmentatio, una est propria, alia, impropria. Propria fit, per intus susceptionem alimenti, & sui conversionem in substantiam viuentis: impropria vero, est accretio per iuxta positionem materiae, ut dum pars terrae superaddit parti terrae: aut dum lapis superadditus lapidi efficiunt maiorem molem. Non agimus hoc loco de augmentatione impropria, sed de propria, & querimus an differat à nutritione, & quid sit utraque. Primo igitur investigamus, an sit, & quid sit nutritio, an sit actio instantanea vel successiva, & qui sint illius termini. 2. an viuens toto tempore vitae nutriatur, &

an sit idem viuens sub finem vita<sup>e</sup> quale erat initio. 3.  
an nutritio differat realiter, à nutritione, & à diminu-  
tione. Quoad 1. sit.

---

## QVÆSTIO I.

*Quid sit nutritio an sit actio instantanea vel suc-  
cessiva, & qui sint termini nutritionis &  
augmentationis.*

**V**I<sup>x</sup> percipi potest quid sit nutritio, nisi prius intelligatur cuius sit subiecti, & circa quod verisetur obiectum. Subiectum autem in quo est, duplex assignari solet, *Quo*, & *Quo*, subiectum, *Quod*, est viuens quod nutritur; subiectum, *Quo*, est facultas alendi, siue potentia nutritiva, quā sit nutritio. Non enim substantiae sunt per se operatiæ; sed quibusdam vtuntur facultatibus tanquam instrumentis ad suos obeundos actus. Ut ignis, calore ad calefaciendum: terra, grauitate vt tendat deorsum: anima, facultate visiua vt videat: auditu<sup>a</sup> vt audiat: nutritiua vt viuens nutriatur. Habent autem singula hæ facultates, sua singula obiecta circa quæ versantur. Visiua, circa visibile: auditu<sup>a</sup>, circa audibile: nutritiua, circa alimentum ore sumptum, & in substantiam viuentis conuertendum. Est autem alimentum duplex, proximum nempe, & remotum: proximum est illud quod iam ritè præparatum est, & decoctum, vt immediate possit in viuentis substancialm conuerti, vt sanguis qui per omnes & singulas partes viuentis diffunditur, ibique retinetur, & transmutatur in carnem, ossa, &c. remotum vero, illud est, quod neque vltimè decoctū est, neque præparatum; sed adhuc indiget concoctione & dispositione, ac digestione, vt cibus ore sumptus, vel etiam actu conuersus in chylum. Neque

enim chylus immediate conuertitur in carnem; sed in sanguinem, vnde sanguis est proximum alimentum, seu proximum obiectum circa quod occupatur potentia nutritiva, vt illud conuertat in substantiam viuentis. Fit autem nutritio hoc modo. Primò conteruntur cibi in ore, vnièque alterantur per admixtionem saliuæ quæ multum virtutis habet ad decoquendum cibum, 2. ab ore defferuntur in ventriculuni stomachi, vbi fit secunda alteratio, quæ est prima coactio, & cuius beneficio magna pars excrementorum ab eis extrahitur, & reiicitur in partem inferiorem intestinorū, remanentibus in ventriculo stomachi partibus liquidioribus, atque delicatioribus eiusdem cibi, sub forma alicuius substantiæ albæ quæ chylus dicitur. 3. ex ventriculo ad secur defertur per venas mesaraicas, vbi conuertitur in sanguinem; deinde, ad cor vt fiant spiritus vitales: & ad cæteras partes totius corporis deriuatur vt in eis ultimam capiat dispositionem, ad sui conuersionem in substantiam viuentis. Quæritur, vtrum detur hæc nutritio, an sit actio instantanea, & ad quos terminos ordinetur. Quoad primum, negant aliqui post magistrum sententiarum dari talem nutritionem quæ sit actio conuersiva substantiæ alimenti in substantiam aliti; sed ideo nos sumere alimentum vt sit pabulum vel fomentum caloris nativi qui circa alimentum agit, nè agens circa propriam substantiam viuentis, eam consumat. Probant autem suam opinionem. 1. ex Script. sacra, Math. 5. ijs verbis omne quod in os intrat in ventrem cadit, & in ceccesum emittitur. Quasi dicat, calorem natuum nihil aliud efficere circa cibos quam illis nutriri, & quod superfluum est in excrements conuertere: quemadmodum ignis videtur nutriri ligno, & quod superest, in cineres transmutat. Probant. 2. ratione, si nutritio detur maximè in homine, atqui non potest in homine admitti; quia nequit in homine reperiri terminus, ad quem, nutritionis: quod probant, terminus nutritionis in homine deberet esse partialis eius anima, & partialis huius yni: quia

nutritio est conuersio substantiae alimenti in substanciam viuentis, & hæc conuersio non potest fieri nisi materia quæ fuerat alimenti fiat materia viuentis, & non potest fieri materia viuentis nisi per receptionem animæ, mediante vniione: ergo, anima eiusque vnio est terminus nutritionis, & sic per nutritionem fit partialis anima; quod quia fieri possit in homine non video, cum anima rationalis sit ingenerabilis & incorruptibilis & pure spiritualis. Quo posito, sic arguunt, anima rationalis est incorruptibilis, & ingenerabilis: ergo, nequit corrupti per calorem natuum: neque digni per nutritionem, non ergo, datur nutritio.  
 2. anima rationalis est pure spiritualis; ergo, nequit produci in materia quæ fuit alimenti per nutritionem quæ pure corporea est: cum debeat esse proportio inter actionem, & terminum actionis: itavt, si terminus sit corporeus, actio debeat esse corporea; si vero sit spiritualis, ita & actio; cum actio corporea nequeat attingere productionem substantiæ spiritualis. Sed contraria, respondeo in nutritione hominis terminum non esse animam, sed eius vniionem. Quia illa non fit, per generationem neque illa illius pars per nutritionem: sed per nutritionem ponitur tota in materia quæ fuit alimenti: per generationem vero vnitur tota, toti corpori, & tota, singulis illius partibus, Quare.

DICENDVM est, dari actu nutritionem in omnibus viuentibus, vegetatiuis, sensituiis, & rationalibus. Ita communiter Doctores cum Arist. hoc lib. cap. 5. sed probatur ratione, nam experimur plantas, bruta animalia, & homines modo decrescere per negationem alimenti: modo vero augeri ex sumpto alimento: ergo, signum est dari nutritionem quæ sit actio conuersua substantiæ cibi, in substanciam viuentis.  
 2. virtus actiua quæ est in semine potest concurrere ad generationem totius viuentis: ergo virtus nutritiua potest concurrere ad conuersiōnē alimenti, sed de ijs fusius in lib. de anima. Vbi de ipsa facultate alendi eiusque subiecto & objecto. Interēta bifa-

tiam sumunt Philosophi nutritionem, alij enim includunt prœuias dispositiones, concoctionem, & præparationem alimenti : alij verò hæc omnia excludunt, afferentes totam essentiam nutritionis esse sitam in eo quod sit sola conuersio alimenti in substantiam viuentis, connotando præparationem eo modo quo prima rei generatio connotat prœuias dispositiones. Atque inde fit ut secundum hos nutritio sit actio instantanea : secundum verò nos, successiva continua. Hoc sequuntur. Complutenses disput. 5. de nutrit. quæst. 8. §. 2. numer. 130. ubi docent nutritionem esse mutationem successivam & continuam, probant hoc modo num. 104. prima generatio viuentium ideo fit in instanti, quia necessariò requirit minimum quod sic materiæ in qua possit fieri, & non in minori : atqui hæc determinata quantitas materiæ non requiritur in nutritione non ergo fit in instanti. Probant minorē, quia nutritio fit per tempus; ergo, non in instanti, sed continuè & successivè, quemadmodum tempus est continuum successivum. Sed contrà nutritio fit in multis instantibus temporis sibi mutuò succedentibus, hoc est successivè discretè, concedo : fit successivè continuè, hoc est, per tempus, nego. Urgent illi, calor naturalis qui vna cum potentia nutritiva est instrumentum animæ in ordine ad nutritionem, prius & fortius agit in partes proximiores alimenti quam in remotiores : priusque introducit dispositiones in illas, quam in has : ergo, prius conuertuntur partes proximiores, quam remotiores, & sic continuè successivè conuertuntur, quod est nutritionem fieri continuè successivè, cum nutritio nihil sit aliud, quam illa conuersio. Sed contrà, dispositiones fiunt continuè successivè, concedo. Nam per prius & per posterius continuè fiunt: nutritio pariter fit successivè quidem per minima discreta, concedo ; fit continuè successivè per tempus, nego. Putant enim Complutenses nutritionem non distingui à prœuia alteratione, concoctione, & præparatione alimenti, conformiter ad ea quæ scribunt disp. 2. de generat. q. 2. §. 3. num.

15. ubi

15. vbi docent generationem formæ substancialis non esse actionem distinctam à tota prævia alteratione: & vt ibidem afferunt formam fieri per resultantiam ex præuijs dispositionibus: pariter hoc loco deberent afferere formam viuentis quæ sit de nouo in materia alimenti resultare ex præuijs alterationibus , decorationibus & præparationibus alimenti: est enim virtuotique pars ratio , cum nutritio sit partialis generatio: fit enim per illam pars animæ in sensitiuis, & vegetatiuis : partialis vero unio in homine , Quare.

**DICENDVM** est nutritionem esse actionem instantaneam , vel conflatam ex pluribus mutationibus instantaneis partialibus. Ut sensus sit, illam fieri toto vi-  
ta decursu in pluribus instantibus temporis sibi mutuò succendentibus in quibus verum est dicere alimen-  
tum esse ultimò dispositum ad animam recipiendam.  
Ratio est evidens , quia per tempus disponitur ali-  
mentum : ergo , per instantia gignitur aut recipitur,  
forma. Id probo etiam ex Complutensibus disp. 5. de  
nutrit. q. 8. §. 3. in probatione primæ consequentia: vbi scribunt; generationem ideò fieri in instanti, quia forma petit minimum quod sit materiæ, in quo possit recipi, non sub minori , si enim , ( aiunt ), in minori non possit recipi, oportet vt ibi tota simul recipiatur,  
& consequenter in instanti. Unde, sic insurgo, genera-  
tio sit in instanti, quia forma generanda postulat suum  
minimum quod sic materiæ: atqui , etiam in nutri-  
tione petit suum minimum quod sic : ergo nutritio  
est etiam instantanea. Minor patet, nam in homine  
eadem tota anima quæ unitur corpori per genera-  
tionem in instanti : unitur etiam tota simul materiæ ali-  
menti : ergo, in instanti. Stat sequela, nam vel unitur  
tota simul, vel per partes priores, & posteriores ; hoc  
autem implicat , cum illa caret partibus : ergo tota  
simul unitur, & consequenter in instanti. De alijs vi-  
uentibus , etiam patet. Nam tota anima bruti , aut  
plantæ per generationem unitur instantaneè toti mi-  
nimo quod sic materiæ dispositæ : ergo , partes illarū  
animalium cùm sint substancialiæ & consequenter con-

sistentes in individuibili secundum intensiōnem, in instanti producentur in singulis minimis quod sic materiae dispositae alimenti. Id non ampliori eger probatione. Si enim tota anima bruti petat gigni in instanti, postulatne eius pars gigni in tempore? ostendatur mihi ratio quæ conuincat. Firmiter igitur est tenendum in prima cuiusque viuentis productione totam materiam disponi per tempus, ad totius formæ receptionem: in nutritione vero per tempus alterari & disponi alimentum: sed in singulis momentis in quibus introductæ sunt dispositiones, partes illius animæ gigni & recipi in tali materia, vel tota anima ibi ponisi sit rationalis. Et cum ibi sint plura instantia successiva præsertim si viuens diu viuat, sit toto vitæ decursu nutritio successiūè discretè, non verò continuè. Sed qui sint termini nutritionis, videamus.

DOCENT Complutenses disp. 5. q. 2. §. 2. de nutrit. num. 15. terminum primarium nutritionis prout est actio, esse dispositionem alimenti in substantiam viuentis: terminum vero primarium eiusdem prout est mutatio, esse formam substantialem viuentis iam præexistentis in cuius substantiam, alimentum convertitur. Vbi vides nutritionem quatenus est actio, non differre à prævia alteratione, prout vero est mutatio terminari ad animam viuentis primo productā, denuò inducendam in materiam alimenti. Putant enim disp. 5. de nutrit. q. 3. §. 2. nullam substantiam corpoream ex se habere partes substanciales, sed à quantitate à qua sit quanta, ut alba ab albedine. Et sic, dum sit nutritio eandem animam totam quæ erat in viuente ponit iterum in materia elementi disposita, itaque illa pars viuentis affecta tota anima sit terminus nutritionis. Sed errant. Nam 1. substancialiæ materiales habent partes à se, non à quantitate. 2. si sola anima rationalis est tota in singulis corporis partibus; ergo in solo homine nutritio terminatur ad partialē vniōnem animæ in illa materia quæ fuit alimenti. Quare.

DICENDVM est, terminum, quo, nutritionis esse vel partialel animam, vel partialel vniōnem: terminū

verò qui partem viuentem partam per conuerzionem alimenti. Probatur, nam nutritio est partialis generatio; atqui terminus, quo, generationis est tota forma, terminus verò, qui, est totum genitum: ergo, terminus quo, nutritionis est pars formæ: terminus verò, qui, pars viuentis parta de nouo. Confirmatur, nam in vegetatiuis & sensituiis gignitur pars animæ in homine verò partialis vno. Dicitur, autem forma aut vno terminus quo, quia ijs medijs sit totum, vt terminus qui intenditur ab agente. Sed progrediamur.

---

## QVÆSTIO V.

*An viuens toto tempore vita nutriatur; & an sic idem numero sub finem vite quod erat initio sue productionis.*

**V**T sensus huius quæstionis intelligatur prius est statuendum an viuens toto tempore quo viuit nutritatur; & quo tempore fiat nutritio vt inde clarius elucescat, an viuens quod nutritur sit idem numero sub finem vitæ, quale erat in prima sui productione. Docent quidam Medici esse necessarium vt perpetuò viuens nutritatur per conuerzionem alimenti in suam substantiam. Nunquam enim deest alimentum in quod agat calor nativus, & facultas alendi nequit esse otiosa cum agat ex necessitate naturæ propter necessitatem viuentis; ergo, in perpetuo est motu & consequenter perpetuò nutritur viuens. Stat sequela, nam alimentum difusum per totum corpus; nempè sanguis, est semper intra sphærā activitatis caloris nativi potentia nutritiæ: ergo non potest, non sequi actio. Nihilominus, probabilius est, non esse prorsus necessarium vt perpetuò, sine vlla interruptione viuens nutritatur (quandiu viuit) per conuerzionem alimenti in suam substantiam. Constat enim homi-

nem in primo instanti suæ productionis, & in tempore proximè sequenti viuere & tamen falsum est in illo primo instanti, & in toto tempore immediatè sequenti nutriti per conuersione alimenti, quia in illo primo instanti non est alimentum dispositum, cùm nullum præcesserit tempus in quo disponeretur. Potuit quidem disponi per totum illud tempus immediatè subsequens, primam productionem, sed non conuersti, quia non fit illius conuersio in tempore, sed in instanti. In tempore enim fit quidem alteratio, concoctio, & præparatio alimenti, sed non nutritio: si quidem nutritio fit in eo instanti in quo verum est dicere, iam esse alimentum vltimatè dispositum per introductionem vltimi indiuisibilis terminatiui dispositionum. Supposita namque prævia alteratione, concoctione, & præparatione alimenti, nisi sequatur conuersio, viuens non dicitur nutriti: posita vero sola conuersione alimenti, dicitur nutriti: ergo post primam viuentis productionem sequitur sane tempus in quo disponitur alimentum: & post totum illud tempus sequitur instans in quo fit conuersio in substantiā viuentis. Vndē colligi potest, in eodem numero instanti in quo fit vltimum indiuisibile terminatiuum dispositionum, deperdi formam alimenti; eius materiam, vnitri materiae viuentis, & ex illa educi partialē formam viuentis, illique yniri ut fiat viuens. Quod autem in eodem instanti fiant hæc omnia patet. Nam, si materia alimenti non vniatur materiae viuentis in eodem instanti in quo fit nutritio; ergo vel antè, vel post. Non ante, quia ante illud instans, materia alimenti est adhuc sub propria forma, & quandiu remanet alimentum sub propria forma discontinuum est à viuente. Sanguis enim qui est vltimum alimentum, ante instans quo fit eis conuersio in substantiam viuentis adhuc remanet in vena eo modo quo vinum in vase: ergo, quemadmodum vinum non vnitur dolio per continuitatem, sed tantum fit indistans per contiguitatem: ita sanguis non vnitur viuenti, sed illi contiguum est: & si cū non vnitur eius materia, mate-

riæ viuentis antè illud instans in quo fit nutritio: sed præcisè in illo instanti quo fit nutritio. Et ratio est euvidens, nam tunc debet vñiri materiae viuentis quādo incipit fieri materia viuentis: atqui incipit fieri materia viuentis in eo instanti quo definit esse materia alimenti: ergo, in eodem instanti desinit esse materia vnius, & fit materia alterius. Cūm autem in eodem instanti educatur forma partialis viuentis de potentia materiae illius quæ fuerat alimenti, sequitur quod simul in eodem momento producatur ultimum indiuisibile dispositionum, expellatur forma alimenti, introducatur forma viuentis, & resultet totū nutritū.

Ex dictis constat; nutritionem fieri per vñionem materiae alimenti, cum materia viuentis. Idque per actionem caloris natui, qui cūm perpetuò agat in substantiam viuentis, nonnihil eius substantiæ dexterit: & vt illud detrimentum reparetur sumi debet cibus, qui succedat partibus deperditis. Cūm autem toto vitæ decursu calor huius-modi agat, quæri solet vtrum possit tandem contingere, vt sub finem vitæ nihil prorsus substantiæ illius habeat viuens, quam in prima sui productione sumpserat à generante. Quare, solent hoc loco quærere philosophi, vtrum, posito quod nihil prioris substantiæ habeat viuens sub finem vita, nihilominus idē numero viuens sit quale fuerat initio sua primæ productionis. Negat aliqui posse contingere, vt tota substantia accepta in prima rei generatione deperdatur, licet diu viuat animal, aut non esse idem numero viuens, si hoc contingat. Probant hoc modo si sub finem vitæ nihil sit substantiæ acceptæ in primæ rei generatione, & tamen sit idem numero viuens; sequitur idē produxisse seipsum, quia id totum quod habet, à seipso habet per nutritionem; atqui, nihil potest seipsum producere, cūm sit distinctio realis maior inter effectum, & suam causam effectricem: ergo, si sub finem vitæ sit idem numero viuens, debet in illo esse aliquid substantiæ per primam generationem acceptæ. Probatur minor nam in suppositione facta, substantia accepta in prima rei generatione producie-

cam quæ reperitur sub finem vitæ, quæque dicitur per nutritionem acquiri: ergo, tota substantia acquilata nutritione, est effectus substantiæ primò genitæ: ergo si sub finem vitæ sit tantum substantia nutritione acquisita, sub finem vitæ erit effectus substantiæ primò genitæ: & sic, si ex substantia nutritione comparata fiat idem numero viuens, quod erat ex primò genita, sequitur planè idem produxisse ipsum. Probant 2. nam hæ numero partes, componunt hoc numero totum: & illæ, numero partes componunt illud numero totum: ergo, positis ijs numero partibus, fit hoc numero totum: & sublatis ijs numero partibus tollitur hoc numero totum: ergo, positis ijs partibus primò genitis ponitur hoc numero totum; illis vero sublatis, tollitur & hoc totum: atqui, supponitur sublatas esse omnes partes primò genitas dum viuens est sub finem vitæ: ergo sub finem vitæ non est idem numero, quia non sunt eadem numero partes nihilominus.

D I C E N D U M est, nullum sequi absurdum, ex eo quod admittamus idem numero viuens perseverare sub finem vitæ quale erat initio suæ productionis, licet nihil prioris substantiæ remaneat. Probatur, nam in instanti generationis, vna cum anima procreatur in viuente, calor nativus qui perpetuo agit in substantiam viuentis; & tandem potest animal viuere, ut tota substantia eius per generationem accepta detrahatur: itavt sub finem vitæ nulla substantia sit praeter eam quæ comparata est per nutritionem; ergo, potest idem permanere. Stat sequela, nam viuens à primo instanti quo incipit nutritiæ est ens successuum, cum nutritio fiat successuè: entis autem successui est habere partes sibi mutuo succedentes, ex quibus omnibus constituantur, itavt constet ex prioribus & posterioribus: ergo, viuens in primo instanti quo incipit nutritiæ, incipit esse idem numero, quod futurum est sub finem vitæ, licet nihil tunc habeat prioris substantiæ. Confirmatur, nam hora V. g. quæ constat quatuor quadrantibus sibi mutuo succedentibus, ca-

dem est numero sub primo quadrante, quæ futura est sub secundo; & eadem sub secundo, quæ futura est sub tertio, & sic deinceps eo præcise quod sit ens successuum, quia entia successiva sunt ea quorum partes non existunt simul, sed successivæ: ergo, pari modo, cum viuens sit de genere successuorum; idem est initio sue productionis, quale est futurum sub finem vitæ: licet initio nihil habeat illius substantiæ quam habiturum est sub finem; nihil que sub finem illius quam habuit initio, quia est ens successuum.

DICES, corruptis omnibus partibus aliquod totum componentibus, corruptitur totum: ergo, corrupta tanta substantia primo genita corruptitur viuens. Distinguo, corruptis omnibus partibus adæquatè componentibus aliquod totum, corruptitur illud totum, concedo: corruptis omnibus partibus inadæquatis, nego. Viuens autem componitur adæquatè ex partibus prioribus & posterioribus, nempè genitis, & per nutritionem comparatis, quia est ens successuum: non autem ex solis genitis, aut ex solis comparatis per nutritionem: quemadmodum hora componitur inadæquatè ex primo, & secundo quadrante sigillatim sumpro: adæquatè vero ex omnibus copulatiuè sumptis. Sed an nutritio differat ab augmentatione, videamus.

### QVÆSTIO III.

*An nutritio differat realiter ab augmentatione.*

VECTUS sensus questionis percipiatur, aduertendum est, duplex esse genus augmentationis. Vel enim fit augmentum per iuxta positionem materiæ, ut dum lapis lapidi super imponitur & sit maior moles: vel per intus susceptionem alimenti, ut dum sumpto alimento, & in substantiam vincentis conuerso, sit maius corpus viuentis: & de hac sola augmentatione agimus. Dari autem hanc in viuentibus, negarunt aliqui

cum Magistro sententiarum qua parte de medio tol-  
lunt nutritionem , afferentes augmentum viuentium  
fieri per rarefactionem partium acceptarum in prima  
generatione. Et sanè si nulla fiat conuersio alimenti  
in substantiam viuentis, neque fieri etiam augmenta-  
tionem necesse est, cùm ipsa sit accretio per intus sus-  
ceptionem alimenti. Sed experientia conuincit, vi-  
uentia successu temporis augeri suscepto alimento,  
decrescere, sublato. Puer enim vix palmaris dum na-  
scitur, postmodum factus vir, tantus est, quantus cer-  
nitur auctior factus , quod sine incremento reali fa-  
ctum esse nemo sanè dixerit. Definitur autē accretio,  
*motus vitalis ab anima vegetativa ortus beneficio fa-*  
*sultatis augmentativa, & caloris naturalis, quō suscep-*  
*to intus, digestoque alimento, idem numero viuens à mi-*  
*nori ad maiorem quantitatē promouetur, ut sue na-*  
*tura consentanea operetur :* Vel vt alijs placet, augme-  
tatio est conuersio maioris alimenti, quam sit deperditum  
de substantia viuentis. Nutrio vero conuersio æ-  
qualis, aut minoris alimenti, quam sit deperditum de  
substantia viuentis per calorem natuum , vbi vides  
nutritionem & augmentationem terminari ad mino-  
rem vel maiorem quantitatē alimenti, tantum secū-  
dariò : primariò vero ad solam conuersione alimenti.

DOCENT Complutenses disp. 5. de nutr. q. 2. § 3.  
nu. 14. nutritionem, & augmentationem tam vt actiones , quam vt mutationes realiter inter se distingui. Probant 1. hac ratione falsa, nutritio , & augmenta-  
tio tam vt actiones, quam vt mutationes recipiuntur  
in subiectis realiter distinctis ; ergo, realiter distin-  
guntur. Probant minorem, nam nutritio vt actio sub-  
iectatur in alimento conuertendo, ex eo quod terminus  
primarius illius, scilicet ultima dispositio, aut eius  
terminus in eo subiectatur : at vt mutatio, & transitus  
immediatus ad formam substantiam aliti, recipitur  
in materia prima : augmentatio vero , tam vt motus,  
quam vt actio recipitur in toto composite quod au-  
getur. Sed contra, nam 1. terminus primarius nutritio-  
nis non sunt dispositiones ad formam; sed ipsa forma.

Nisi velint nutritionem esse alterationem ; quia per alterationem materia alimenti disponitur , recipitur verò postea forma viuentis per nutritionem , & licet nutritio esset terminata ad dispositiones , tamen non sequeretur illam subiectari in alimento, sed in materia prima alimenti, quia in illa recipiuntur dispositio-nes,& in eodem subiecto recipitur actio in quo eius terminus, vt ratio dictat, alioquin actio esset in uno subiecto & eius effectus in alio, quod est absurdum.

2. ex illis disp. 17. de actione , & passione. q. 2. §. 2. nu. 13. actio, passio, & motus sunt unica entitas realiter identificata: ergo, nutritio vt actio, non potest esse in alimento , & vt motus in sola materia prima aliti, nisi velint eamdem numero entitatem indivisibilem, esse simul in duobus subiectis realiter distinctis. 3. ex illis disp. 5. de nutr. q. 2. §. 2. nu. 15. terminus immedia-tus augmentationis, tam vt est actio, quam vt est mo-tus est maior quantitas viuentis, de novo acquisita per nutritionem : ergo, in eodem subiecto in quo recipi-tur illa maior quantitas , in eodem debet recipi aug-mentationatio ; atqui illa noua quantitas est in materia quæ fuit alimenti , & quæ facta est viuentis per suū conuersionem in substantiam viuentis , vt etiam ad-mittunt Compl. qua parte docent quantitatem esse coēuam materiæ, eiusque proprietatem : ergo , aug-mentationio prout est actio , non subiectatur in toto cō-posito, sed in sola materia conuersa in substantiam vi-uentis. Deinde nulla accidentia Physica & positiva subiectantur in toto, sed in sola materia , vt tyrones sciunt. Quare.

DICENDVM est , nutritionem & augmentationem non distingui inter se nisi accidentario, secundum plus aut minus materiæ acquisitæ per conuersionem sub-stantiæ alimenti in substantiam viuentis. Si enim tan-tum acquiratur de substantia alimenti , quantum fuit deperditum de substantia viuentis per calorem na-tium , illa acquisitio dicitur simpliciter nutritio : si verò plus materiæ acquiratur alimenti quam sit de-perditum de substantia viuentis, unde, viens aug-  
-

tur, illa *acquisitio* vocatur *augmentatio*: ergo, *nutritio*, & *augmentatio* conueniunt in hoc, quod utraque sit *essentialiter* conuersio alimenti in substantiam viuentis: differunt vero in eò quod nutritio dicat solam conuersionem: augmentatio vero conuersionem maioris quantitatis materiae: quam sit deperdita per calorem natuum: atqui major aut minor quantitas materiae quæ conuertitur, se habent omnino accidentariò: ergo, nutritio & augmentatio differunt tantum accidentariò. Stat sequela nam conuersio maioris aut minoris quantitatis materiae, non addit aliquid reali termino nutritionis, sed tantum est fundamentum relationis inæqualitatis quæ est inter quantitates materiae utriusque. Deinde tota essentia nutritionis sicut in ipsa conuersione alimenti: in augmentatione autem reperitur *essentialiter* talis conuersio: ergo *essentialiter* sunt idem: unde, ubi augmentatio, ibi nutritio primò per se: sed ubi nutritio ibi non est semper augmentatio plurimi enim nutriuntur qui non augmentur; cum scilicet peruerterunt ad statum consistentiae.

**QyARES**, utrum augmentatio & diminutio opponantur inter se, & an sint motus positivi; vel priuationi. Docent aliqui utrumque motum esse positivum, ratio est quia uterque tendit ad terminum positivum: augmentatione scilicet ad quantitatem maiorem ea quæ deperdita est per calorem natuum: diminutio vero ad quantitatem minorē eā quæ deperdita est per eundem calorem. Sed probabilius est augmentationem quidem esse motum positivum quia tendit *essentialiter* ad maiorem substantiam acquirendam: diminutionem vero esse motum priuationis, quia natura suā tendit ad priuationem, seu ad deperditionem substantiae viuentis per calorem natuum. Et probatur, nam rem aliquam minui, est aliquid sui deperdi quemadmodum augeri est aliquid sui adipisci: sed omnis deperditio est motus priuationis seu negatius quia tendit ad non esse rei: omnis vero adeptio est motus positivus, quia tendit ad esse rei: ergo, augmentatio est

motus positius : diminutio vero priuatius, priuatius inquam non negatius : quia est deperditio rei in subiecto aut quasi subiecto apto, nepe, deperditio partium viuentis in viente apto illas habere. Et re vera easdem recipit per aequivalentiam beneficio nutritio-  
nis. Sed haec de nutritione, augmentatione & diminu-  
tione. Nec est cur diu immoremur in inuestigando an  
augmentatione, & diminutio sint motus successui, aut  
instantanei. Cum enim nutritio sit idem in re cum  
augmentatione, & nutritio sit motus successu discretus, non continuus, planè sequitur augmentationem esse etiam successu discretam : & ex opposito,  
diminutionem successu discretu tendere ad corruptionem partium viuentis per calorem natuum : itavt  
per tempus disponantur illæ partes ad corruptionem:  
per instantia vero successiva, corrumpantur.

**QVÆRES**, an augmentatio fiat toto vita decursu.  
Resp. negatiuè. Aristoteles enim lib. 3. de anima text.  
59. triplicem statum ponit in viuente, nempè augmē-  
tum, statum consistentiæ, & decrementum. Quandiu  
viger calor natuus, vt plus substantia alimenti con-  
uertatur, quam sit deperditum de substantia viuentis,  
tandiu dicitur fieri augmentatione: quandiu vero aequa-  
lis acquiritur, & aequa deperditur: tandiu est status  
consistentiæ : at quando semel debilitata est virtus  
nutritiua, vt plus deperdat, quam acquiritur, tunc fit  
diminutio. Docent aliqui, hominem increscere usque  
ad quadragesimum annum: manere in statu consi-  
stentiæ, usque ad octagesimum: inde vero in decre-  
mentum vergere. Sed, quia putant aliqui incrementum  
fieri non per additionem nouæ substantiæ, sed  
per rarefactionem primæ uæ: decrementum vero eue-  
nire non per deperditionem ullius substantiæ, sed per  
condensationem primò genitæ; postulat res, vt quid  
sit rarefactio, & condensatio videamus. Sit igitur



# DISPVVTATIO QVINTA.

---

*DE RAREFACTIO<sup>N</sup>E,  
& condensatione.*



IFICILE M, & intricatam aggredimur modò disputationem. Quò enim plus oculi vident in incremento rarefactionis, eò minus intellectus cognoscit. Quærimus ergo, an rarefactione corpora aliquid nouę quantitatis acquirent: densatione aliquid deperdant. Ut igitur, facilius nos ab hac difficultate quæ omnibus immanis visa est, extricemus, aduerte, nos acturos de rarefactione & condensatione immediate post nutritionem, augmentationem, & diminutionem propter mutuam similitudinem quam habent inter se. Ut enim augmentatione sit res extensior: diminutione contractior: ita rarefactione sit res grandior: condensatione minor. Sit igitur.

## QVÆSTIO I.

*An in rarefactione corporum, noua acquiratur  
quantitas. Et an in condensatione  
deperdatur.*

UT sensus quæstionis percipiatur obseruande sunt hæc voces, rarefactio, & condensatio: nec non & termini ad quos tendunt. Est igitur rarefactio actio qua parum materiæ ponitur sub magna extensione locali: condensatio vero, actio quâ multum materiæ ponitur sub minori extensione locali. Termini igitur harum actionum sunt, vel illa maior aut minor extensio externæ: vel maior aut minor extensio interna. Per extensionem internam intelligo quantitatem cathegoricam, vel ubi intrinsecum; per extensionem verò, vel spatiū illud occupatum à re, vel superficiem rem raram, aut densam ambientem. Scribit Pomponiacus per rarefactionem corrumpi priorem quantitatem, aliam verò de nouo produci quæ sit maior in extensione. Probat hoc modo, dum per ebullitionem aqua fit duplo maior, nisi prima eius quantitas sit deperdita, & altera maior acquisita, idem numero corpus erit simul in duobus locis adæquatis. Hoc probat, nam illa aqua occupabat tantum median partem ollæ: ergo, modò duo loca sibi adæquata. Stat sequela nā media pars vas is erat eius locus adæquatus: ergo, cùm occupat totum vas est in duobus locis adæquatis realiter distinctis. Ut huic respondeas obiectioni, obseruantur est, corpus capax rarefactionis habere suum minimum, & maximum quod sic spatiū in duplice genere, alterum in statu connaturali: alterum in statu violento. Quandiu ergo aqua palmaris, V.G. In statu sibi connaturali existit, necessariè postulat

spatium palmare, tanquam locum adæquatum: si vero spectetur in statu violento per ebullitionem, in quo potest occupare spatium bipalmare, spatium palmare est eius locus inadæquatus: bipalmare vero adæquatus.

**S**COTVS in 2. dist. 22. quæst. 4. negat quidem corrumpi priorem quantitatem & aliam maiorem produci, sed tamen afferit fieri de nouo per rarefactionem aliquid quantitatis proportionaliter ad spatium maius de nouo occupatum. Ostendit exemplo, dum aqua palmaris, inquit, fit bipalmaris per sui raritatem, non deperditur quidem prima palmaris quantitas sed alia palmaris producitur, quæ una cum alia efficit bipalmarum, extenditque eamdem materiam ante palmarem, ad spatium bipalmare. Probat ratione, nam extensio localis est propria passio quantitatis, res enim fiunt extensa per quantitatem: ergo, maior extensio oritur à maiori quantitate. Cùm igitur post rarefactionem sit maior extensio consequenter esse maior quantitas, à quâ illa maior extensio oratur; nam variata essentia, variatur proprietas, & è contraria. Variatur autem per raritatem proprietas quantitatis saltem accidentariò secundum extensionem: ergo, illa quantitas debet secundum extensionem, aut magnitudinem variari. Sed contra, extensio localis, seu loci occupatio indeterminatae magnitudinis est proprietas quantitatis internæ concedo: determinatae magnitudinis, nego. Si enim fiat violentia rei, maius spatium occupat, ut patet, per raritatem aut minus, ut patet in condensatione. Quare.

**D**I C E N D U M est, nihil quantitatis acquiri per rarefactionem. Nam in primis, quantitas est ingenerabilis, & incorruptibilis, nec fit nisi per emanationem è materia: ergo, non potest fieri per rarefactionem. Deinde, si de nouo fieret vel crearetur materia, in qua reciparetur, vel esset simul cum alia quantitate in eadem materia: atqui, nec duæ possunt existere simul quantitates: nec de nouo fieri materia; ergo, neque quantitas fieri per rarefactionem. Non datur agens naturale tantæ virtutis, ut possit agere in subiectum

inextensum: sed omne agens supponit materiam extensam quia quantitas est potissima dispositio ad introductionem aliarum dispositionum, & formarum: ergo, nihil potest assignari in causa quod sit principium productuum quantitatis. Non quidem materia quæ nullius rei est activa, neque forma quæ nequit agere nisi in materiam quantitate affectam: neque qualitates propter eandem rationem; ergo, nihil; proindeque ad nihilum est reducenda opinio quæ ponit quantitatem fieri per rarefactionem. 4. Si rarefactione noua quantitas produceretur in subiecto rarefacto: vel destrueretur tota illius quantitas; & de novo adueniret maior, vel duntaxat illius pars: nam admittere priorem remanere cum posteriori, pugnat primò cum illo principio quo supponitur tanquam certum, duo accidentia eiusdem speciei solo numero distincta non posse repetiri in eodem subiecto. 2. cum eo quo censetur naturaliter impossibilis penetratio dimensionum. Quomodo enim duæ quantitates possent eam materiam informare nisi essent penetratiæ cum ea: deinde non potest totalis quantitas aut partialis destrui: nec proinde alia noua generari cum sit ingenerabilis & incorruptibilis.

PRÆTEREA, si totalis quantitas periret, simul interiret omnia accidentia corporea quæ mediante illa inhaerent materiae, & consequenter forma, quæ nequit subsistere nisi sint dispositiones, neque dispositiones, nisi sit quantitas: atque, per rarefactionem non perit forma, neque eius dispositiones; ergo, neque quantitas. Si tantum pars destrueretur, expellerentur etiam ex parte accidentia, quæ illi in sunt ut subiecto quo, & tamen hoc est absurdum; ergo neque pars quantitatis deperit, ut maior succedit: sed remanet sub maiori dimensione externa, & locali. Denique, species sacramentales rarefiunt aliquando, & tamen post rarefactionem tam bene continent corpus Christi, quam antea, quia nondum censentur species corruptæ: ergo, si per rarefactionem noua quantitas fieret sub illa totum corpus Christi contineretur: atque ita

sub accidente non consecrato sacro sancta Christi humanitas existeret, quod est absurdum, & contra fidem Ecclesiae Catholicæ, quæ censet eadem accidentia remanere post consecrationem, non alia, quæ non fuerunt panis. Quod si dicas post rarefactionem non futurum Christum in ea portione quantitatis quæ per eam fuit acquisita; iam admittitur non minus absurdum, nempè Christum non esse in tota hostia, illamque ex parte debere adorari, ex parte non debere. Sed neque hoc responso difficultatem fugis, nam saltem admittis de novo quantitatem produci in hostia consecrata, & quidem virtute agentis naturalis rarefientis illam: siue fuerit sol calore suo, siue ignis, aut quid simile; ex quo sequitur produci naturaliter extra omne subiectum, quantitatem. Nam in hostia consecrata nulla est materia, cum substantia omnis absit præter corpus Christi gloriosum, quod in tali statu non est capax ullius accidentis; neque esset in alia quantitate, aut alijs accidentibus subiectiuè, ut patet. Deinde, fieret ex nullo subiecto, quod repugnat agenti naturali cuius virtus finita requirit semper subiectum circa quod operetur. Rarefactio igitur non terminatur ad ullam quantitatem sed ad aliquid aliud, nempè ad qualitatē quandam, quā sequitur maior loci occupatio, seu maior extensio localis extrinseca, ut dicetur qu. 3. Sed an per condensationem minuatur quantitas, videamus.

## Q V Æ S T I O II.

*An per condensationem, noua fiat Quantitas.*

**V**T condensatio omnino est rarefactioni opposita ita per eam, quantitatem desperdi dicitur a quibusdam: quemadmodum per rarefactionem asseritur acquiri. Eorum ratio est, quia maior apparet res post condensationem, quam esset; ut patet in aqua congelata

gelata: ergo , aliquid illius deperditum est. Probant sequelam , nam si eadem sit quantitas quæ antea , & tanta quanta erat,& tamen minorem occupat locum: sequitur esse tantam,quanta erat ? & non esse tantam quanta erat quia plus & minus occupauit loci. Sequitur. 2. dari penetrationē dimensionum contra Aristotelem,& cōmunem sensum scholæ. Ratio est evidens, nam ex suppositione, quod corpus aliquod condensationis capax, ut aqua, sit bipalmare. antequam addēsetur; postea vero fit tantum palmare, signum est duplicitē palmarem quantitatē esse simul penetratiū in uno, & eodem loco : atqui hoc implicat fieri naturaliter: ergo implicat corpus bipalmare ante sui addensationem , fieri tantum palmare per addensationem nisi dimidiam sui amiserit quantitatem. Sed contra, diximus enim superiori quæst. extensionem externam determinatē magnitudinis aut paruitatis non esse proprietatem quantitatis internæ ; sed indeterminatē magnitudinis,aut paruitatis: itavt idem numero corpus quantitate p̄aditum, possitmodo maiorem modō minorem locum occupare, pro varia suarum partium dispositione. Si enim magis comprimantur , minus occupabunt spatium: si verò magis dilatentur maiorem obtinebunt locum. Quare.

D I C E N D U M est , nihil quantitatis deperdi per addensationem rei. Primo enim quantitas est ingenerabilis & incorruptibilis quemadmodum materia cuius est proprietas: ergo, quemadmodum nihil materiæ potest deperdi ita neque aliquid quantitatis. 2. si quantitas deperderetur , vel materia in qua illa est , abiret in nihilum, vel aliam reciperet quantitatem , vel simul penetratiū poneretur cum alia materia : atqui, duæ materiæ nequeunt esse simul : neque alia succedere quantitas, quia non adesset causa productiua illius : neque materia abiret in nihilum siquidem, Deus non solet anihilare quod semel creauit, nec probabile est tot sequi absurdā ex leui comprehensione corporis ; ergo nihil quantitatis deperditur per condensationem; sicut nihil acquiritur perrarefactio-

434 PHYSICA TOLOSANA,  
nem. Sed melius percipietur haec quæstio, si semel in-  
uestigauerimus qui sint termini rarefactionis, & con-  
denstationis. Quod ut ritè efficiatur, sit

---

## Q V Æ S T I O III.

### *Determinis rarefactionis, & condensationis.*


**N**omine termini non intelligitur hoc loco, id  
vnde procedit motus sed id ad quod tendit mo-  
tus. Scimus enim rarefactionem procedere. v. g. ab  
aqua palmari, ad bipalmarem seruata eadem quanti-  
tate interna : & condensationem ab aqua palmari ad  
semipalmarem seruata eadem quantitate : sed non  
ritè percipitur quid sit id ad quod ordinatur uterque  
motus. Valesius controværia. 7. ad tyrones scribit ra-  
refactionem per se tendere ad maiorem partium rei  
rarefactæ inter se dilatationē: cōdensationem vero ad  
maiorem distantiam earum partium inter se. Ut autem  
id capias, aduertere corpora quæ rarefiunt & cōdensan-  
tur debere poris abundare qui rarefactione, replentur  
aliquo subtili vapore: euacuantur verò per condensa-  
tionem. Hoc posito, probat Valesius suam opinio-  
nem hoc modo, impossibile est rarefieri corpus ali-  
quod nisi partes illius magis dilatentur, seu recedant  
a se se seruata tamen earum continuitate: atqui hoc  
non potest fieri nisi antè rarefactionem, inter partes  
huiusmodi fuerint pori contigui, & omnino vacui,  
qui repleantur aliquo vapore, dum fit rarefactio:  
alioquin deberet augeri quantitas, ergo, rarefactio ad  
maiorem distantiam partium rei rarefactæ tendit. De  
condensatione probat eadem ratione, quia oppositorū  
est eadem doctrina; siquidem contraria contrarijs op-  
posita magis elucescunt. Ideò inquit, corpus ali-  
quod est rarefactum quia pori eius sunt pleni aliquo  
vapore subtili ratione cuius illius partes magis inter-

¶ distent : ergo , à pari , ideo condensabitur quia à poris recedit ille vapor per compressionem partitum , q̄o recessu magis accedunt ad se partes , & minor s̄ quitur loci occupatio . Sed contrà , quis vñquam potuit sibi persuasum habere , vt aqua habeat poros p̄enos vapore dum rarefit , vacuos verò dūm addensatur , mittenda est igitur hæc opinio tanquam invalida licet sit Valeſij .

S C R I B I T scottus in 4. dist. 22. q. 4. rarefactionem per se terminari ad maiorem quantitatem internā : Hærtueus quodlibeto. 2. q. 5. & Buridanus lib. 4. Phys. ad text. 84 ad maiorem extensionem externam : alij verò ad maiorem præsentiam localem . Proabant autem eadem prorsus ratione ; vndē sequitur apud illos idem omnino esse hæc tria , quantitatem internam , extensionem externam & præsentiam localem : siue hæc sumatur pro vbi intrinseco quod est præstitia rei in loco ; siue pro ipso loco extrinseco qui est superficies corporis ambientis locatum . Ratio est huiusmodi , rarum est , quod habet parum materia sub magnis dimensionibus , densum verò quod , habet multum materia , sub paruis dimensionibus . Atqui rarefactio tendit ad rarum : & condensatio , ad densum : ergo , condensatio tendit ad paruam quantitatem , seu ad paruam extensionem , & paruum vbi : & rarefactio ad maiorem extensionem , & maiorem quantitatem . Sed , vnum sumunt pro alio ; nempe externam occupationem loci , pro quantitate interna . Concedimus enim , maiorem fieri loci occupationem rarefactione : minorem verò condensatione : sed negamus , quantitatem internam minui in se vel augeri . Illa enim penitus inuariata , modò maiorem , modò minorē potest obtinere loci externi extensionem seu occupationem , ut suprà statuimus Quare .

D I C E N D V M est , terminum rarefactionis , & condensationis esse qualitates inter se oppositas , nempe , raritatem , & densitatem . Ita docent Complut . & dictat ratio , nam sunt veri motus , ergo vel terminantur ad substantiam , vel ad accidentis . Non pri-

mum, qui omnis substantia sit vel creatione, vt materia: vel generatione, vt forma: vel nutritione, aut augmentatione, vt partiale viuens? & per rarefactionem nec sit partiale viuens, cum nullum alimentum conuertatur in substantiam viuentis per illam: nec forma, nec materia, vt patet; ergo, sequitur quod siat aliquid accidens: non autem quantitas quae fluit est materia? nec ubi quia hoc sit motu locali: ergo, aliqua qualitas cuius effectus formalis sit efficere ut partes sint rariores, densiores vero densitate, vnde, sequatur maior vel minor loci occupatio. Multa autem contingunt dum aqua, V. G. rarefit, aut condensatur. Dum rarefit in olla ebulliente, producitur calor, deinde raritas, tum demum maior extensio, seu maius ubi: dum vero condensatur per congelationem, primò producitur frigus frigefactione; raritas, rarefactione; minor extensio, seu minus ubi motu locali. Rarefactio enim, & condensatio sunt talis naturae, ut secum deferant necessarium motum localem ut patet. Et haec de ijs quae spectant ad libros de ortu, & interitu & transmutationem elementorum, ad mixta progrediamur.



# DISPVTATIO SEX TA.

*DE MIXTIS PERFECTIS VI-  
uentibus seu de anima in communi.*



**I**XTA dicuntur quæ sunt ex elementis, & in elementis tandem resoluuntur. Sunt autem in duplo genere, perfecta scilicet & imperfecta. Mixta imperfecta sunt quæ solo accidente differunt ab elemento ex quo sunt, ut meteora ignita, aqua & terrena quæ vel ex aqua, vel ex igne, vel ex terra extrahuntur, & essentialiter sunt ipsa terra, vel ipse ignis, vel ipsam aqua. Est enim materia proxima meteororum vel exhalatio ex terra: vel vapor ex aqua: adeo vt ex vaporibus sunt nebulæ, nix, granulo & similia; ex exhalationibus vero fulguri fulmen, & aliæ impressiones ignitæ quas in aere comprehendimus. Dicuntur autem hæc meteoræ mixta imperfecta, biquandui ex multis elementis, ariè alteratis, & in tertiam quandam naturam, quæ propriè mixtum dicitur, transmutatis coalescent; sed ex unico tantum ratiisper alterato, adensato & quibusdam affecto impressionibus accidentarijs, ut patet in caligine.

nive, grandine, & nubibus quæ aqua sunt essentialiter, licet aliud quipiam videantur esse. Caligo enim aqua est patum densa, nix aqua densior, grando vero aqua densissima: & nubes quis non videt esse aquam quasi fumosam quæ immediete vertitur in pluviam? Fulgor, fulmen; & alia meteora ignita, ignis sunt essentialiter, nec differunt nisi penes quedam accidentia, cum vertantur immediete in ignem, & hæc est opinio communis. Mixta perfecta sunt in dupli generè nempe inanimata, & animata. Primi generis sunt metallæ quæ gignuntur in visceribus terræ vi syd. rum & solis: & gemmæ quæ in visceribus terræ, & in ipso æquore procreantur. Secundi generis sunt plantæ, arbores, animalia bruta & ipse homo qui cum sit cæteris perfectior, cæteris domiaatur, & præst omnibus, licet sibi ipsi aliquando & alijs (proh dolor) subiicitur. De meteoris, & mixtis non viventibus erit nobis alibi peculiari volumine pertractandum: nunc vero ad animata progrediamur.

Sic igitur.

## QVÆSTIO I.

*Quid & quodplex sit animarum genus?*

**D**uo querit ticus huius questionis, primū, quæ res sit anima ingenere: secundū, an multiplex sit animæ genus. Animæ esse quendam halitum cœlum antiqui Philosophi, vel quendam ignem in corpore inclusum quo concipiuntur membra, & quasi vegetent ex sumpto alimento; eo ferè modo quo ignis apud nos vegetat, & quasi nutritur ex adhibito ligno. Sed hæc fabulosa. Alij docuere animam esse quandam substantiam nobiliorem igne, quatenus præstantiores edit effectus: & sancè hi sanius. Circulum quendam esse animam voluit Plato quandoquidem directè

intelligit, & iterum reflectit se supra se , & quasi circulatiter operatur. Inquirit enim essentiam rerum per proprietates, & proprietates per essentiam , quod est quasi circulum facere , & sic eam esse circulum oportet, cum omnis causa sit similis suo effectui. Nec circulum, nec ignem aut habitum voluit esse animam Aristoteles, sed substantiam aliquam partialem cæteris formis substantialibus præstantiorem , ex qua , & corpore organico sit præstantissimum opus naturæ, nempe viuens. Duplici autem definitione explicat eius naturam ijs verbis. *Anima est actus primus substancialis corporis physici organici potestate vitæ habētis.* Et statim, *anima est principiū quo sumus viuimus, sentimus mouemur, & intelligimus.* Hæc doctrina Aristotelica est & amplectenda , sed vtraque definitio ex plananda. Anima est forma constitutua viuentis, ergo debet cum alijs formis substantialibus conuenire in aliquo ; & in aliquo alio discrepare. Conuenit cum alijs formis substantialibus in eo quod sit actus primus substancialis : differt verò ab eisdem quod sit actus substancialis corporis Physici organici potestate vitam habentis. Cæteræ namque formæ ; ut forma ignis , aquæ , terræ metallorum & quæ viræ expertes sunt, dicuntur quidem actus primi substancialis materiae primæ dispositæ: sed non corporis Physici potestate vitam habentis , quia nullum actuavit corpus sed materiam; neque illa materia est apta vitæ habere per propriam formam ; quemadmodum corpus organicum per animam, quia sola anima est principium vitæ. Differt etiam anima ab alijs formis accidentalibus , quod hæc sunt actus accidentales materiae primæ : illa verò actus primus substancialis corporis Physici organici. Per corpus organicum intelligo materiam affectam quantitate & formis partia libus ossis , nerui , tendonis carnis in sensitius & rationalibus : in vegetatiis verò quibusdam venulis quæ in arboribus & plantis deprehenduntur. Differt etiam anima à materia prima , per vocabulum actus; nam materia non est actus, sed potentia ut tyronibus

notum est. Alia est definitio quae non traditur à priori per actum essendi, sed per principium operandi & est huiusmodi, *anima est primum principium quo sumus, viuimus, sentimus mouemur, & intelligimus*. Et rechè quidem, nam prius est esse, quam operari. Sed hæc vltima definitio magis excellentiam animæ exprimit quam præcedens, dat enim illi esse cum inanimatis, viuere cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum angelis, uno verbo satis indicat animam esse in nobis & reliquis viuentibus principium essendi, viuendi, sentiendi, & intelligendi.

AN verò illa duplex definitio sit essentialis vel accidentalis, non est ita certum. Docent enim aliqui esse accidentalem hac ratione, anima est ens absolutum, ergo non debet definiri per relationem ad corpus, vel illa relatio erit de essentia animæ, & sic anima erit ens relativum. Deinde, anima debet esse aliqua substantia cum constituat aliquid totum substantiale nempè viuens: atqui nulla substantia est principium operandi, nec proinde sentiendi & intelligendi, cum nulla substantia sit per se operativa sed tantum persua accidentia, ergo utraque definitio manca est. Sed contra, anima est ens absolutum ab omni relatione categorica, concedo: ab omni relatione transcendentali, nego. Includit enim essentiali ordinem ad corpus organicum, quemadmodum aliæ formæ tum substantiales cum accidentales ad materiam primam: ut una cum corpore organico constituant viuens, quemadmodum aliæ formæ substantiales una cum materia constituant totum compositum physicum. Vnde, materia includit respectum ad formam, & forma ad materiam, nec hac dere potest essentialium. Dicitur autem principium radicale essendi, viuendi sentiendi, quia est radix ex qua pulsulat intellectus quo intelligimus: facultas sentiens quâ sentimus; virtus quâ viuimus nutrimur & vegetamus: & est ratio quâ sumus & constituimus in talie esse viuentis.

SUPEREST Inveigandum an illa duplex de-

Facio conueniat vniuocè triplici animæ , vegetanti sentienti & rationali ; sed prius examinandum an detur illud triplex genus. Asserunt aliqui quatuor esse animarum genera , nempè animam vegetantem , vt sunt plantæ, simpliciter sentientem , vt sunt ostrea; sentientem progressiū, vt bruta animalia: & rationalē quæ cæterarum continet perfectiones. Probant autem à posteriori hoc modo , tot sunt animarum genera quo sunt operationes in viuentibus genericè diuersæ: & tot sunt operationes , quo sunt potentiar: atqui quatuor sunt potentiar: genericè diuersæ in viuentibus : ergo tot sunt operationes totidemque animæ. Maior est certa, probatur minor, nàm datur vegetatio in plantis , simplex sensatio in insectis : sensatio cum motu progressiō in brutis, & ratiocinatio in homine: ergo, datur quadruplex genus animæ. Cōfirmatur nam in cōcreto dantur quatuor genera animatorū vegetatiuum , sensituum , progressiū & rationale: atqui omne animatum fit tale ab anima quemadmodum omne album fit huiusmodi ab albedine : ergo , quatuor sunt genera animarum. Sed contra , nàm concessis quatuor animatorum generibus negatur ramen dari quatuor genera animarum. Sensituum enim & progressiū per eamdem genere animam constituuntur , nempè per sensituum: vnde non sunt duo genera, sed idē omnino genus. Et sic datur tantū vegetatiū , sentiens & rationale. Quod vt percipiā aduertere , diuersitatem genericam formarum omnium à quodam gradu superiori peti , quō vna dicitur alià perfectior , vnde , quæ elementorum sunt , aut mixtorum inanimatorum eiusdem generis dicuntur esse , quia nimirum genericè conueniunt in ratione formæ , nec vna perfectior est altera in ratione formæ , sed in ratione talis formæ , hoc est quoad speciem. At anima vegetans aliud genus constituit formæ , quia gradu vitæ formas omnes inanimatas superat , estque illis omnibus superior ac perfectior : sentiens vero quia gradum sensus participat supra vitam , vegetantem vincit , estque è nobilior , & sic genus consti-

tuit diuersum, Rationalis pariter quia præter gradum  
vitæ, & sensus, intellectuum obtinet, ceteris per-  
fectior dicitur, ac genus constituit diuersum aut sal-  
tēm speciem insimam omnino incomunicabile alijs  
speciebus. At propriissima nec perfectior est sensitua  
nec diuersum genus ab illa constituit, quia potentia  
progressiva nec perfectior est sensu, nec genus consti-  
tuit diuersum à sensituo, cùm in ijs reperiatur quæ  
sola differunt specie, vt patet in omnibus brutis quæ  
generè conueniunt in gradu sensituo & tamen loco  
mouentur. Vnde, vnum est tantum animæ sentientis  
genus, licet duplex sit huius animæ animatorum ge-  
nus. Quia scilicet sunt quædam quæ sentiunt &  
progrediuntur, quædam vero quæ sentiunt quidem  
sed non progrediuntur. Leo enim sentit & progreditur  
ostreæ sentiunt & non progrediuntur, siue hoc fiat  
defectu organi, siue quod sint viuentia imperfectiora  
ratione materiæ. Alio modo potest hoc triplex genus  
animæ inuestigari simul & discrimen quod est inter  
animam & alias formas inanimatorum corporum.  
Omnis squidem forma quæ anima non est, suas ex-  
cercet operationes transeunter idque medijs primis  
qualitatibus: anima vero vegetans neque transeun-  
ter agit, sed immanenter, neque per primas qualita-  
tes sed per proprias facultates vitales, que sunt nu-  
tritiua, augmentativa, retentiua; concoctiua. Sentiens  
pariter non transeunter agit, sed immanenter per  
facultates sibi congenitas, vt sunt imaginatio, sen-  
sus communis, visus, auditus, odoratus, gustus &  
tactus medijs speciebus impræssis, de quibus suo loco  
Rationalis item immanenter agit per intellectum,  
voluntatem, memoriam. Et licet in hoc conueniant  
quod immanenter agant, discrepant tamen quod  
actus immanentes vegetantis sunt circa alimentum  
conuertendum: actus immanentes sentientis circa  
objœcta corporea imaginabilia, visibilia, audibilia  
&c. at actus immanentes animæ rationalis sunt circa  
objœcta intelligibilia & ab omni corporeitate materiæ  
denudato; quinimò sensus circa objœcta singularia

occupatur intellectus verò circa obiecta singularia & vniuersalia. Vnde colligitur, formas substantiales quæ vniuersum orbem constituunt paulatim & gradatim eleuari per varios gradus essendi, vegetandi, sentientiæ, & ratiocinandi usque ad angelos qui etiam animam rationalem superant per gradum intelligendi, intuitiæ, quia nimirum unico intuitu res ipsas permeant: homo verò non nisi per discursum. Colligitur. 2. naturam ab imperfectioribus ad perfectiora semper progredi, ut ab elementis ad mixta inanimata: ab inanimitis ad animata: à vegetantibus, ad sensituum: à sensituo ad rationale & a rationali ad intellectiu: ideò enim angeli dicuntur intelligentiae quod supremum participant intellectuum. Sed hic aduerte, quo maior sit recessus à principio radicali eo maiorem fiet multiplicationem rerum. Forma enim elementaris unica est genere illius verò species plures, quatum quelibet plures habet qualitates, & quævis qualitas plures operationes. Paritet anima vegetans una quidem est genere, sed plures habet sub se species, quelibet species plures qualitates, quævis qualitas plures actus. Similiter anima sentiens plures habet sub se species, & quævis species plures facultates ad diuersas operationes. Anima rationalis licet una sit specie, plures tamen habet facultates, quævis facultas plures habitus, singuli habitus plures operationes. Et si ab ijs inferioribus ad Deum ipsum libuerit mentem eleuare illum videbimus unicum esse, à quod tamen procedunt creaturæ. Sed maximè aduertendum quo plus res à suo primo principio recedit eo imperfectiorem esse. Anima enim imperfectior est Deo, intellectus imperfectior anima, intellectio imperfectior intellectu, ens rationis imperfectius intellectione quâ fit. Similiter omnis operatio est imperfectior facultate qua fit, & facultas in nobilio anima è qua fluit. Potest & aliâ viâ inuestigari numerus animalium, nempè per appetitum quo quævis res in suum tendit finem Triplex autem est appetitus rerum, naturalis, sensitivus & rationalis. Naturalis est

444 PHYSICA TOLOSANA,  
quo res sine villa prævia cognitione finis, ad illum  
tendit naturali impetu: idque dupli modo vel enim  
ille finis est omnino extrinsecus rei, vel intrinsecus.  
Si sit extrinsecus conuenit rebus inanimatis quæ na-  
turali impetu tendunt ad proprium locum: & sibi si-  
mile in natura intendunt procreare extra se, ut ignis  
ignem: si verò intrinsecus conuenit vegetatiis quæ  
se ipsa intus nutriunt, & naturali quodam impulsu  
sui conseruationem & augmentationē acquirunt per  
internam susceptionem alimenti. Sensitius appetitus  
ille est qui ex prævia cognitione finis operatur qui-  
dem, sed circa obiectum conueniens animali, quod  
bonum delectabile dicitur: at verò appetitus ratio-  
nalis licet in eo conueniat cum sensitivo ut ex prævia  
cognitione obiecti operetur, differt tamen ab eo quod  
obiectum eius sit bonum honestum & conueniens  
naturæ rationali. Atque ex illo triplici appetitu col-  
ligitur manifestè quadruplex genus formarum natu-  
ralium, inanimatarum scilicet, vegetantium, sentien-  
tiuum, & rationalium.

---

## QVÆSTIO II.

*Vtrum definitio animæ sit vniuoca vegetanti,  
sentienti & rationali: & an plures sint  
animæ in eodem individuo.*

EST & hæc quæstio escutienda, an definitio ani-  
mæ superius tradita sit vniuoca vel analogia tri-  
plici generi animarum. Quod sit vniuocum & analogum  
repete ex logicis: quæ sit definitio animæ habes  
in præcedenti quæstione. Negat interim Simplicius  
comimento. 7. eam definitionem esse vniuocam sed  
analogam vegetanti, sentienti & rationali, hæc ratio-  
ne, illa definitio non conuenit triplici animæ eodem  
modo, sed vni per analogiam ad aliam; ergo est ana-

Ioga. Probat antecedens, nām conuenit propriè sentienti, impropriè vegetanti, rationali verò per analogiam ad alias, quod probat. Anima est actus corporis organici potestate vitam habentis: atqui corpus plantæ non est organicum, corpus humanum licet organicum non actuatur tamen ab anima sed illi anima assistit eo modo quo nauta nauit: ergo solius corporis bruti est actus, quia illud est organicum & illud actuat anima, ut forma materiam. Idem sentit Themistius cap. 29. lib. de anima vbi docet nulla reperiri organa in vegetantibus quæ sint eiusdem rationis cum organis sentientium & rationalium: sunt enim organa sentientia animæ & rationalis, os, neruus, cartilago, iecur, cor, cerebrum &c. quæ nequidem possunt à somniantibus reperiri in plantis. Hoc autem posito ita arguit, diuersa organa petunt diuersam animam: in vegetatiis, & sentientibus sunt diuersa organa, ergo diuersæ animæ. Diuersæ autem animæ non definiuntur eadem & vniuoca definitione, ergo definitio superius tradita non est triplici animæ vniuoca, sed analoga. Quod attinet ad animam rationalem, ait, homo non componitur ex anima & corpore, sed tota illius essētia sita est in sola anima intellectuā quæ multiplex non est in multis, sed vna numero in omnibus tanquam eorum causa motuā, instar nauiclerii plures naues simul mouentis; ergo illa non est actus primus substantialis corporis organici potestate vitam habentis, sed forma assistens illius, & sic non est illi vniuoca p̄fata definitio. Eandem sequitur opinionem Auerroes lib. 3. de anima commento. 5. vbi addit in quouis homine quatuor esse animas essētialiter subordinatas, nimirū vegetantem sentientem cogitatiuam, & intellectiuam: atque hanc ultimam reperiri in singulis hominibus ut formam assistentem: ex quibus colligere est animam intellectuā non esse actum corporis organici, proindeque illi non conuenire vniuocē p̄fata definitionem. Sed figura sunt horum interpretum Aristotelis, commenta.

DICENDVM est igitur vniuocam esse allatam definitionem triplici generi animarum. Id docet Aristoteles, & ratio suadet. Nam h̄c sumitur anima propter forma substantialis constitutiva viuentis. ergo materiam deber actuare ijs dispositionibus affectam quæ sunt idoneæ ad operationes vitales : atqui sola organa sunt huiusmodi , quia nequit anima videre nisi oculo, nec audire nisi aure , nec loco moueri nisi pedibus: sic de corde , hepate , cerebro & alijs organis quibus vtitur anima ad suas obeundas operationes ergo , anima deber definiri actus corporis organici potestate vitam habentis. Quod probo , trip ex est corpus Mathematicum ex tria dimensione : Physicum ex materia & forma : & organicum ex materia & formis partialibus. Dicitur autem hoc organicum, quia formæ partiales quæ illud constituant sunt tanquam organa quibus vtitur anima ad sui receptionē & conseruationē in materia: & ad suas obeundas operationes. Vnde, quemadmodum nulla forma substantialis potest recipi, conseruari , & operari in materia nisi adsint dispositiones: ita neque anima potest recipi , conseruari & operari in materia nisi adsint idoneæ dispositiones quæ propter excellentiā sui perfectiores sint oportet , & haec dispositiones sunt organa ex formis substantialibus partialibus resultantia ; & sic anima est actus corporis organici potestate vitam habentis. Sed videndum quæ sint haec formæ partiales, ante quam ad ultimam partem huius questionis progrediamur , quæ est utrum plures animæ in uno condicione sint individuo. Formæ partiales in solis viuentibus reperiuntur ut sint aptæ dispositiones ad animam eiusquæ operationes. Sunt autem huiusmodi formæ haec quæ dant esse ossis , nerui , tendonis &c. His autem dari ostēdo, anima est actus corporis organici, ergo supponit organa in materia , sunt autem organa os, neruus tendo cartilago , cor cerebrum & similia ergo illa debent esse in corpore organico. Deinde si non essent admittendæ , maximè quia plures formæ substantiales nequeunt simul informare eandem

materiam; at qui hæ formæ licet substantiales sint tamen non sunt totales sed partiales, essentialiter animæ totali formæ subordinatæ, ergo, admittendæ sunt. Nec audiendi qui docent eas esse quidem ante animæ introductionem, sed perire in illius ingressu, & redire, in eiusdem obitu: quia purum pigmentum. Sunt enim dispositiones ad receptionem animæ, ad eius conseruationem in materia, & ad omnes eius operationes. Præterea experientia docet eas remanere in viuente, in cadauere, & postea remanere. Non est igitur cur diutius in ijs immoremur, an sint verò plures animæ simul in eodem viuente videamus.

D V P L I C E M <sup>est</sup> illæ animam in brutis, triplicem in homine videtur innuere Aristoteles lib. 2. de generatione animalium cap. 3. vbi scribit, brutum prius viuere vita plantæ deinde vita animalis: hominem verò prius vita plantæ, deinde vita animalis ultimò vita humana. Nec deest ratio, nam in homine triplicis illius animæ reperiuntur operationes, in brutis verò duarū, vegetant enim & sentiunt bruta & homo præterea intelligit homo. Unde si debeant: actu reperiri animæ, vbi reperiuntur earum operationes vitales & immanentes, sanè triplex est anima in homine, duplex in brutis. Sed contra, nam rationalis virtute complectitur sentientem & vegetantem: quemadmodum sentiens continet virtute vegetativem: ergo virtutem habent ea omnia præstandi quæ exhibentur ab illis. Nec audiendi sunt qui asserunt hominem prius viuere anima plantæ eo quod semel animam recipiat vegetantem, & postea sentientem quam adueniente pereat vegetans, & accidente rationali intereat sensitiva, itavt se se mutuò expellant è corpore, Id enim repugnat rationi & veræ Philosophiae quæ nullum admittit individuum actu existens in rerum natura nisi sit in aliqua specie infirma constitutum. Quo posito sic arguo omnis anima actu existens in corpore & extra corpus, est individua alicuius speciei infimæ, ergo, si sit vegetans est huius vel illius speciei: nempè vel lauti vel vitis: ergo, si sit

in corpore humano in illo erit laurus vel vitis: quinimò ipse homo erit laurus vel vitis: hoc autem est absurdum, ergo id vnde sequitur; sequitur autem ex eo quod prius viuat homo vita plantæ, quam hominis, ergo, id est absurdum. Similiter diceandum de anima sentiente, si enim prius viuit embrio vita sensitiva quam humana, prius est embrio hominis leo, aut vulpes, quam homo: atqui hoc est plus quam absurdum, ergo, absurdum est asserere huiusmodi animas sibi ipsis succedere in eadem materia, vnde.

MELIVS Albertus Magnus summâ de homine vbi asserit nec semen, nec embrionem animari, sed solum corpus organicum, in quod transit embrio, quemadmodum semen transit in embrionem. Vnde definit Aristoteles animam, actum corporis organici: nec statim in illo exercet anima suas operationes, sed successu temporis, ut patet. Primò enim exercet actus vitæ, nempè vegetationem, nutritionem & augmentationem: deinde sentit, tandem intelligit. Ac ob id non dicit Aristoteles embrionem prius esse plantam, deinde brutum, postea hominem: sed viuere vita plantæ, deinde sentientis, ultimò hominis: hoc est, prius exercere actus vegetantis, quam sentientis, aut rationalis. Plato diuinus ille Doctor triplicem ponit quidem in homine animam, sed alio modo quam Toletus, hic enim lib. 2. de anima cap. 4. qu. 7. scribit duplē hanc animam vegetantem & sentientem quæ in homine præcedit rationalem naturâ suâ ordinari ad illam, tanquam dispositiones ad formam: ita ut ipsæ non sint perfectæ in suo genere, sed imperfectæ, ac proindè non constituere plantam aut brutum in hac aut illa specie formaliter, sed similitudine quadam. Ut V. g. in amigdalæ in quibus prius est aqua quædam, deinde lac quod postea concrescit ac durescit & fit fructus. Pariter ( inquit ) semen in sensitivis modò viuit anima vegetativa & dicitur embrio inchoatus; deinde animâ sensitivâ & dicitur embrio perfectus, ac postmodum fit homo, & abeunt animæ præcedentes, sed fictio. Nullam enim puto dat.

dari animam vegetantem & sentientem quæ non sit summè perfecta in suo genere, est enim substantia, & ex Aristotele nulla substantia suscipit magis aut minus, deinde, nulla anima potest existere actu nisi sit indiuidua, nec esse indiuidua nisi sub aliqua specie infima, vt dixi supra, ergo, embrio esset successiuè planta, brutum, homo. Plato vero hanc quām admittit in homine animam perfectam quidem esse afferit, sed vegetantem in hepate constituit, sentientem in corde, intellectualem in cerebro; quod in cerebro fiant intellectiones in corde spiritus animales & affectus doloris & lœtitiae; in hepate verò ultima concoctio alimenti ordinati ad nutritionem. Sed illum redarguit Aristoteles lib. 1. de anima textu 90. vbi docet unicam esse in homine animam formaliter rationalem & eminenter sensitiam & vegetantem, quæ & in hepate & in corde & in cerebro has omnes exerceat operationes, & nobiliori modo quām si hæ tres distinctæ adessent. Philosophus vix sibi potest suadere tot operationes genere diuersas à diuersis genere principijs non oriri, & sic tres esse animas genere diuersas in homine scribit textu 91. lib. 1. de anima Vult tamen eas simul diffusas esse per totum corpus, non autem aliam in cerebro, aliam in corde, aliam in hepate. Sed maximè vegetantem & sentientem uniuersum corpus occupare, quod uniuersum corpus sentiat & nutritur. A vero etiam multum distat Paulus venetus cap. 5. de anima, vbi docet vegetantem in plantis esse quidem & in brutis sentientem duntaxat: in homine verò sentientem corruptibilem, & rationalem immortalem, plures verò vegetantes specie distinctas pro diuersitate specifica partium heterogenearum: ita ut alia sit vegetans in ossibus, alia in carne, alia in nervis, alia in corde, in hepate alia, & sic de cæteris. Sed contra, nam partes heterogeneæ dupliciter specificari possunt. Primò quidem ut sunt partes viuentes, & sic eiusdem sunt speciei cum viuente; secundò ut sunt organa, & sic specie differunt inter se, & ab anima, quia in illo esse constituuntur per varias formas para

450 PHYSICA TOLOSANA,  
tiales, ut paret. Est & altera Philosophorum secta quæ  
plures in uno viuente animas non admittit: sed plura  
vuentia posse per eamdem animam viuere, quæ pro-  
pter varias corporum dispositiones varia operetur in  
illis, ut enim sol plures mundi partes illustrat, & qui-  
busdam calorem cum lumine, quibusdam vero solum  
lumen impertitur: ita eadem anima plura corpora  
potest animare, illis quæ varias ingerere affectus. Sed  
merum pigmentum, sol enim singulis orbis partibus  
non vnitur supposito, sed virtute tantum: at anima  
singulis corporibus deberet vniuersi supposito, non tan-  
tum virtute. Quare.

DICENDVM est i. non esse plures animas in  
uno eodemque corpore, sed pro singulis corporibus  
singulas esse animas admittendas. Id patet, nam mate-  
ria nequit informari nisi ab unica formâ totali ergo  
neque corpus organicum affici nisi ab una anima.  
Deinde, si multiplex esset anima in eodem corpore  
multiplex esset totum, ergo ut sit unicum totum uni-  
ca sufficit anima. Stat sequela, nam anima non est de-  
terioris conditionis, quam sit forma inanimata: illa  
autem unica sufficit ad totum aliquod constituendū,  
ut patet de igne & cæteris, ergo, unica sufficit anima,  
ut sit unicum viuens. Præterea, si essent plures animæ  
vel essent eiusdem, vel diuersæ speciei, non diuersæ  
speciei, alioquin illud viuens esset Chymera quia  
constitueretur ex diuersis naturis: neque eiusdem  
speciei, quia sequeretur illarum singulas esse insuffi-  
cientes sigillatim sumptas ad idem corpus informan-  
dum, eo modo quo singuli homines sigillatim sumpti  
sunt incapaces ad ferendum aliquod onus itavt indi-  
geant mutuo concursu: atqui, ita differere de anima  
est absurdum, ergo, unica sufficit anima ad unicū  
informandum corpus. Denique, vel singulæ informa-  
rent totum corpus, vel una vnam partem, alia aliam  
partem; si primum unica sufficit ad totum corpus in-  
formandum, si ultimum ipsum viuens erit Chymera,  
ergo admittendum est unicū corpus ab unica anima  
informari. Quare.

DICENDVM 2. in plantis esse unicam animam vegetantem, quae sit formale principium vegetationis nutritionis & alterius plantæ eiusdem speciei procreationis; in brutis unicam pariter animam sensitivam quae sit formale principium sensationis, & virtuale principium vegetationis, nutritionis & augmentationis: in homine vero unicam rationalem quae sit formale principium intellectionis & volitionis, virtuale vero sensationis & vegetationis, ut sensus sit animam rationalem continere virtualiter sentientem & vegetantem, quemadmodum vegetans continetur a sentiente. Id probat Aristoteles lib. 1. de anima text. 66. V.b. ab una anima docet prouenire, intelligere, amare, irasci, imaginari, videre, nutriti, augeri, &c. Et lib. 2. ubi docet vegetantem esse in sensitiva, & sentientem in rationali sicut figura inferior est in superiori, nempe ut triangulus in quadrilatero. Sed id satis progrediatur.

### Q V A E S T I O III.

*Vtrum anima rationalis contineat virtute sentientem & vegetantem, quemadmodum vegetans includitur in sensitiva.*

FUNDAMENTVM huius dubij oritur ex precedenti. Cum enim bruta animalia eas exerceant operationes quae sunt animæ sentientis, & vegetantis: pariter & homo eas quae sunt, triplicis illius animæ vegetatiæ, sensitivæ & rationalis; id illis necesse est esse plures animas, vel saltem unam aliquo modo alias complecti. Potest autem unum contineri in alio duobus modis, vel eminenter scilicet, vel formaliter unum contineri formaliter in alio, est in illo esse secundum suam formalem rationem, quo sensu calor est formaliter in igne: contineri vero eminenter non est illi

in esse secundum suam formalem rationem, sed secundum seminalem & virtualem, qua potest ab illo produci: quo sensu sol calorem continet eminenter, quia potest illum edere, licet illum non contineat formaliter, vnde unum continere eminenter aliud, est illud omne posse efficere, quod aliud potest. Nihilominus docent aliqui animam sentientem continere formaliter vegetantem, utramque vero contineri formaliter in rationali. Probanthoc modo, sentiens continet formaliter vegetraticem si sit formaliter vegetans in sua essentia: & rationalis formaliter continet sentientem & vegetantem, si sit formaliter sentiens & vegetans, est autem huiusmodi in essentia, si sit huiusmodi in suis potentijs: & huiusmodi est in suis potentijs si sit talis in suis operationibus: in operationibus autem est huiusmodi quia homo formaliter vegetat, formaliter nutritur, formaliter sentit, quemadmodum formaliter ratiocinatur: ergo a primò ad ultimum est formaliter vegetans & sentiens. Sed contra, ubi est aliqua formalis operatio ibi debet esse eius principium formale aut virtuale, concedo, ibi debet esse necessariò principium formale, nego. Ratio est, quia eadem est quidem formaliter operatio primæ & secundæ causæ, principalis & instrumentalis, & tamen illarum causarum essentia est diuersa. Vnde, identitas specifica aut generica operationum non arguit identitatem formalem essentiæ aut facultatum: ergo, licet eiusdem sint speciei sensatio & vegetatio in homine, brutorum, ac plantis: non statim sequitur eorum animas esse formaliter easdem. Et sane esse formaliter idem est omnino esse eiusdem speciei infimæ: atqui homo, planta & brutum non sunt eiusdem speciei infimæ, sed tantum eiusdem generis subalterni: ergo sunt quidem eiusdem generis subalterni sed non eiusdem speciei: & sic rationalis est quidem formaliter actus primus substantialis corporis organici, sed non formaliter vegetativa & sensitiva, Quare.

DICENDVM EST, nec animam rationalem formaliter esse vegetantem & sentientem: nec sensitivam

esse formaliter vegetatiuam, sed eminenter tantum. Prima pars patet, nam esse formaliter idem cum alio est eamdem essentiam vniuersitate participare, eademque definitione explicari, ut dicimus hominem & brutum esse formaliter animal quia illud participant vniuersitate: atqui, homo, brutum & planta non participant vniuersitate rationem communem vegetandi & sentiendi, quia: haec rationes non sunt genericæ sed specificæ infimæ ergo, non sunt in ipsis formaliter idem. Probatur minor, siquidem vegetatiua, sentiens & rationalis sunt species formaliter diuersæ, ergo, per eas formaliter differunt: quæcumque autem formaliter differunt per aliquid, neque igitur esse formaliter idem per illud ipsum, ergo, neque anima rationalis potest esse idem formaliter cum sentiente & vegetante. Scribit Toletus lib. 2. de anima qu. 1. duobus modis sumi posse vegetatiuum & sensituum; primò pro facultatibus operandi: secundò, pro gradu essentiali generico commune plantis, brutis & homini: tertio, pro differentia specifica illorum, ac primo & secundo modo afferit in singulis formaliter reperiri, non verò tertio modo. Id ipsum sentit Eustachius q. 7. de anima in genere. Sed errant, nam vegetatiuum, sensituum & rationale sumpta pro facultate operandi oriuntur à differentia specifica infima tāquam à propria essentia; sunt enim facultates Physicæ, ergo à Physica essentia, non Metaphysica oriuntur: atqui essentia Physica animæ sentientis differt formaliter à vegetante: & vtraque à rationali, ergo, una non includit aliam formaliter, sed virtute tantum. Præterea hoc triplex genus animæ est quidem genus respectu inferiorum, sed species est respectu superioris. Nam anima in genere genus est ad vegetantem sentientem & rationalem: sed vegetans & sentiens genera sunt subalterna ad plures species plantarum & brutorum. Unde, si spectentur proti sunt simpliciter species animæ, duplē tantum includunt gradum nempè genus & differentiam, genus est anima, differentia sunt vegetabilitas, sensibilitas, rationalitas, unde in nullo conueniunt formaliter &

venioēt quām iusso lo genere; differūt enim in specie. Quemadmodum sicut vegetabilitas differentia differt à differentia sensibilioris: ita vegetabilitas proprietas à sensibilitate proprietate: & quemadmodum rationalitas differentia formaliter differt à sensibilitate & vegetabilitate differentijs: ita & eius proprietas à proprietatibus illarum: atque proprietas rationalis sunt vegetare, sentire, & intelligere, quia intelligit homo, sentit & vegetatur, ergo, quatenus rationale formaliter continet in intellectuale essentiale: ita & intellectuale proprietatum, quatenus vero formaliter differt à sensibili & vegetatiō proprietatibus & sic vegetatiō & sensibili formaliter non continentur in rationali. Idipsum docuit Eustachius qu. 2. de differentia vblis sentientiā differentiam superiore non includi formaliter in inferiori, nempē: sensituum in rationali: quod quomodo quadam cum eo quod posuit q. 7. sentim partis ipse viderit. Si similiter Toletus q. 7. de anima scribit potentiam generatiā anima vegetantis solam plantam posse gignere, generatiā vero sentientis brutum. Ergo cum ex eodem, ibidem, facultas generatrix sit anima vegetantis propria, & reperiatur alio modo in brutis quam in plantis fateatur necesse est ipsam potentiam eminenter esse in brutis non autem formaliter s: quia si formaliter esset, plantam gigneret, non brutum. Eius verba sunt hæc, potentia generativa est propria anima vegetantis, in brutis anima sensitiva generat sentientem, ergo habet ipsam potentiam generatiā. Sed hæc potentia non potest esse formam vegetabilis; quia vegetativa forma, aut eius potentiae non possunt generare nisi vegetantem formam, non vero sensitivam, ergo necesse est fateri eam esse potentiam ipsiusmet anima sentientis quia generat animam sentientem, ergo cum hæc potentia sit propria vegetantis anima, consequitur in virtute contineri & eminenter in sensitiva, alioqui sensitiva non posset gignere sensitivam, sed vegetantem. Rationem addit quia ( inquit ) si potentia gene-

ratiua esset formaliter in sentiente , neque etiam per coniunctionem cum illo posset cleuari ad effectum se nobiliorem,nemp̄ ad generationem sentientis : vnde vides illum fateri non tantum differentiam specificā sentientis animæ nobiliorem esse differentia specifica vegetantis sed etiam illius proprietate ac proindē formaliter differre contra seipsum eadem q. in probatio-ne 4. conclusionis. Secunda pars assertionis nostræ quæ est animam vegetantem & sentientem esse eminenter in homine , vegetantem vero in bruto patet. Nam vbi sunt operationes alicuius rei ibi sit illa res oportet:atqui operationes animæ vegetantis sentientis & rationalis sunt in homine , ergo & illæ animæ sunt etiam in homine atqui sentiens & vegetans , nequeunt illi inesse formaliter sed sola rationalis, ergo insunt eminenter. Secundò continere aliud eminenter est id omne posse præstare quod illud posset exhibere , & præterea aliquid aliud atque perfectiori modo: atqui anima rationalis potest id omne quod vegetans & sentiens & præterea aliud,nemp̄ intelligere,velle, recordari ergo,alias continet eminenter. Nec obstat quod vegetantis & sentientis operationes sint formaliter in homine,quia actio primæ & secundæ cause sunt formaliter eadem licet à diuersis oriantur causis quia nimirū causa secunda subordinatur primæ , ut vegetans & sentiens animæ rationali, sed hæc satis ad yberiora progrediamur.

---

**QVÆSTIO IV.**

*Vixum omnis anima sit corporeæ & diuisibilis.*

**E**X dictis superiori quæstione satis constat, nullum aliud dari genus animæ præter vegetatiuum, sensituum & rationale. Mox inuestigandum occurrit an illud triplex genus sit corporeum, quantum & diuisibile. Docet experientia vegetantem & sentientem imperfectorum animalium seu sectilium diuisionem parti, cùm ramus ab arbore præcisis & in terram immisus frondescat: & vtraque pars serpentis aut lacertæ diuisæ viuat aut saltem operationes vitales emittat: fide verò exploratum est animam rationalem nec coextendi materiae, nec ex illius potentia educi, nec ullo pacto diuidi ad corporis diuisionem: nec proinde mortalem esse sed prorsus immortalem, quæ sanè omnia satis indicant illam esse indiuisibilem & spiritualem. Tota igitur difficultas est de anima perfectorum animalium, vt sunt leo, equus, pardus & similia bruta. Quot autem capita, tot sensus scribunt enim aliqui eas esse quidem indiuisibiles, sed non incorporeas & spirituales, atqui id fieri possit non video maximè cùm dicat Aristoteles diuisibile quantum & corporeum idem omnino esse, nec differre nisi penes vocabulum solum. Suadent tamen hoc modo, læso tantisper cerebro bruti statim interit animal vt patet, ergo signum est animam bruti illius indiuisibiliter esse in cerebro quemadmodum est anima rationalis, & sic esse totam in toto corpore & totam in qualibet eius parte. Id probant ex varia conditione horum animalium, & imperfectorum quorum partes diuisæ viuunt, non item perfectorum; quinimò vel minimula horum læsa interit totum animal; ergo signum est horum animarum esse indiuisibilem: illorum verò diuisibilem.

## DE MIXTIS PERFECTIS VIVENTIBVS. 457

Sed contra , nam quòd pereat brutum læso corde aut cerebro : non pereat vero serpens aut lacerta etiam si per medium diuidatur , non prouenit hoc ex eo quod horum sectilium animæ sint diuisibiles; illorum verò indiuisibiles sed ex eò quòd perfectiora animalia maiorem apparatus organicum postulent in materia tūm ut in ea recipiantur, tūm ut in eadem operari possint , & diutius immorari : quoquidem apparatu vel minimè dissoluto nequit anima nec operari, nec subsistere, sed pereat necesse est. Vndè ex se æque diuisibilis est ac alia quæ diuidi possunt in diuisione materiae cui insunt, Quare.

DICENDVM est, omnes animas sentientes & vegetatives diuisibiles esse, corporeas, & mortales. Probatur primò nam educuntur de potentia materiae quidquid autem educitur de potentia ; materiae diuisibile sit & corporeum ut materia oportet & tandem reuerteretur in materiam ex qua eductum est , ergo omnes animæ sensitivæ & vegetatives sunt diuisibiles corporeæ, & mortales. Secundo, vel sunt illæ animæ in corpore organico eo modo quo rationalis quæ est tota in toto, & tota in qualibet illius parte, vel extenduntur ad extensionem corporis : atqui non sunt indiuisibiliter ut rationalis sed coextenduntur corpori. Tertio , vel educitur anima bruti ex toto corpore organico , vel ex aliqua illius parte, vel ex aliquo illius indiuisibili : non hoc vltimum quia sic illa esset indiuisibilis & tota esset in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte, ergo vel ex toto, vel ex parte illius, non ex parte quia vel ibi solum remaneret vel simul & semel esset in pluribus partibus corporis quas informaret: atqui hoc est absurdum, ergo sit extracta ex toto, corpore oportet & sic corporea est & diuisibilis & consequenter mortal is.

---

## QVÆSTIO V.

*An & quomodo facultates animæ distinguuntur  
inter se, & ab anima.*

**V**T sensus questionis percipiatur præmittendum est quæ sint animæ eiusque facultates. Animæ vegetantis sunt hæ attractix, retentrix, concoctrix, expultrix, nutrix, auctrix & generatrix: sentientis visus, auditus, odoratus, gustus, tactus, sensus communis, imaginatio & appetitus sensitivus: Rationalis vero intellectus & voluntas. De ijs autem queritur quomodo inter se, & ab anima distinguuntur. Scendum est primò, animam triplex genus causæ respectu suarum facultatum sortiri, agentis scilicet finalis & materialis. Agentis quidē quatenus illas extra se fundit, finalis quatenus illæ sunt propter animam quia ijs vicitur anima ad suas operationes obeundas: Materialis verò quatenus eas in sinu suo recipit eo modo quo materia formā eiusque operationes & qualitates Volunt tamen aliqui eas effluere ab anima immediate itant ipsa sola sit earum causa effectrix per emanationem: Negant verò alij afferentes animam esse tantum earum causam instrumentariam, agens verò quod produxit animam esse causam principalem eo quod producendo animam attigerit illius facultates, licet remotè. Ajunt enim, quod dat alicui effectui esse, dat etiam ea quæ spectant ad esse, spectat autem ad esse rei ut possit operari cum unumquodque sit propter suam operationem ex Aristotele, s. Met. ergo generans esse animæ dat illi suas facultates quibus operetur. Sed id satis explosum fuit in physicis disputatione de causis contra Complutenses; nihilominus respondeo, id quod dat esse dat etiā posse operari, hoc est, dat posse extra se effundere facultates quibus operetur

concedo, dat ipsas facultates formaliter, nego. Unde dicuntur facultates vulgo ex rei essentia oriri per emanationem non à generante, & ratio in promptu est, quia una & eadem est actio generantis, ergo unius debet esse illius actionis terminus, quia indivisibilis actio nequit ad duos terminos deriuari, atqui anima & eius facultates sunt duo termini realiter distincti: ergo eadem actione qua attingitur anima non attinguntur eius facultates. Unde posita rei essentia statim fluunt proprietates & è proprietatibus actio circa proprium obiectum & sic mutuo se se respiciunt anima, proprietates, operatio, obiectum. anima enim attingit obiecta per proprietates, & proprietates per operationem; sed de ijs postea.

Quod autem modo spectat ad distinctionem facultatum ab anima, docent Nominales nullo modo distingui sed animam esse sibi ipsi potentiam ac per se immediate operari. Hoc sensu existimant animam vegetantem per se primò attrahere alimento, illudque retinere, & vltimò conuertere insubstantiam viuentis: pariter, animam sentientem per se primò suas elicere operationes, & similiter rationalem suas functiones obire, sine concursu ullius facultatis sibi superadditæ; adeo ut dici debeat intellectus dum intelligit, voluntas dum vult visuia facultas, dum videt; auditua dum audit & sic de cæteris. Probant autem, quia anima definitur actus primus substantialis quo primò sumus, viuimus, sentimus & intelligimus, ergo non eget alio quo hoc agat sed per se solam operatur. Deinde animæ tribuendum est quod perfectius est in natura: est autem perfectius operari per se quam per aliud, ergo anima per se primò agit non per suas facultates, sed contrà, animæ tribuendum est id quod perfectius est in natura, concedo: perfectius est autem operari per se ut principium radicale, concedo, ut principium formale, nego. Est autem anima principium radicale suarum operationum; sed præter principium radicale datur aliud superadditum quo illud utitur ad suas actiones obeund-

das. Id patet in omnibus, nam grauias tendunt deorsum per gravitatem, levia sursum per levitatem: anima intelligit intellectu, vult voluntate & similia. patiter sentiens postulat potentiam visuam ut videat, &c. Nominalium opinionem sequitur Scotus nec ab ea differt nisi penes verba. Ait enim facultates animae ab ea non distingui realiter, sed formaliter tantum, hoc est, penes varios conceptus obiectuos & formales, ut sensus sit, animam dici intellectum dum concipiatur intelligere, voluntatem esse dum à nobis intelligitur velle. Addit tamen intellectum & voluntatem in anima esse: ceteras vero facultates in organis, quod quomodo quadret non video. Si enim sint idem realiter cum anima, nec in anima sunt, neque in organo, nisi velit anima esse in se atque in organo. Id docet Scotus in 2. sent. dist. 16. q. unica. Sed ipse viderit. Hanc tamen opinionem sequuntur plerique antiquorum & probant primò, quia anima est nobilior & simplicior forma substantialis atque accidentalis per se primò operatur, nec ullo indiget sibi superaddito ut agat, ut patet de calore, frigore, & alijs accidentibus, ergo forma substantialis id multo magis debet obtinere, & præcipue anima qua est omnium perfectissima.

SED contrà: licet enim substantia sit nobilior accidente & accidens immediatus operetur, non sequitur in operando illud nobilius esse substaniā, quia ut instrumentum illius operatur, & in virtute substaniæ, cui subordinatur. Dices, operari sequitur esse: ergo modus operandi: modum essendi atque esse per se immediatè est perfectius quam esse per aliud: ergo & modus operandi immediatè per se, est perfectior quam modus operandi mediatè. Cum igitur modus essendi per se conueniat substaniæ ita & modus essendi per se immediatè operandi; & sic non indiget facultate qua operetur. Sed contrà, nam primò, plura requiruntur ad operandum quam adesse, quia potest res esse & non operari, licet possit operari. Secundò agit ut causa propria, accidens vero ut eius instrumentum: est autem nobilius agere ut causa præcipua quam ut

instrumentum. Vnde nobilior modus operandi conuenit substantiæ quia & nobilior modus essendi : nec obest quod substantia agat mediatae, accidens immediatae, quia hæc meditatio aut illa immeditatio non est dependentia, aut independentia vnius ab altero, sed tantum indistincta, aut distantia causarum essentialiter subordinatarum ab earum effectu. Vnde si causæ huiusmodi spectentur in ordine ad effectum, accidens quidem immediatus est : sed si in ordine ad rationem causæ sanè dependentius. Agit enim non virtute propria tanquam sit à se, sed in virtute substantiæ , hoc est accepta à substantia & mota à substantiâ , vnde accidens non dicitur simpliciter ens, sed substantiæ ens. Probant secundò , potentia est primum principium operandi : atqui anima est primum principium operandi cum sit natura , quæ primum est principium motus & quietis : ergo præter suam substantiam , nullam habet facultatem agendi. Sed contra anima cùm sit natura , est primum principium operandi radicale , concedo , formale nego: principium radicale vocant Philosophi ipsam essentiam rei ; formale vero<sup>t</sup>, proprietates, quibus agit: vnde essentia ignis dicitur primum principium intrinsecum & radicale calefactionis : & calor dicitur principium formale. Probant tertio , substantia rei est id quod recipit accidentia contraria : atqui id quod vulgo dicitur intellectus recipit contrarios actus nempe veros & falsos , asserentes & negantes; ergo ; id quod dicitur intellectus est substantia rei. Sed contraria intellectus recipit illa accidentia ut subiectum quo concedo , ut subiectum quod nego. Est autem subiectum quod sola essentia rei : vnde dicunt Philosophi quantitatem esse subiectum quo accidentium corporeorum, materiam primam subiectum quod. Pariter in anima , ipsa est subiectum quod suorum actuum, facultates vero subiectum quo. Dices, actus animæ sunt immanentes : ergo sunt in facultatibus, ut in subiecto quod. Sed contraria quia sufficienter dicuntur esse in anima eo quod ibi sint. Dices saltem,

actus corporei ut visio, auditio, non sunt in anima; ergo in facultatibus. Sed nego sequelam; nam visio, auditio, & cætera sunt in potentia visiva, auditiva, &c. ut in subiecto quo: in materia vero prima est organum tanquam in subiecto quod. Dicunt vltimè, forma est nobilior materiæ: atqui potentia materiæ est idem cum materia ergo potentia formæ erit idem cum forma. Distinguo, potentia informandi est idem cum forma, ut potentia recipiendi idem cum materia, concedo: potentia operandi formæ si sumatur pro radicali concedo; si pro formalis, nego: quid sit potentia radicalis, quidve formalis dictum est. Quare.

D I C E N D V M est facultates animæ realiter distinguui ab anima. Ita docet D. Thom. 1. p. quest. 77. art. 1. sed probatur ex Aristotele 1. de anima tex. 9. ibi enim in eodem viuente unicum ponit animam; potentias vero plures; ergo non sunt potentia idem cum anima, nisi velis unum & plura idem esse. Arguit Scotus eandem numero animam esse, quidem unicum quid formaliter, sed quid multipliciter virtute, quatenus ab ea plures possunt oriri actiones. Id probat, quia, inquit; æque possunt plures oriri actiones immediatè ab anima, ac plures potentiae; ergo, ne multiplicentur entia sine necessitate, dicendum est potentias esse idem cum anima. Rem illustrat exemplo; nam ait, Deus per se primo sine facultatibus superadditis operatur: ergo & anima rationalis, quæ illius imago est. Sed contra, negatur paritas: nam primò Deus est incapax accidentium, secundo virtute continet omnem vim creatam perfectiori modo, quam anima res sibi inferiores, tertio non agit per influxum aut actum distinctum à sua essentia, sed ad suum suæ voluntatis: dixit enim & facta sunt, mandauit & creata sunt, vltimè infinitè est virtutis, quæ nec subiecto indiget, nec instrumento, quo agat. Vnde vulgo dicitur per se solum posse quidquid potest cum causis secundis. Sed probatur secundò: anima substantia est, facultas vero accidens proprium

est autem realis distinctio inter accidens & substantiam, quemadmodum inter recipiens & receptum. Tertio, substantia non est per se immediatè operativa ut patet de igne, aqua, terra, quæ medijs qualitatibus agunt; ergo & anima medijs suis facultatibus operetur, neccesse est. Quarto, plura dicuntur de potentijis, quæ dici non possunt de anima, ut quod intellectus sit nobilior imaginatione, sensus interni nobiliores exterioribus: non autem anima nobilior aut ignobilior seipsa, sed nobilior suis facultatibus etiam simul sumptis. Deinde potest stare tota essentia animæ seclusis potentijis, quinimo potentiae ab anima profluunt, ut à sua causa, & omnis causa realiter differt à suo effectu, alioquin idem esset sui ipsius causa & effectus ut patet. Quinto, quod est indifferens ex se ad plures actus edendos, ab alio sibi superaddito determinetur oportet: essentia autem animæ ex se indifferens est ad plures actus intelligendi, volendi, recordandi, imaginandi, videndi, audiendi, &c. ergo ab alio sibi superaddito determinetur oportet: illud autem superadditum sunt eius facultates; intelligit enim per intellectum, vult per voluntatem, recordatur per memoriam, & sic de cæteris.

IDEM probant aliqui, sed rationibus quæ eludi possunt: aiunt enim, si idem esset anima cum suis facultatibus, nulla posset facultas desperdi, quin & anima deperderetur: Atqui remanente anima amittitur facultas, videndi ut patet in cæcis, & facultas audiendi in surdis: quinimo & facultas nutritiua in ea parte corporis, quæ afficitur paralysi; ergo signum est huiusmodi facultates distingui realiter ab anima, cum ea distinguantur realiter quorum unum potest existere sine altero. Sed contrà, in tali casu amittitur visus illarum facultatum nutriendi, audiendi, & videndi, concedo; amittuntur illæ facultates, nego. Obiicit Eustachius, si solus visus amitteretur non facultates minuerentur miracula Christi: quia non facultates, sed usum videndi, audiendi, & nutriendi,

paralyticis, surdis & cæcis restituisset tantum. Respondeo non minui vim miraculorum, quia usum vivendi restituere est opus miraculosum, cum naturali via à priuatione ad habitum non detur regressus. Ratio autem, cur facultas ipsa nequeat amitti via naturali, & separari realiter ab anima, est, quia fluit necessariò ab anima, cum sit eius proprietas quarto modo, &, quod est huiusmodi, necessariò fluit ab essentia rei, nisi Deus retrahat suum concursum. Argunt aduersarij, potentia & actus sunt in eodem genere prædicamenti: ergo cum actus sit accidens, ita & potentia, & consequenter potentia non fluit ab anima necessariò sed contingenter, quemadmodum actus, seu operatio talis potentiae. Sed errant: nam potentia hinc non sumitur pro facultate agendi, sed pro eadem re, quæ modo est in potentia, modo in actu: ut sensus sit eiusdem prædicamenti esse rē eandē in esse essentiæ & esse existentiæ. Aiunt tertio; si anima esset idem cum suis potentijs, quemadmodum semper dat esse viuenti, ita semper operaretur; quia idem est quod dat esse, & quod operatur, nec illa intercedit distinctio: ergo idem erit dare esse & operari, & sic tanti operabitur, quandiu dabit esse. Sed errant, nam dare esse & operari sunt diuersa; unum enim est in genere causæ formalis, aliud in genere causæ efficientis. Vnde nequit quidem non dare esse corpori viuenti, quandiu illi ut corpori organico unitur, sed potest non operari, si desit illi obiectum circa quod operetur, aut si desit aliqua conditio necessaria ad operandum, aut si pro arbitrio suo operetur. Quare possit anima per se immediate operari & tamen non semper, licet semper daret esse. Est igitur certissimum illam operari per facultates realiter distinctas, cum ipsa sit quidem principium formale actuandi corpus organicum, non verò operandi, sed tantum virtuale, seu radicalei quia nimirum est radix, ex qua pullulant facultates tanquam principia formalia operandi. Quæres, an facultates huiusmodi possint realiter seiungi ab ipsa anima & separatim existere. Respondeo diuinis posse,


posse, in quo casu remaneret anima purus actus corporis organici, cui daret esse viuentis, licet nullam posset exercere operationem, & quidem nutritiuam: possent item facultates in alio corpore organico reponi, in quo nec vnirentur, nec operarentur, quia extra subiectū connaturale essent, nempe extra animam, Vnde facultates separatae ab anima nulli alteri subiecto possent vniiri ut ibi suas obirent operationes. Quare potentia visiva posita in pariete non videret; intellectua non intelligeret, volitua non vellet, & sic de ceteris.

**Q**uo d spectat ad distinctionem facultatum inter se, docet Toletus q. 10. conclus. 1. nutritiuam & augmentatiuam idem quidem esse, sed differre realiter generatiua probat, quia nutrix & auctrix idem habent obiectum formale nempe alimentum conuertendum in substantiam viuentis. Nec obstat, quod nutrix semper illud spectet, quandiu viuit viuens, quia toto virae decursu debet nutriti: augmentatiua vero illud spectet, quatenus maius est substantia deperditā per calorē natuum, in cuius locum debet succedere: quia plus aut minus eiusdem qualitatis non mutat speciem, nec proinde plus aut minus alimenti conuertendi mutat speciem, potentiae conuertentis: secundum verò putat probare, quia, inquit, potentia generatiua differt subiecto ab alijs.

**S**ED contra nam ut recte Aristoteles tex. 40. idem est obiectum trium harum facultatum, nempe alimentum conuertendum in viuens. Nec obstat quod nutritiuam & augmentatiuam illud cōuertant in proprium viuens cui insunt, generatrix vero in aliud, aut quod haec totum procreet viuens, illæ vero tantum partem conferant prius genito, quia hoc discrimen non sufficit ad distinctionem harum facultatum. Neque enim potentia visiva à se ipsa differt si modo unicum visibile attingat, modo vero omnia visibilia, quia non specificatur potentia à pluralitate obiectorum materialium sed à solo formalis. Docet tamen Albertus Magnus tract. 2. c. 6. tres allatas facultates reali-

ter inter se distingui : ac probat ex tex. 48. vbi scribit Aristoteles , substantiam alimenti esse obiectum nutritiæ , quantitatem augmentatiuæ , residuum vero seu superfluum ad nutritionem esse obiectum generatiuæ . Sed esto , non vult , tamen Aristoteles alimentum simpliciter sumptum esse obiectum formale illarum facultatum , sed materiale tantum , formale siquidem est illud prout conuertendum in viuens . Quare .

DICENDVM est , generatiuam , nutritiuā & augmentatiuam vñam & eandem esse facultatem animæ vegetantis , quæ pro vario numero triplicem illam sortitur appellationem . Dum enim nutrit , nutrituā dicitur ; dum auget augmentatiua ; dum procreat generatiua . Id patet , nam potentiae distinguntur per obiecta formalia , ergo quæ diuersa habent obiecta formalia , differunt ; quæ vero idem , non differunt : hæ autem tres facultates nutrix , auætrix , & procreatrix idem formale obiectum habent , idemque materiale nempe alimentum conuertendum in viuens : ergo non differunt . Confirmatur , nam visuā ab audituā differt , quia altera circa visibile , altera circa audibile occupatur ; ergo ideo differunt inter se quia versantur circa diuersa obiecta formalia . Nec obstat , quod diuersa sint audibilia , vt sonus acutus & grauis : aut diuersa visibilia , vt album & nigrum ; quia in formalí obiecto visibilitatis & audibilitatis conueniunt : pariter non obstat , quod generatiua respiciat , quod superest alimenti , vt illud conuertat in viuens totale nutritiuā vero & augmentatiua respiciant alimentum necessarium ad vitam , quia vt patet consideranti , vtrobique est alimentum in viuens conuertendum . Quod attinet ad facultates sentientis & rationalis , commodius explicabitur earum distinctio in proprijs locis , ybi de obiectis dicemus . Sit igitur satis de anima in genere , ad eandem in specie descendamus . Quare sit .



# DISPV TATIO SECV NDA.

---

*DE ANIMA VEGETANTE.*



NIM A vegetans , vt cæteris ignobilior est, ita ab ea exordimur , vt statim ad alias progrediamur. Est enim hæc accomodatissima methodus in rebus tractandis, vt semper ab imperfectioribus ad perfectiora fiat progressus. Occurrit autem inuestigandum hac

disputatione , 1. quid sit anima vegetans , 2. quid sit præcipuum eius opus , 3. quæ eius facultates præcipue & administræ, earumque obiecta, & munia, vbi de vita & morte , nec dicas debuisse nos agere prius de rationali aut de sensitiua propter earum perfectionem quâ superant vegetantem : quia hunc ordinem est sequutus Aristoteles , & preterea prius viuit homo vita plantæ deinde vita sensus ultimò vita hominis eo sensu quo diximus suprà & ideo à vegetante ad sensituum & à sensitua ad rationalem est progredendum.

---

## QVÆSTIO I.

*Quid sit anima vegetans.*

POST QUAM cap. 1. lib. 2. tex. 5. de anima doctrinam  
set Philosophus animam in genere esse actum pri-  
mum substantiale corporis Physici organici poten-  
tia vitam habentis, & statim addidisset eandem esse  
primum principium, quo sumus, viuimus, sentimus,  
mouemur & intelligimus cap. 4. tex. 43. vegetantem  
definiuit, primum principium procreandi viuens sibi  
simile in specie infima. Hanc autem definitionem tra-  
dit per principium generandi, non vero nutriendi aut  
augendi, quod putet praestantissimum opus anima  
vegetantis esse sibi simile in specie infima generare.  
Verum id negant plerique veterum hac ratione: praes-  
tantius est seipsum perficere & conseruare quam aliud  
primò producere: conseruat autem se unusquisque  
per nutritionem, perficit vero seipsum per augmentationem;  
ergo potentia nutritiva & augmentativa per-  
fectiores sunt generativa. Sed contra, nam praestan-  
tius est seipsum conseruare in specie quam in individuo,  
quia species aeternum est propagari non item  
idem individuum, deinde tota perfectio individui pe-  
tenda est ex specie cum individuum seclusa specie sit  
sola differentia individualis: conseruatur autem vi-  
uens in individuo per nutritionem, & augmentationem:  
in specie vero per generationem, ergo nobilius est  
sibi simile generare quam seipsum nutrire & conseruare  
in individuo. At dices, opus perfectius est etiam in arti-  
ficiis, quod conformius est artifici ut artifex est,  
seu arti: at qui conuersio alimenti in seipsum est con-  
formius sibi ipsi, quam conuersio alimenti in aliud  
quia nihil similius seipso vnde unumquodque magis  
sibi quam alijs studet consulere, ergo, perfectius opus

est scipsum conseruare in indituiduo , quām in specie, seu quām aliud sibi simile procreare. Sed contra,nam perpetuitas existendi nobilior est temporanēa existentiā perpetuō autem existunt naturæ seu species in ipsis indiuidius successiūe fluentibus. Quare.

DICENDVM est , melius definiri animam vegetantem per principium generandi, quām per principium nutriendi,aut augmentandi.Primò enim per illud debet prius vnumquodque definiri quod prius est in illo: atqui in anima vegetatiua sumpta in se, prius est posse generari quām nutriti, aut augeri , quia nutriti nequit , neque augeri viuens nisi sit prius genitum: ergo potētia generatiua est prior nutritiua & augmētatiua. Secundo per id debet definiri vegetans per quod ab alijs differt : atqui differt per esse & viuere quia dicitur id quō sumus & viuimus : sensitua verō id quō sētimus & mouemur:& Rationalis id quō intelligimus,ergo definiri debet vegetans per esse & viuere, & quidem prius per esse seu generari, quam per viuere, seu nutriti, sequidem prius debet res esse quam possit nutriti. Tertio, si ex fine debeat res definiri, nobilior actio est generatio totius viuentis , quām partialis viuentis : atqui per generationem fit totale viuens:per nutritionem verō partiale tantum, ut patet, nām aliqua pars tantum viuentis acquiritur dum fit nutritiō , ergo potius definitur anima vegetans per principium generandi, quām per principium nutriendi. Dices, potius debet res aliqua definiri per id quod est illi intrinsecum quām per id quod est illi extrinsecum:est autem omnino extrinsecum rei ab alio generari , intrinsecum verō seipsum , nutriti, ergo, per nutritiūam potius definitur , quām per generatiūam. Distingo , viuens quod gignit est extrinsecum generanti , concedo : est extrinsecum generanti posse aliud sibi simile generare, nego. Quinimò, prius est rem posse gigni, quam posse nutriti. Dices iterū, per id definitur anima vegetans per quod differt ab omnibus alijs rebus , non differt autem ab illis per posse gigni, aut per posse gignere, cū illud etiam conat-

niat elementis & mixtis inanimatis : ergo per posse nutritri differt ab ijs, quia haec possunt quidem gignere, & gigni, at non nutritri & augeri. Sed contra nam haec aequae possunt nutritri & augeri per iuxta positionem materiae, ac viuens per intus suceptionem alimenti: æqualiter etiam gigni & generari licet diuerso modo. Nam clementa & inanimata sibi similia generant, & ab alijs sibi similibus generantur: sed a principio non vitæ coniuncto : viuentia verò à principio vitæ coniuncto; vnde, essentialiter differunt. Dices ultimò aequæ esse essentiale est elementis posse gignere aut gigni, ac posse nutritri metaphorice per iuxta positionem materiae : ergo, aequæ esse essentiale erit animæ vegetanti posse nutritri, ac posse gigni. Sed contra, nam licet sit essentiale animæ vegetanti posse gigni & nutritri vnum famen est prius altero, quemadmodum prius est hominem esse rationale quam admirarium. Sed urget tempus, progrediamur, sit.

## QVÆSTIO II.

### *De facultatibus præcipuis & administris anime vegetantis.*

FACULTATES præcipuae animæ vegetantis sunt nutritrix, augmentatrix & generatrix Administratrix vero, attractrix, retentrix concoctrix & expultrix, quæ ideo subministræ dicuntur, quod alijs inseruant, ut suos obeant fines. Cum enim debeat fieri nutritio & augmentatio per totum corpus, nec queat illa fieri nisi per conuersionem alimenti in substantiam viuentis, debet illud alimentum sumi ore, ibi conteri dentibus, alterari saliuia deferri in ventriculum stomachi, ibi que retineri & concoqui calore nativo, ac tandem verti in chylum, qui hinc ad iecur trahitur ut ibi in sanguinem vertatur; illo vero in sanguinem verso,

defertur sanguis per vniuersum corpus quibusdam  
venulis, atque in singulis partibus corporis secundum  
partes puriores retinere, vt fiat nutritio, expelluntur  
verò partes crassiores in excrementa. Ut autem id  
magis elucescat; aduerte tria esse quæ ab alimento  
denominationem sumunt; nempe id quod alit, id  
quod alitur, & id quo seu beneficio cuius vnum ab  
alio alitur. Id, quod alit, est ipsa anima vegetativa quæ  
est primum principium nutritionis: id, quod alitur, est  
ipsum viuens; id autem quo viuens alitur, est alimentum  
sumptum. Vnde alimentum est id, circa quod fac-  
ultates p̄cipuæ & subministræ occupantur, licet  
diuersimodè; nam attractrix illud trahit ad se, vt illud  
retentrici tradat, retentrix illud retinet vt concoctrici  
subiectat; concoctrix verò illud multiplici afficit alter-  
atione, quæ partes excrementitiae sunt expellantur,  
quæ verò puriores sunt in nutrimentum & semen ce-  
dant. Vnde facultates hæc tum p̄cipuæ, tum submi-  
stræ, eundem finem conspirant, nempe viuentis nu-  
tritionem, augmentationem & alterius sibi similis in  
specie procreationem. Ita tamen ut earum omnium  
idem sit obiectum, nempe alimentum quod diuersi-  
modè spectatū varias dat appellationes, si enim equalē  
sit aut inequalē substantiæ deperditæ de viuente,  
dicitur nutritionis obiectum; si maius fuerit illa sub-  
stantiæ deperditæ augmentationis obiectum si vero in  
semen vertatur ad procreationem alterius ordinatur,  
& sic est obiectum generatiæ facultatis. Ex quibus  
colligitur, nutritionem ad indiuidui conseruationem  
pertinere, augmentationem ad eiusdem indiuidui  
quoad molē corporis perfectionem: generationem  
vero ad propagationem & conseruationem speciei,  
per indiuidua. Si autem ordine originis spectentur in  
eodem indiuiduo, prius est nutritio, tūm augmenta-  
tio, deinde generatio: prius enim debet nutriti quām  
augeri & prius augeri quam aliud generare. Si vero in  
diuersis subiectis prior est generatio, deinde nutritio,  
& demū augmentatio; quia prius debet gigni vi-  
uens quam possit nutriti, & prius nutriti quam possit

augeri : At ordine perfectionis præcedit generatio, nam cius effectus nobilius est neimpè totum viuens quod generatur: deinde nutritio quia nobilis est nutriti quam augeri siquidem potest viuens subsistere sola nutritione sine augmentatione, & augeri nequit nisi nutriatur. Quid autem sit nutritio & augmentatione quove modo, fiant docuimus disp. de ortu & interitu vbi, diximus nutritionem fieri successiue discrete, hoc est per varia instantia in quibus sit verum dicere iam ultimò dispositum est alimentum per præuiam alterationem quæ sit in tempore continuè. Vnde, vt ibidem demonstrauimus nutritio est actio realiter distincta à præuiam alteratione alimenti, non autem ab augmentatione.

N V N C verò quotuplex sit alimentum est investigandum, docet Aristoteles textu 4. libri secundi cap. 4. triplicem reperiri conditionem in alimento: prima est ut sit contrarium alio; secunda, ut sit ex illis contrarijs quorum mutatio alterum augeat. Tertia, ut illud ita augeat ut non sit mutua mutatio. Vnde, alimentum non debet esse viuens, alioquin non conuertetur in viuens, debet siquidem per sui mutationem viuens augere, at non ab illo augeri, quia in alimentum non conuertitur viuens, sed è contra. Textu verò 44. cùm innuit Philosophus alimentum debere esse viuenti simile id ita intelligendum ut spectari debeat alimentum dupliciter, primò quidem cùm adhuc imperfectum est, indigestum, & incoctum, & tunc contrarium est viuenti, secundo modo cùm iam perfectum est, & concoctum ad proxime conuertendum in substantiam viuentis, & tunc contrarium, non est, sed simile: non quidem in substantiâ sed in qualitatibus: est enim proximè aptum ad eandem formam suscipiendam & proindè easdem habeat dispositiones necesse est. Sumit autem Philosophus alimentum tribus modis textu 47. secundum substantiam, & tunc obiectum esse nutritiones ait: secundò, secundum quantitatem, & sic obiectum est augmentationis: tertio quartentis residuum est superfluumque ad nutritionem & tunc

esse obiectum generationis, docet, est autem id ita intelligendum, vt tale alimentum residuum non sit materia quædam fœculenta seu excrementitia sed puriores partes alimenti quæ in semen vertuntur & in loco destinato à natura asservantur vt generationi inseruant. Dicuntur tamen partes residuae quia facta nutritione, super sunt. Est autem in tali materia virtus formatrix & generativa quæ fœtum efformat ac partes corpusculi delineat concomitante anima. Matris vt causa præcipua: ac tandem organa inducit quibus omnino peractis accedit anima; sensitiva quidem & vegetativa per educationem è materia, rationalis vero per creationem. Vnde quæ viuentia fiunt ex semine à principio vita coniuncto fiunt; quæ vero ex putri materia, non à principio vita coniuncto fiunt, sed à prima causa supplente causæ secundæ effectum, vicumque enim sunt ultimæ dispositiones in materia in ordine ad aliquam formam & de est causa secunda supplet vicem causa prima, ne natura aliquid egerit frustra: & hoc contingit dum aliquando ranæ & muræ fiunt ex aliqua putri materia.

**QVÆRI** posset hic; quænam pars corpusculi in utero materno efformetur prius, an cor, vt vult Aristoteles, eo quod sit primum viens, & ultimum moriens, an hepar vt placuit Hypocrati, quod in illo fiat sanguis vitæ necessarius: mihi videtur probabilius utramque hanc partem simul & semel efformari cum cerebro, eo quod haec tres viuentis partes sint æqualiter necessarie ad vitam, sed de ijs consule Medicos. Quod spectat ad vitam illam definit Aristoteles *permanitionem animæ vegetantis cum calido*. Tandiu enim viuit planta, aut animal quandiu ipsius anima corpori unitur. Vnde, vita non est ipsa anima, sed eius cum corpore cui unitur subsistentia. Dicitur autem animæ vegetantis permanio, non quod anima sentiens aut rationalis, non sint principia vitæ, sed quia vita ratio non sequitur gradum sentiendi, aut ratiocinandi, sed vegetandi: additur *cum calido*, eo quod calor nativus sit veluti custos animæ in corporis ergastulo. Duplicem autem vitæ

partem tradit Aristoteles lib. 4. de generatione tex.  
55. primam vocat generationis, in qua viuens au-  
gmentum capit eo quod in illa vigeat calor nativus:  
secundam vocat corruptionis in quā refractis caloris  
natiui viribus paulatim marcescit corpus, additque  
tres vitæ ætates, augmenti, consistentiæ & decremen-  
ti: Causas autem diurniores vitæ assignat, aptam  
præcipuarum partium temperiem, cor cerebrum, he-  
par, sobrium victum in cibo, & potu. Alimenti enim  
copia vim retundit caloris natiui itavt ægrè digera-  
tur, concoquatur, conuertatur; vndè, morbi existunt  
& cruditates quibus vitæ robur refringitur, & interit  
viviens: proindeque interitus, seu mors rectè definitur,  
*recessus animæ à deficiente humido si sit naturalis, re-*  
*cessus vero animæ ab extrinseco si sit violenta.* Est tamen  
vtraque instantanea, quia ut in instanti fit generatio:  
ita & corruptio, sed hæc de anima vegetativa, quæ  
nam vero sint eius species multùm laboriosum esset  
illas omnes sigillatim assignare. Sed in arbores, fru-  
ctices, herbas & alias omnino diuersas diuiditur spe-  
cies. Ad sentientem progrediamur.



# DISPVVTATIO TER TIA.

---

## *DE ANIMA SENSITIVA.*

**D**E anima sensitua quæri solet quid illa sit, quæ eius facultates, & harum obiecta: an facultates agant per se immedia-  
tè, vel per species impressas: an sint ad-  
mittendæ illæ species & quomodo re-  
præsentent obiecta: de ijs igitur erit nobis sigillatim  
agendum.

---

## Q V Æ S T I O I.

*Quid sit anima sensitua, eiusque facultates.*

**C**OMMUNIS est hæc quidem trium animarum defi-  
nitio, *anima est actus primus substantialis corporis*  
*Physici organici potestate vitam habentis: sed ut diffe-*  
*runt specie, ita diuersis explicitur definitionibus*  
*oportet. Explicat autem Philosophus vegetantem per*  
*principium vegetanti quod est generare, nutrire, au-*

gere: sensitivam per principium sentiendi, quod est imaginari, appetere sensibilia, videre, audire, olfacere, gustare, tactu percipere & loco progredi: Rationalem vero per principium ratiocinandi quod est unum ex alio inferre, ignotum ex notis patefacere differendo: & appetere quaecumque conformia sunt rationi, unde duplum habet quaevis anima respectum, genericum unum ad corpus organicum, specificum vero alterum ad proprias operationes quia absolutè in se spectata substantia incompleta est quae sua natura postulat corpori uniri, ut inde totum resultet viuens quod sit principium *quod* operationum vitalium, ipsæ vero facultates sunt principium *quo* earumdem, quia actiones sunt suppositarum. Vegetans autem & sentiens corporeæ sunt & diuisibiles ut diximus supra, quia educuntur de potentia passiva materię & actiuā agentis, & tandem in materiam redeunt: rationalis vero & indiuisibilis est & incorporea prorsus ab omni materia independens ut suo loco demonstrabitur. De vegetativa autem differuimus supra, de sentiente modo agimus & quanta fieri poterit breuitate & facilitate absoluemus. Verum quia a posteriori dignoscitur non apriori nisi supposita demonstratione ab effectu hinc sit ut quae sint eius facultates & actus sit praemitemendum.

QVONIAM autem prius diuidenda sunt, quam definienda quaecumque in questionem veniunt, ideo paucis enumerandæ sunt & inter se diuidendæ animæ huius facultates. Sunt autem quinque sensus externi, visus, auditus, odoratus, gustus & tactus: interni vero quatuor, sensus communis, imaginatio estimativa potentia seu phantasia & appetitus sensitivus, de quibus est nobis sigillatim agendum verum quia docet Aristoteles cap. 4. textu 33. lib. 2. de anima, potentiam omnem a proprio actu & actum ab obiecto specificari, adeo ut pro diuersitate obiectorum ponendi sint diuersi sensus: prius est examinandum axioma illud *potentia speciem sumit ab actu, et actu ab obiecto*. Negant id nonnulli dupli ratione, prima est

quia obiectum est extrinsecum actui à quō attingitur obiectum, & actus extrinsecus potentia, ergo, neque actus specificat potentiam neque obiectū actum. Stat sequela, nam quod specificat aliud debet esse illius differentia essentialis, vt patet de homine, & bruto quorum hoc specificatur ab irrationali ille vero à rationali quae sunt differentiae illis intrinsecæ & essentiales: ergo quod specificat potentiam, & actum sit illis esse entiale & intrinsecum oportet per modum differentiae constitutiæ. Sed contra, potentia specificatur ab aliquo sibi intrinseco, pariter actus concedo: atqui obiectum non est intrinsecum actui; neque actus potentiae concedo; ordo potentiae ad actum, & ordo actus ad obiectum non sunt illi intrinseci, nego, vnde potentia specificatur intrinsece ex ordine ad actum, & actus ex ordine ad obiectum, ita ut ex tali ordine & potentia fiat hæc species potentiae; similiter & ex actu & tali ordine ad obiectum fiat talis species actus. Vrgent, obiectum est posterius actu, & actus posterior potentia: id autem quod prius est non sumit suam speciem à posteriori, ergo neque potentia ab actu. Sed cōtra, non dico actum specificari ab obiecto, nec potentiam ab actu, quasi debeat obiectum afficer actum, & actus potentiam eo modo quo differentia afficit genus, sed dico potentiam affici ordine quem dicit ad actum; & actum affici ordine quem dicit ad obiectum; nec mirum quia potentiae dicunt esse entalem ordinem ad actus: & actus ordinantur essentialiter ad obiecta. Potentia siquidem visuā ordinatur essentialiter ad visionem & visio ad visibile, pariter dicendum de alijs potentijis. Sed dices, potest idem obiectum esse finem diuersarum facultatum, & consequenter diuersorum actuum: & diuersi actus possunt oriri ab eadem potentia: ergo neque actus à diuerso obiecto, neque potentia à diuersis actibus potest specificari. Stat antecedens, nam potest idem pomum tactu percipi & visu videri, quin immò odoratu attingi, & sime ulterius urgeas; dicam posse à gustu comprehendendi: ergo, potentiae non specificantur ab

actu, neque actus ab obiecto. Sed contra, potest calor pomi deprehendi tactu; eius color visu; odor odoratu, sapor gustu, concedo, hæc omnia sunt idem obiectum, nego. Est quidem idem pomum complectens hæc omnia, sed non sunt idem obiectum. Arguant secundò, assensus, & dissensus possunt ab eodem intellectu oriri: ergo potentia intellectiva non specificatur à suis actibus alioquin esset multiplex specie potentia, quia diuersos edit actus, præterea, versatur circa verum & circa falsum: quemadmodum voluntas circa bonum & malum ergo, non petit facultas speciem ab actu, nec consequenter actus ab obiecta. Sed contra, nam intellectus & voluntas sunt facultates naturâ suâ indiferentes ad utrumlibet, ut patet experientia. Quare.

*DICENDVM* est potentiam ab actu: & actum ab obiecto specificari, eo modo quo explicuimus. Nam visio à visibili, & potentia visuia à visione specificatur: atque de alijs sensibus similiter dicendum. Vnde facile est statuere quæ distinctio intersedat inter illos, dum modò sciamus quod nam sit proprium illorum obiectum, ut enim realiter differt visibile ab audiibili; & odor à sapore; ita & sensus qui circa illa obiecta occupantur naturâ suâ. Dixi naturâ suâ, ut scias, hæc organa seu hos sensus externos concessos fuisse animali à natura ut circa hæc obiecta tendant: & non propter alium usum. Vnde, nec oculus circa audiibile nec auditus circa visibile, sed unusquisque circa proprium munus.

Quod spectat ad sensus internos certius est omnes inter se idem omnino esse, nec differre nisi quoad modum operandi. Sensus enim communis obiecta sensuum externorum percipit quandiu presentia sunt, eaque ab inuicem discernit & iudicat visionem non esse auditionem: neque obfactum esse odoratum: imaginatio eadem quidem attingit obiecta, sed propter sensibus externis fluxerunt, nec amplius illis presentia sunt, sed absentia. At estimatiua potentia eadem attingit quidem obiecta, sed non simpliciter ut obie-

cta sunt, verum propter conueniunt aut disconueniunt appetitui sensitivo. Unde, eadem prorsus facultas pro vario modo operandi modo sensus communis dicitur, modo imaginatio modò aestimativa potentia; appetitus vero sensitivus realiter à sensu interno & externo differt tūm quod illius sequatur ductum, tūm quia alio modo operatur: non enim cognoscit obiectum sed illud appetit sibi representatum ab imaginatione, hoc est, non attrahit suo actu obiectum ad se, sed ab illo trahitur propter sui bonitatem veram aut apparentem. Obiectum autem appetitus sensitivi est bonum delectabile corpori, & ut plurimum noxiū animæ, quare toties fit homo similis bruto quoties appetitu sensitivo bonum appetit delectabile, & id sit ex ignorantia vincibili & peccaminosa iuxta illud, homo cum in honore esset non intellectus comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quod vero spectat ad memoriam sensitivam, sane non differt ab imaginatione & aestimativa potentia sed omnino est idem propter res quæ ante recepta erat denuo percipitur ab eadem. Quid est enim recordari alicuius rei per memoriam sensitivam aut intellectuam quam iterum eamdem attin gere. Constat igitur quinque sensus externos realiter inter se distingui, tūm propter obiecta quæ realiter distincta sunt inter se, tūm etiam ratione subiecti in quo sunt, aliud enim est organum visus, aliud auditus, & similiter de alijs quæ in diuersis partibus animalis resident. Interim vero unicum esse sensum internum vel ex eo constat quod idem obiectum vario modo cognitum non multiplicat potentiam, sed modum operandi, duntaxat ubi aduerte obiectum visus sumi posse duobus modis. Primo materialiter pro re quæ percipitur. Secundo formaliter pro ratione sub qua attingitur, ut, color res est quæ percipitur visibilitas vero ratio sub quâ videtur, vel ratione cuius cernitur & sic de alijs sensibus est Philosophandum, unde eadem res propter perceptibilis seu imaginabilis est obiectum imaginationis, propter vero percipitur ut

conueniens aut disconueniens naturæ animalis obiectum æstimatiæ potentia. Nec proinde duplex est potencia quia obiectum non respondet illi prout imaginabile est, ut patet etiam de intellectu qui à seipso non differt siue obiectum cognoscat ut verum, siue ut bonum & conueniens naturæ rationali quia vtroque modo sumptum attingit ut intelligibile similiter imaginatio & phantasia obiectum siue conueniens aut disconueniens sit, semper percipiunt illud ut imaginabile & ratio est quia conuenientia aut disconuenientia est imaginabilis, & sub illa ratione attingitur ab imaginatione & æstimatiua, sub vero ratione conuenientis aut disconuenientis est obiectum appetitus sensitui, quia nihil appetibile nisi ut conueniens. Supereft dicendū quomodo sensus agant. Primo autem obiectum sui speciem immitit in sensus externos: media tali specie sensus obiectum ipsum percipit actione quæ dicitur species expressa: hæc autem species è sensu externo in sensum internum communem transmittitur, & ex sensu communi in imaginacionem ac tandem ex imaginatione in Phantasiam eo sensu quo dixi supra, & ex phantasia intellectus agens speciem abstrahit immaterialiorem, eamque sibi ipsi ut possibili imprimit ut illa media percipiat obiectum, cuius illa est repræsentatiua. Verum ut id percipias.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum facultas sensitiva sit actiua  
vel passiua.*

**S**ENSUS questionis est an sensus externi vel interni non tantum operentur circa obiecta quæ percipiunt, sed etiam aliquid patientur ipsis ab obiectis. Ratio dubitandi oritur ex eo quod doceant aliqui

aliqui sensus omnes per se immediatè percipere sua obiecta absque concurso vlli rei siue ex parte obiecti, siue aliundè veniat; Alij verò potest non posse attingere obiecta nisi assunilentur illis per quandam illorum speciem illis impræssam ab obiecto, ac prindè necessariam esse talem speciem quæ concurrat cum potentia ad eliciendā actionem circa obiectum. Id autem probant, quia potentia ex se est quidem naturâ suâ ordinata ad tale obiectum formale sed tamē cùm illud sit multiplex numero, nec possint omnia simul vnicō actu percipi, potentia est indeterminata & indifferens ut prius hoc quād illud attingat, ergo prius debet determinari quād agat: determinatur autem per species impræssas. Ratio in promptu est, quia oculus non videt nisi habeat in se speciem obiecti visibilis, quæ est in oculo ut in speculo, ergo neque alijs sensus. Alij verò arguunt solam potentiam sufficere dummodo obiectum sit præsens & debitè applicatum, quia quod dat esse debet dare posse operari: ergo natura dans esse sensibus dat illis posse operari ordinantur autem ex sua natura ad propria obiecta, ergo debent posse operari circa propria obiecta. Sed contra quod dat esse dat posse operari per se immediatè vel cum concurso alterius, concedo: ergo natura dedit sensibus agere per se vel per speciem impræssam, concedo, per se solum, nego. Quart.

D I C E N D U M est i. sensus per se sine specie impræssa non posse operari: probatur primò, nām quomodo se habet ignis ad calefaciendum, ita se habet oculus ad videndum: atqui ignis per se immediatè non potest calefacere sed indiget calore; ergo oculus per se solum nequit videre, sed eget specie impræssam obiecti quæ similitudinem habet cum obiecto, quemadmodum calor cum alio calore. Secunda, ut potentia attingat obiectum debet illi vniuersitatem, dicitur autem illi vniuersitatem per speciem impræssam: quia nihil aliud potest assignari, ergo illa species est necessaria. Tertiò, videmus in speculo speciem impræssam in aqua pariter & alijs corporibus diaphanis, itavt si in

illis esset potentia visiva cernent obiecta, ergo in oculo est etiam admittenda species. deinde omne cognitum debet esse in cognoscente per se vel per aliud, nequit autem per se immediate in intellectum cadere, ergo per aliud quod eius vices gerat illud autem nequit esse aliud quam species impræssæ quia debet esse obiecto simile & nihil est magis simile obiecto quam illa species cum nos reddat eidem obiecto similes, ergo dari debet illa species quæ sit similitudo obiecti. Vnde antiqui animam ex atomis rerum omnium compactam esse docuerunt per quos omnia intelligibilia cognoscantur: sed nos loco atomorum ponimus species impræssas. ultimo etenim res externis sensibus perceptas etiam absentes postea cogitatione voluimus quatuor earum imagines quas aspectu, auditu, odoratu, gustu & tactu huiusmodi interno sensu retinemus, vnde & memoria receptaculum specierum nominatur.

Sed atque autem speciebus, quæri solet utrum sensatio sit ipsa simplex specierum receptio. Id asserunt aliqui qui arbitrantur ipsam potentiam esse purè passiuam. Dieunt enim duo requiri ad sensationem, speciem impræssam ex parte obiecti, & vim sensitivam ex parte potentie ita tamen ut sola receptio speciei sit sensatio, seu actualis perceptio obiecti. Sed contraria, nam eadem est receptio speciei in medio aere ac in potentia quia species derivatur ab obiecto & usque ad potentiam visuam propagatur per totum aerem intermedium: & tamen receptio speciei in mediorum aere non est sensatio, cum aer non videat nec percipiat ullum aliud obiectum, ergo præter solam receptionem speciei in ipsâ potentia requiritur ut ipsa potentia eliciat actum. Urgent speciem duplificiter sumi, primò ut accidens inherens potentia: secundò, ut est imago obiecti, illiusque uno cum potentia, atque hoc ultimò modo esse sensationem, & sic potentiam se habere mere passiuam. Sed contra nam sensatio est actio vitalis, ergo nequit esse sola species, seu sola illius receptio in potentia, sed

ptius debet recipi species impræssa quam potentia possit actualem sensationem edere cum sensatio sit species expræssa seu elicita à potentia concurrente impræssa: vt enim calamo utimur ad characteres effor mandos, ita sensus nostri interni & externi specie impræssa utuntur ad suas operationes efformandas. Quare.

DICENDVM est potentiam se habere passiuæ ad receptionem speciei impræssæ, deinde simul cum illa sensationem elicere actualem, eamque in se recipere, vnde respectu utriusque receptionis est quidem passio, respectu actualis actio. Quod ut capias aduerte, speciem impræssam esse illam imaginem quam obiectum sui ipsius imprimit in potentia, ex præssam verò actualem perceptionem obiecti quam elicit potentia media impræssa, sed de ijs paulo infelius interim sit.

### QVÆSTIO III.

#### Quomodo concurrat species cum potentia.

STATUTIS speciebus intelligibilibus, earumque necessitate, occurrit inuestigandum an & quomodo concurrant cum potentia. Docet Toletus cap. 5. q. 12. speciem non concurrere cum potentia tanquam principium effectuum, sed tamquam dispositionem sine qua non operaretur potentia. Probat autem, quia *inquit* eiusdem actionis nequit esse duplex principium effectuum, sunt autem potentia & species duo, ergo cum potentia sit principium effectuum non item species. Sed contra, eiusdem actionis nequit esse duplex principium effectuum totale, concedo: partiale, nego. Sunt autem potentia & species duæ causæ partiales respectu sensationis, est enim aliquid in sensatione quod respondet potentiae, nempe entitas & vi-

talitas actionis : speciei vero respondet representatione obiecti. Vrget ille si species sit principium effectuum sensationis , vel erit immediatum , vel mediatum: non immediatum quia actio procedit immediatè à potentia , neque mediatum , quia principium quod agit immediate nempe potentia non eger medio aliquim non esset immediatum , ergo non datur illa species. Sed contra , potentia est principium immediatum sensationis quoad entitatem & vitalitatem eius , concedo : quoad representationem obiecti , nego. Æque enim immediate procedit illa representatione ab specie , quam entitas & vitalitas actionis à potentia. Quod vero species sit tantum dispositio ad agendum adeovt cum potentia concurrat dispositiue , patet nam sine specie impræssa non potest potentia operari & cum tali specie potest operari ; ergo illa species vel concurrit cum potentia ad agendum vel saltem disponit potentiam ad agendum. Sed nos diximus supra concurrere ad operandum. Ille addit speciem concurrere etiam motiuè & obiectiuè , motiuè quidem quia sui impræssione excitat potentiam ad agendum: obiectiuè verò tum quia gerit vices obiecti & potentiam determinat ad potius hoc obiectum quam aliud percipiendum , tum quia obiectum ipsum reale potentiam obiectiuè mouet ad scipsum percipiendum mediante illa specie quæ est tanquam instrumenti obiecti , hæc ille. Sed contra , nam primo eadem quæstione ipse Toletus recensens sententiam Platonis assertoris speciem excitare tantum animam ad obiectum percipiendum scribit id esse contra Aristotelem. Secundò , conclusione tertia q. 34. repræhendit Durandus quod scripsit specie impræssam esse imaginem obiecti. Unde vel ipse repræhendendus est q. 12. quod dicat speciem esse imaginem , seu obiectum proximum & internum rei externæ vel certè species impræssa non est obiectum proximum rei cognitæ. Tertiò eadem quæstione 12. ipse posuit speciem ut dispositionem potentiae ad sensationem , ergo , nequit esse terminus sensationis , quia terminus actionis poste-

rior est actione, & actio posterior eo à quo potentia disponitur ad actionem. Ultimò. ipse distinguit speciem impræssam ab expressa, aitque expræssam esse terminum sensationis, ergo impræssam cum expressa confundit. Quare.

DICENDVM est, speciem impræssam concurre cum potentia in genere causæ efficientis ad actualem sensationem eliciendam. Id patet, nám primò, vt ipsi Toleti placet, species impræssa se habet vt habitus in potentia; atqui omnis habitus concurrit cum potentia actiue, ergo & species impræssa concurrit actiue cum potentia. Minor patet nam grammatica, Rhetorica, logica & alijs habitus iuvant intellectum ad recte differendum, ornatè & congrue loquendum & sic de ceteris, ergo si species impræssa se habeat vt habitus pro certo erit actiua & sic concurret cum potentia. At dices, habitus conferunt tantum facilitatem ad operandum, non autem concurrunt ad entitatem operationis: ergo, species impræssa quæ se habet vt habitus erit quidem ad facilitatem actus non autem ad entitatem actus. Sed contra, habilitas potentiae concurrit ad facilitatem actionis, non ad entitatem actionis, concedo: habitus non concurrit ad entitatem sed ad facilitatem actionis, nego, habitus enim est concusa, habilitas vero modus quidam facilius operandi: ita ut habitus concurrat cum potentia ad talem actum specie, habilitas vero ad solum agilitatem actus. Deinde aliquid est in actuali sensatione quod nulli causæ potest tribui nisi speciei impræssæ, nempe representatio talis obiecti, nam in omni sensatione sunt hæc tria entitas actionis vitalitas actionis & representatio huius aut illius obiecti, entitas autem actionis prouenit à potentia, vitalitas ab anima, representatio obiecti à specie impræssa obiecti vel enim est à potentia, vel ab anima, non ab anima quia illa solum dat vitalitatem, potentia solum entitatem, ergo signum est speciem dare representationem obiecti, sed quæ sit natura specierum sensibilium videamus.

---

## QVÆSTIO III.

### *De natura specierum sensibilium.*

**S**PECIES sensibiles seu impræssæ, quæ & intelligibiles dicuntur respectu intellectus, intentionales solent dici prout sensui & intellectui subserviunt, Bifariam autem potest sumi intentionale. Primo, prout distinguitur à reali, & hoc sensu, secundæ notiones Logicæ quæ suum esse habent ab intellectu intentiones dicuntur. Secundo, pro ente reali immateriali oratione corporeâ, quod neque sit purè corporeum, neque pure spirituale sed medium inter spirituale & corporeum, degenerans à suâ causa quæ corporea est, cuius tamen sit tanquam vmbra, imago, similitudo, & representatio, & hoc sensu species sensibiles & intelligibiles intentionales sunt. De iis autem quæri solet, an sunt corporæ, extensæ & diuisibiles: an ab obiecto efficiant vera actione: an recipientur in medio & organo: deinde an totum representent obiectum indiuisibiliter, hoc est an tota totum & qualibet eius pars totum idem representet obiectum: eo ferè modo quo anima nostra tota est in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte.

QVO A D primum, negant aliqui corporeas esse diuisibiles, & extensas; sed instar spirituum in extensas, incorporeas, & indiuisibiles, hac ratione. Si species impræssa montis materialis sit diuisibilis & extensa, eamdem habebit extensionem & diuisibilitatem quam mons cuius est species & illum representabit eo modo quo est & cum æquali mole: atque tanta molis speciem recipi in oculo minimulo impossibile est cum debeat esse proportio recipientis & recepti, ergo illa species, extensa non est, sed inextensa & consequenter spiritualis est, non corporea. Sed contra,

illa species minorem habet extensionem, concedo est, omnino inextensa & consequenter indivisibilis & spiritus ritualis, nego.

Quod oportet spectat ad secundum, censem aliqui ex antiquis ab obiecto transmitti speciem in sensum. eo forte modo quo sagitta a jaeulatori versus scopum emititur; quod putent obiecta sensibilia ipsis sensibus se manifestare eo pacto quo angeli sibi inuicem manifestant suos conceptus per immisionem specierum. Sed contra, negantur paritas, nam Angeli suos conceptus alij aperiunt per immisionem specierum sine medio horum ita ut haec species non recipiantur in medio interiecto: obiecta vero sensibilia indigent medio in quo recipiantur. Quare,

DICENDUM est id fieri per continuam propagationem specierum ab obiecto in oculum aut alium sicutum, eo forte modo quo ignis distans e manu calorem diffundit per totum medium usque ad meam manum. Et licet ista propagatio specierum videatur esse instantanea, quia uno istu oculi videtur Cœlum, in terra constituti, & nequid oculus clicere visionem circa Cœlum quin prius Cœlum impræserit sui speciem in oculo, temporanea tamen est, quia nequit ad subiectum loco distans pervenire nisi prius transeat per medium, illud transcurrendos: & nisi prius diffundatur in partes priores medii, quam in remotiores: haec autem actio licet instantanea videatur, quod necessario probuat ab obiecto est, tamen educita e subiecto medio in qua imprimitur, educitur etiam de potentia sensus cuiuscumque imprimitur per impræ propriam alterationem, quia ipsæ species non in ipso obiecto sunt sed in medio & in sensu ex quorum potentia educuntur. Vnde conceditur ab omnibus species ipsas in medio & organo recipi, quia ibi recipiuntur vnde educuntur, nec migrant de subiecto in subiectum. Ad ultimum, dicunt aliqui speciem representare diuisibiliter obiectum hoc est totam speciem totum obiectum; partem vero speciei, partem obiecti, ac probant, nam species representat obie-

cum per suam entitatem: atque entitas speciei est diuisibilis, ergo representat diuisibiliter. Et sane in speculo id videtur esse verum, nam ibi cernimus rotam speciem representare totum nostrum vultum: partem vero speciei impræssæ in speculo, partem vultus tantum. Id autem ut percipias.

Dicendum est, Species intentionales, esse diuisibiles entitatiæ indiuisibiles vero representatiæ. Prima pars probatur, nam sunt in subiecto diuisibili *nempe* in medio & in organo: ergo ipsæ in se sunt diuisibiles, quod probo. Debet esse proportio inter subiectum & formam subiectatam: ergo si subiectum sit diuisibile ita & formam. Cernimus deinde in speculo speciem habere extensionem, ac latitudinem adeo ut possimus discernere unam illius partem ab altera parte, & rotam a partibus. Secunda pars liquet. Nam fractorum speculo, qualibet eius pars totum representat obiectum æque ac speculum integrum, ergo signum est speciem impræssam representare indiuisibiliter totum obiectum, & sic esse quidem entitatiæ diuisibilem, & indiuisibilem representatiæ. Quod autem dicimus de speciebus sensibilibus sensuum externorum, intelligenda sunt de speciebus intelligibiliibus sensuum internorum & ipsius intellectus, ut enim sensus exterior indigent ijs speciebus ut suas possint obire functiones pariter & interni: nec intellectus ab hoc ordine separatur cum sit facultas animæ rationalis, licet enim cæteras facultates vincat entitate, & modo operantur, eisdem tamen virtutibz speciebus impressis, quæ in illo dicuntur intelligibiles, in sensibus vero sensibiles. Sed ad quinque sensus exteriores accedamus.

Quinque sensus exteriores sunt, tactus, visus, auditus, gustus, olfactus. Tactus est sensus corporis, qui concepitur a sensu corporis, et id sensus, quæ sensu corporis non possunt conceperi, nec mitigari, ut impedit corporis actionem, aut est sensus corporis, qui possunt conceperi, aut mitigari, ut relaxat corporis actionem. Visus est sensus corporis, qui concepitur a sensu corporis, et id sensus, quæ sensu corporis non possunt conceperi, nec mitigari, ut impedit corporis actionem. Auditus est sensus corporis, qui concepitur a sensu corporis, et id sensus, quæ sensu corporis non possunt conceperi, nec mitigari, ut relaxat corporis actionem. Gustus est sensus corporis, qui concepitur a sensu corporis, et id sensus, quæ sensu corporis non possunt conceperi, nec mitigari, ut relaxat corporis actionem. Olfactus est sensus corporis, qui concepitur a sensu corporis, et id sensus, quæ sensu corporis non possunt conceperi, nec mitigari, ut relaxat corporis actionem.

## QVÆSTIO V.

*De numero sensuum externorum animæ sensitivæ.*

**N**eque plures, neque pauciores quam quinque admittit Aristoteles sensus externos, lib. 3, de anima cap. 1, nempe, *visum, auditum, odoratum, gustum & tactum*. Probat autem dupli via. Prima est à medio quod species derauntur ad sensum, secunda, ex organis in quibus imprimuntur species. Ait autem ita, media conueniunt cum organis in eo quod recipient species, differunt vero in eo quod medium non sentiat, quia caret principio vitae: organum vero sentiat quod sit praeditum anima, ergo pro numero mediorum ponendus est numerus sensuum externorum: at qui quinque sunt media ergo pariter quinque sensus externi. Probatur minor, nam licet haec media sint tantum tria secundum entitatem nempe caro aer & aqua, sunt tamen receptiva specierum quinque modis: nam aer & aqua vel recipient spaciem ratione diaphaneitatis, & sic inseruiunt visui: vel ratione humidius, & sic inseruiunt olfactui: vel ratione raritatis & mobilitatis secundum locum: & sic inseruiunt auditui. Caro autem duobus modis spectari potest aut secundum temperiem primarum qualitatum, & sic tactui inseruit, aut secundum siccii aut humidius, & sic inseruit gustui. Ita Aristoteles & quidem recte, quia gustus habet pro obiecto siccum & humidum in concreto. In quoniam autem subiecto insideant illa organa dicetur suo loco ubi de singulis sigillatim agemus. Hunc autem ordinem seruant inter se sensus externi, ut ordine necessitatis procedat tactus, deinde gustus olfactus, & visus: e contra vero ordine dignitatis praecedit visus, deinde auditus olfactus, gustus, & tactus, sed omnium præstantissimus est:

visus tūm propter nobilitatem obiecti quod sunt lu-  
men & color, tūm propter excellentiam organi in-  
cuius structura tota incumbit industria naturæ: tūm  
propter subtilitatem medijs, & nobilissimum operandi  
modum, quā propter ab illo est exordiendum.

## V I S V S.

QYAT YOR sunt de visu examinanda, *organum*,  
*facultas*, *actus* & *obiectum*. Organum capiti infidet  
septem muscularis, quinque tunicis, tribus humoribus,  
& nervo optico constans. Ex septem muscularis unus  
fursum, alius dorsum, duo dextrorum mouent oculum;  
alij duo circumferunt, septimus verò totam  
substantiam fabricam, ac colligat. Ex tunicis intima dicta-  
tur specularis eò quid niteat ut speculum, vel aranea,  
quid telæ araneæ sp̄ciem referat: secunda hinc pro-  
xima reticularis dicitur, quia venulis & arterijs in-  
texta retis effigiem exhibet: tercia dicitur vnea, quia si-  
milis est vix folliculo: quarta dicitur cornea, quia  
tenuis simæ cornu lamine similis est: quinta vocatur  
alhæresens quia eius operatus oculus proximis ad-  
herescit ossibus. Ex humoribus, intimus dicitur cry-  
stallinus, subsequens vitreus, deinde aquinus. A cere-  
bro verò procedit quidam nervus qui opticis seu visi-  
ficiis muncipatur, qui usque ad humorem vitreum  
protensus, à substantia nervi degenerat, & quidam  
sunt dilatatione & amplitudine, humorem vitreum us-  
que ad extremitatē telæ araneæ quā relinquit dis-  
coopertam ambit. Progreditur autē hic nervus opti-  
cus a cerebro duplicit tunica quasi vestitus, una qui-  
dem intima quā sumit à meninga, altera media quā  
quam sumit à dura matre. Sunt enī inter cerebrum  
& os calvariae à parte interna, duæ tunicæ inter quas  
multæ sunt vene, quarum proxima cōtrebro dicitur  
meninx seu pia mater, altera quae superimposita est  
vocatur dura mater. Procedit autem nervus opticus a  
cerebro bifurcatus, qui paulò post coniungitur ac hi-

vnu: postea verò in duos iterum diuiditur ac quicunque in luum oculum proficiscitur. In hoc autem neruo sunt spiritus visui per quos vis mandatur à cerebro in oculos, ac per eosdem species rerum visibilium ad sensum internum communem deriuantur. Sunt præterea ita colligati ut nequeat unus moueri quin & aliis mouetur; adeo ut subtata tali vnione idem obiectum apareat multiplex, ut patet in ijs qui digito premunt oculum. Id autem fit ex eo quod neruus opticus aliqualiter inflectatur, ex qua inflexione fit ut species visibiles item mutuo diuidantur. Sed hæc de structura organi visus, in quo subiecto residat facultas visiva perscrutemur. Scribunt aliqui illam residere sicut in neruo optico & humore chrystallino, quod in huiusmodi humore recipiantur species visuales; in neruo verò optico spiritus vitales necessarij ad visionem. Sed contra nám primò, nequit idem accidens esse simul in duobus subiectis totalibus, & realiter distinctis. Ut sunt nervus opticus & humor chrystallinus; secundò, in eodem subiecto inest potentia visiva in quo sunt species rerum sensibiliunt, quia illa duo efficiunt unicum principium videndi, ergo si spiritus sint in humore chrystallino, ita & species visuale, & consequenter potentia visiva, hæc enim virtus alijs ut concavis ad visionem eliciendam. Tertiò, in eodem principio recipitur visio, à quo elicetur; & è contraria ab eodem elicetur principio in quo recipitur, cum sit actio vitalis immanens, ergo ab unico principio totali debeat elici, non verò a pluribus locis & subiecto distinctis, neruus autem opticus distinguitur loco ab humore chrystallino, ergo nequit potentia visiva in illo residere. Dicimus autem illam habere sedem suam in humore chrystallino, quia illa debet esse ubi sunt species & spiritus visui; sunt autem in humore chrystallino, ergo, in illo humore residet potentia visiva.

HANC doctrinam impugnat Toletus asserens potentiam visivam residere in tunica aranea sive pupilla dicitur alij in tunica retina: alij in humore

vitreo : alij denique in coniunctione nervorum opticorum qua parte attingunt humorem crystallinum. Albertus magnus summâ de homine illam ponit quantum ad initium vitæ in humore crystallino, quantum ad progressum vitæ in neruo optico & in spiritibus visiuis: quantum vero ad perfectionem vitæ in sensu interiori. Sed Chymera. Qui enim fieri potest ut idem numero accidens migret de subiecto in subiectum , cùm eius inhærentia sit eius existentia , sed hæc de potentia visiua. Quod spectat ad actualem visionem , fuit olim diu multumque hæc agitata in scholis quæstio , an visio fieret per emissionem radiorum ab oculo in obiectum , vel per intus susceptionem specierum ab obiecto. Primum docuit Plato, secundum vero Aristoteles & quidem melius. Non enim credibile est tot radios ab oculis exilire simul , vt simul tot obiecta conspiciantur , vt sit dum cœlos intuemur , in quibus infinitas propemodum stellas deprehendimus. Nec fieri potest ut radij huiusmodi ab oculo in Cœlos propagari possint ac demum in oculos reflecti , ut per talem reflexionem speciem obiecti deferant ad oculum ut voluit Plato. Fuit enim eius imaginatio ut radij visuales rectâ tenderent ad obiectum & ibi species obiecti arriperent easque deferrerent per sui reflexionem , vsque ad oculum , ut ibi fieret visio. Sed contra , nám si visio debeat fieri per speciem obiecti , satius est dicere ipsum obiectum illas immittere in oculum , quam oculum per suos radios illas ab obiecto emendicare. Quare ,

D I C E N D U M est cum Aristotele , visionem fieri per intus susceptionem specierum , adeout ipsa visio sit species expræssa obiecti , elicita à potentia visiua concorrente specie impræssâ. Nec refert quod simul sint plures species impræssæ rerum visibilium dissimilium , quia non sunt inter se contrarie , quemadmodum obiecta. Nec obstat etiam quod aliquando ex oculis exilire conspiciamus radiolos quosdam , aut etiam noxiás transmitti qualitates quibus solo intuitu alijs quosdam nocuisse constat , quia radij illi ex

vberiori spirituum vitalium copia proueniant. Illæ vero noxiæ qualitates ex abundantia humorum coalescent: hæc autem nihil ad visionem faciunt. Vnde constat fieri visionē per species impræssas ab obiecto. Superest igitur, vt de obiecto dicamus. Est autem obiectum visus quidquid visibile est per se, vt color, & lumen. Quidquid enim videtur coloratum est, aut luminosum. Quæcumque enim in tenebris apparent ut scamnæ piscium, ligna cariosa, oculi quorundam animalium, ad lumen referuntur, quia ratione ingeniti luminis in tenebris visuntur. Est ergo duplex genus obiecti visus, *Color & lumen*. Docent tamen aliqui lumen esse tantum conditionem quâ videtur color, ac proindè colores esse adæquatum visus obiectum. Probant ita, nihil conspicitur oculis nisi sit coloratum, aut speciem referat coloris, vt patet de cœlis, elementis, & meteoris aqueis & ignitis, quæ speciem quandam coloris referunt licet vero non sint affecta colore: lumen nec color est, nec colore afficitur sed speciem illius refert, ergo lumen non cernitur oculis sub ratione luminis, sed sub ratione colorati. Præterea, lumen est tantum conditio sine qua non cerneretur color, quia existit color in tenebris, & non cernitur, exit vero in actum videndis olo posito lumine. Vnde scribit Aristoteles perspicuum esse medium necessarium ad videndum colores, ubi per perspicuum intelligit illuminatum. Est igitur lumen qualitas quedam realis necessaria omnino ad videnda obiecta visibilia.

**DICENDVM** est lumen esse verum obiectum visus. Probatur, lumen cernitur absque vlla dependentia à colore ergo magis participat rationē obiecti visus, quam color. Stat sequela, nam color non percipitur nisi medio lumine, lumen verò percipitur nullo medio colore. Vndè sic arguo, propter quod vnumquodque est tale, illud est magis tale: atqui per lumen color est visibilis ergo lumen est magis visibile.

QVATVOR ut de visu sunt de auditu discutenda. Quid sit organum auditus, vbi facultas auditiva residet: quid eius actus & quodnam eius obiectum. Organum per amfractus definit in partes externas auris. In eius autem flexuosa concavitate quædam includitur membrana quaæ quia leuis est, siccæ & tensæ sicut membrana tympani idcirco vocatur tympanum auditus. hanc autem stabiliunt tria ossicula quorum unum in eudis, alterum malleoli, tertium stapedie figuram refert. Intra ipsam membranam adseruatur æt ingenitus in quo residet potentia auditiva. Tympanum autem auditus neruo cuiusdam affixus est, è cerebro, descendenti, per quam, tanquam per canalem, tūm spiritus animales ad tympanum deferuntur; tūm species soni ad sensum communem deriuantur ut ibi percipiatur quid sit sonus & quomodo ab alijs sensibus differat auditus, & hæc de structurâ organi. Sedem autem potentiae auditiae quidam in tympano, quidam in neruo è cerebro descendenti in aërem innatum: alij vero melius in ipso aëre, collocarunt. Ibi enim residet facultas, vbi fit auditio cum debeat esse causa vbi est effectus: atqui fit auditio in aëre innato inclusa in tympano auris; ergo in illo aëre innato est facultas auditiva. Cæteræ autem auris partes omnino quidem necessariæ sunt ad auditionem, tūm ad receptionem speciei impræssæ, tūm ad expressiōnem illius actualis auditionis, est enim actualis auditio non sola speciei impræssæ soni receptio sed actualis illius perceptio, ut dictum est de visione.

O B L E C T V M autem auditus est sonus quocumque modo fiat: siue acutus sit, siue obtusus, siue grauis. Maxima verò est difficultas in assignandâ naturâ soni, & quomodo fiat. Eius natura solet dici *qualitas patibilis afficiens auditum*. Dicitur patibilis quia cito transit: dicitur afficiens auditum, quia ipsam potentiam auditivam attingit, alioquin non posset

percipi. fit autem per motum localem ex collisione duorum corporum, quæ sint dura, levia, concava & secundum superficies plana, & non exuberantia, fiatque collisio velociter. Ita Aristoteles, lib. 2. de anima cap. 8. Medium autem in quo fit sonus, est aer aut aqua, eaque contingua vel continua, ut sonus possit propagari ad aures, producitur autem prius species soni in partibus vicinioribus aeris quam in remotioribus, ut dictum fuit de speciebus rerum visibilium. Est enim sonus in corporibus quæ sese mutuò collidunt tamquam in causa; in medio aere aut aqua, tanquam in subiecto propagationis, in aere vero in nato aurium, tanquam in subiecto auditionis. Fit enim sonus a collidentibus intra aliquam sphæram spatij interpositi inter collidentia corpora & aures audientis: deinde hic sonus realis speciem sui imprimit in partibus aeris sibi vicinioribus; Et haec alias edunt usque ad aures intram sphæram limitatam suæ actiuitatis. Non enim est existimandum eundem sonum realem a duobus collidentibus editum propagari semper usque ad aures longius distantes, aut totum imprimi in aliqua parte aeris, & illam partem aeris ex collisione duorum corporum resilire usque ad aures: sed sonum primò productum speciem sui dilatare usque ad aures. Vox acuta grauis, & obtusa sunt species quædam soni definitur vero vox, sonus ore prolatu in aere a pulmonibus attracto cum quadam significandi intentione præsertim in hominibus. Echo vero dicitur esse sonus reflexus, siue reflectatur per realem propagationem siue per intentionalem tantum, hoc est, per reflexionem specierum intentionalium soni. Fit vero echo quando occurrit corpus a quo reflectatur sonus, vel eius species impressa: eo fere modo quo reflectitur species visibilis occurrente corpore renitente. Tunc autem multiplex fit echo quando plura occurunt corpora reflectentia sonum ut potest quisque deprehendere ex solita experientia.

## ODORATVS.

QVATVOR quæri solent de odoratu, vt de alijs sensibus, *organum potentia, actus & obiectum*. Organum ex duplice mamillari è cerebro in externam narium partem protensa constat & osse multis foraminibus patente, quod os spongiosum solet vocari; & sicut bipartitum est ita duos habet meatus, duobus nasi foraminibus respondentes. Horum autem meatum & mamillarum triplex officium est nempè respire, olfacere, & cerebrum expurgare. Insuper sunt & quidam nerui qui per hos meatus è cerebro in nasum diffunduntur. Quæritur in quoniam illorum omnium resideat facultas odorandi, an in processu mamillarum, an in osse spongioso, an verò in ijs neruis. Aliqui docent residere in ijs neruis quòd per illos spiritus vitales in nares deriuantur, & species odorum in cerebrum emittant: Alij in osse spongioso quòd eius substantia sit aptior ad odores imbibendos: alij vero cum Aristotele in mamillis quòd ipsæ deriuentur, è cerebro tanquam canales in quibus recipiuntur species odorum, & deferuntur ad cerebrum vt ibi fiat olfactio: ibi enim sit vbi sunt species, quandoquidem species sunt causa partialis, actionis. Per has etiam mamillas mittit cerebrum excrementa in nasum, per respirationem etiam ascendunt fumi usque ad cerebrum, atque deriuantur rami nervorum usque ad nasum. Nagat tamen Auicenna in ijs mamillis residere facultatem odoratiuam, quia *inquit* hæc mamillæ sunt eiusdem substantiæ cum cerebro, & cerebrum non odorat ex Aristotele lib. 2. de partibus animalium. Respondeo in mamillis quædam esse qualitates idoneas ad olfactum quibus caret cerebrum, & sic non mirum esse si mamillæ odorent, non cerebrum. De ipso actu odorandi id tantum occurrit dicendum, quod sit actualis perceptio odoris, facta tūm per species intentionales, tūm per realem odorem. Contingit

enim

enim realem odorem posse ad mamillas vsque peruenire si corpus odoriferum non multum distet, speciem vero intentionalem si subiectum odoriferum multum dissitum sit. Ille autem actus est immanens sicuti cæterorum sensuum, visus, auditus, &c. est que vitalis cum procedat à principio vitali. Quod spectat ad obiectum olfactus, concedunt omnes illud esse odorem: sed quid sit odor id multum laboriosum esset inuestigare. Describitur tamen ab Aristotele ijs verbis, *odor est qualitas secunda proximè in seco comprehendere humidum consistens, & olfactus immutativa.* Vnde colligitur, odorem non esse fumosam aliquam substantiam ut falsò putauerunt quidam medici. Neque enim substantia per se sensibilis est, sed qualitas patibilis quia citò transit. Oritur autem odor ex temperie primarum qualitatum in qua prædominatur siccitas, calore humidum decoquente: ut deprehenditur ex eo quod corpora odorifera nisi crementur & in siccam exhalationem quasi immutentur odorem nullum aut saltem per exiguum emittrunt. Nequit autem probè huius qualitatis natura explicari, propter odoratus nostri hebetudinem & ipsius odoris circa quem versatur potentia, subtilitatem & tenuitatem: & nequeunt odoris species in sensum communem peruenire, ut indè in intellectum deriuentur nisi medio sensu odoratus. Sensus enim externi, sensibus internis inseruiunt, quadam essentiali subordinatione ut nihil interni percipient nisi beneficio externorum: vnde Aristotelis dictum, *nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu.* Possunt autem species odoris dignosci ex comparatione sui cum sapore; ut enim sapores, ita & odores acutos, acerbos, graues, & suaves dicimus esse. Sed haec de odoratu, ut ad gustum progrediamur.

## GVSTVS, ET TACTVS.

T A N T A est affinitas gustus & tactus, ut nequeat gustus fieri nisi tactu ciborum; vnde, scribit Aristoteles,

teles cap. 10. textu 19. omne gustabile esse tangibile. Ratio est quia gustus non habet medium externum sicut visus & auditus. sed internum : ergo, ut percipiat suum obiectum necesse est ut illud sit illi summè præsens *hoc est* indistans, non enim gustamus quæ longius dissipata sunt. Deinde, sapores non percipiuntur à gustu, nisi percepta cibi humiditate, est autem humitas obiectum tactus. Nec dicas multa esse gustabilia quæ carent humiditate, ut sal & sacharum, quia gustui non subiacent, nisi quatenus saliuia admissentur vnde hæc humida sunt potentia quatenus debent humefieri antequam percipientur gustu, alia vero sunt humida actu. Et propterea scribit Philosophus, textu 14. sensorium gustus esse potentiam, humidum, non actu : quia ut obiectum percipiat debet illi assimilari potentiam, *hoc est*, debet esse potentia tale, quale obiectum est actu : quia si esset tale actu, obiectum non perciperet. hæc ille. Sed quid sit huius sensus organum, quid facultas, quid actus, & quid obiectum dicamus. Organum est lingua ex omnium consensu, linguae autem fabrica hæc est in sa ad radicem quam parte faucibus cohæret osse valido nititur, tunica cingitur pertenui : quibusdam constat muscularis quos media linea ad dextram leuamque diuidit, venis duabus maiusculis totidemque arterijs, duobus item neruorum conjugijs, altero molliore dignoscendis saporibus destinato, altero duriore motui subserviente intexitur. Residet autem facultas gustativa præsertim in cuspidi linguae, vbi molliores existunt nervi ad sapores percipiendos magis idonei, diffunditur etiam illa facultas per totam linguam & totum palatum quia ibi sunt nervi gustatorij diffusi : actu vero huiusmodi sensus est actualis perceptio saporum qui ut eius obiectum sunt, solent definiri, qualitas humida & siccagustum afficiens. Ita Arist. cap. 4. de sensu & sensili, vnde gustus differt à tactu. Primo ratione obiecti, quod omne gustabile sit quidem tangibile sed non est contra ; Secundo ratione subiecti quia ubicumque gustus est ibi quidem tactus, at non est contra vnde, tactus vniuersa-

lior est gustu. Species saporis sunt, dulce, amarum, salsum, acutum, de quibus vide Valegium lib. 4. simplicium & ceteros medicos qui de ijs agunt ex professo.

Quod spectat ad tactum, scribunt aliqui organum huius sensus esse in nervis per totum corpus diffusum: Fernelius vero lib. 5. Physiologiae non nervos per se sentire docet, sed ratione duarum tunicarum quibus vestiuntur: at alij carnem ipsam quatenus cutim, membranas, arterias, venas nervos & alia id genus complectitur sedem esse tactus per se contendunt: probabilius tamen arbitror omnes & singulas viuentis partes esse huiusmodi sensus domicilium. Ibi enim sensus hic residet ubi fiunt eius operationes; fiunt autem in omnibus & singulis viuentis partibus, ergo in singulis viuentis partibus residet tactus. Nec valet eorum ratio qui dicunt cutem aut carnem non esse organum, sed nervos aut partes internas, quod caro & cutis sint tantum medium quo sit tactus: haec enim ratio nulla est, quia hic sensus nullum habet medium, firme sensatio sensibili supra sensum posito. Ratio autem cur partes omnes animatae sint sedes tactus, haec est, quia partes omnes sentiunt dolorem ac quatuor primas qualitates percipiunt quae sunt proprium obiectus tactus, ut patet de corde, iecore, cerebro, & alijs. Eius actus est actualis perceptio primarum qualitatum, aut doloris; licet dicant aliqui dolorem non spectare ad sensum tactus, sed ad appetitum sensituum, dico enim tactum esse quasi causam doloris, sed haec dicta sufficiant melius de ijs, in tractatu de passionibus animi in Morali Philosophia. Qui sint sensus interni videamus.

I i s 2 2



## QVÆSTIO VI.

*De sensibus internis, imaginatione, Phantasia  
æstimatiua potentia & sensu communi.*

**Q**VINQUE sensus internos posuit Avicenna nempe, sensum communem, imaginationem, æstimatiuam potentiam, phantasiam & memoriam sensitivam. Sensu autem communi docent Philosophi percipi obiecta sensuum externorum quatenus præsentia sunt, & actu ab illis percipiuntur. Vnde, sensus communis est discernere visum ab auditu, gustum à tactu, eorumque species tradere imaginationi cuius officium est eas species retinere & ijs medijs, propria attingere obiecta ut absentia sensibus externis: æstimatiuâ verò potentia aiunt percipi non res sensu externo perceptas, sed sub conceptu conuenientiæ, aut disconuenientiæ naturæ animalis, ut dum iudicat lupum esse inimicum agno. Vnde sensibus externis nempè oculo percipitur lupus, ex oculo transit species lupi in sensum internum communem, ex illo sensu in imaginationem, semper sub speciem lupi: at imaginatio illum lupum iudicat esse hostem, & sub tali specie repræsentat illum appetitui sensitivo, & hic appetitus fugit, renuit, dolet. Memoriam sensitivam putant aliqui esse specierum sensibilium conseruarricem, quatenus illas suppeditat imaginationi ut iterum eas res quarum sunt species intelligat: sed probabilius est memoriam hanc non differre ab æstimatiua potentia, phantasia & imaginatione: quandoquidem recordari alicuius rei nihil est aliud quam eamdem rem prius cognitam iterum atque iterum intelligere. Alij verò tres tantum ponunt sensus internos, sensum communem, imaginationem & memoriam, & hanc sequi-

tur opinionem Toletus quæst. 6. probat autem hoc modo , numerus sensuum internorum ponendus est, pro numero organorum : atqui tria sunt tantum organa, ergo tres tantum sunt sensus. Probat minorem, cerebrum inquit diuiditur in tres partes , anteriorem medium & posteriorem,in anteriori est sensus in communi, imaginatio in media, memoria verò in posteriori.Ratio videtur fauere,nam sensus communis percipit obiecta prout subiacent sensibus externis , id que immediatè , ergo debet sensibus externis proximior esse : imaginatio verò post sensum communem operatur , ac demùm memoria , ergo in parte anteriorij cerebri residet sensus communis , in parte media imaginatio , in postrema verò memoria. Hic quidem discursus plurimum placet , sed tamen non inde sequitur rem esse ut ille doctor cœset Sensus enim huiusmodi non sunt realiter inter se distincti : cum tamen existimem esse tantum unicum per totum cerebrum diffusum qui propter variam temperiem aut dispositionem organi diuersimodè operatur.Nam eadem potentia externa potest idem percipere obiectum licet vario modo affectum , ut sit euidentis in visu , qui rerum omnium configurationes percipit, triangularem scilicet quadrangularem, rotunditatem & alias omnino figuras exteriores : ergo , & sensus internus idem erit,licet idem obiectum vario attingat modo : ita ut dicatur sensus communis prout res simpliciter repræsentatas spectat , dijudicatque de differentia quæ est inter visum, auditum , & cæteros sensus externos.Dicitur enim sensus communis quod omnibus sensibus externis quasi subseruat in distinguendis eorum obiectis & operationibus. Non enim oculus iudicat se distingui ab auditu ; aut auditus se differre ab odoratu & sic de cæteris. Sed sicut tota facultas visuua ad percipiendum visibile ; auditiva ad audibile : & cæteri sensus circa suum proprium obiectum tantum occupantur. Dum autem experimur nos , discernere visum ab auditu , odoratum à gustu : & gustum à tactu , hoc sit per sensum com-

munem & dicitur communis, quod communis sit ijs, quinque sensibus externis. Eadem facultas interna quæ sensus communis dicitur prout spectat obiecta sensuum extenorū praesentia, imaginatio solet dici prout eadem obiecta attendit ut absentia, phantasia, aestimatiua verò potentia quatenus eadem obiecta nobis conuenire, vel disconuenire iudicat: hæ autem differentiæ, seu ij varij modi operandi non arguunt diuersitatem potentiarum, sed unicam tantum qua propter sui nobilitatem idem obiectum vario modo attingat. Memoriam verò sensitivam dicimus esse cumdem sensum prout iterum idem obiectum spectat quia recordari alicuius rei nihil est aliud quam illud iterum atque iterum percipere. Nec obstat quod secundum vulgarem modum loquendi, hic sensus per totum cerebrum diffusus, sensus communis dicatur prout in parte anteriori residet, imaginatio verò & aestimatiua potentia prout in media: & memoria sensitiva quatenus in posteriore parte cerebri collocatur, nam ille modus loquendi est valde consonus menti imperitorum.

**A**N verò in hac parte sensitiva sit aliquid rationis id videtur multum difficile explicatu. Est enim multiplex ratio pro parte affirmatiua, sed præualet negatiua. Pars affirmans potest hoc modo stabiliri, omnis prudentia innititur ratione, definitur enim prudentia *recta ratio agibilium*: est autem aliqua species prudentiæ in brutis, ergo aliqua species ratiocinationis. Minor probatur, nam singulæ aues sibi nidos construunt, cibos parant, natos nutritiunt, & similia agunt quæ prudentiam redolent humanam: ergo, in illis est species prudentiæ. Secundò, quæcunque sunt capacia disciplinæ, ratione prædicta sunt, quia omnis disciplina incipit ratione, perficitur ratione; sunt autem quædam bruta animalia capacia disciplinæ, ut aues quæ canitus ediscunt, canes, & equi qui artem saltatricem videntur emulari, ergo, aliqua ratio sit in brutis oportet. Tertiò, opera ipsorum animalium rationem videntur indicare, medium in finem ordinant, futura

prænunciant, aues, aduersa fugiunt, commoda prosequuntur, & quod sibi bonum est quadam prævia cognitione appetunt, ergo, in illis sit aliqua species rationis neceſſe est.

AD 1. Respondeo duplicem esse prudentiam, naturalem & artificialem, hæc acquisita est, illa ingenita à naturâ: sed artificiosa est directua naturæ & adiutrix, utriusque autem effectus est media eligere apta ad finem, ex prævia cognitione finis & mediorum: at bruta nec finem cognoscunt, nec media in ratione finis & medij, nec media ordinant ad finem formaliter; sed instinctu quodam naturali aut solo ductu naturæ cæcæ, media se se vltro offerentia sumunt, & sic ad finem perueniunt: vndē ille instinctus est quidem umbra, seu aliqua effigies & similitudo rationis, aliqua species prudentiae, sed neque vera prudentia est, neque vera ratio. Ad secundum dico, bruta posse quidem assuefactione aliquid ediscere quod disciplinæ speciem referat & adumbrationem, sed non per propriam disciplinam quæ nitatur ratione. Tertium tantum arguit autorem naturæ omnibus suis creaturis vim motiuam indidisse quâ possit quæuis res in proprium finem ferri naturali impulsu. Quare.

DICENDVM est, bruta animalia neque ipsum hominem secluso intellectu posse per solam imaginacionem aut sensum communem differere, vnum ex alio inferre, eligere media quæ ducunt ad finem & alia id genus obire quæ ad rationem spectant. Ratio in promptu est, quia omnis electio, importat iudicium, omnisque ratiocinatio innititur principio aliquo vniuersali, sine quo impossibile est vnum ex alio inferre. Non enim infertur particulare de particulari: sed vel vniuersale de vniuersali, vt, omne rationale est admirativum; ergo omnis homo est admirativus quia est rationalis: vel particulare de vniuersali, vt si dicam, omnis homo est rationalis; Petrus est homo, ergo Petrus est rationalis, iuxta illud Aristotelis principium dici de omni dici de nullo. Vndē, quando singulare ex singulati infertur nullâ habitâ ratione de

vniuersali, verus discursus non est, sed imperfectus, vel nullus. Ratio est quia omnis discursus verus, vel est à priori, vel à posteriori *hoc est* de proprietatibus per essentiam, vel è contra: essentia autem & proprietates non sunt singulares sed vniuersales: solus autem intellectus naturas abstrahit à singularibus, eaque disponit in syllogismum, quod sanè nequit cadere in imaginationem aut sensum communem.

Est quidem certissimum, imaginationem & sensum communem, hominis perfectiorem esse in operatione, sensu communi & imaginatione brutorum, licet eiusdem sit perfectionis cum bruto, quia ab eodem genere animalis proueniunt. Est enim imaginatio & sensus communis facultas animæ sensitiæ.

Hunc spectat agere de insomnis, somno, & vigilia. Definitur autem vigilia, omnium sensuum externatum aut saltem aliquorum solutio & libertas; somnus vero ligatio omnium sensuum ad animalium quietem & salutem instituta: in somnia definiuntur actualis perceptio obiectorum externorum absentium per imaginationem aut estimatiuam potentiam elicita. Contingit autem somnus cum illa cerebri pars ex qua veluti ex fonte solent spiritus animales ad externos sensus per nervos sensorios deriuari, obruitur per vapores qui è ventriculo stomachi sursum eleuantur. Vigilia vero fit dum vapores nulli è ventriculo stomachi in cerebrum ascendunt. Insomnia varia sunt, alia quidem naturalia quæ ex proprio impetu naturæ excitantur iuxta temperiem cuiusque animalis. Vnde melancholici tristia somniant: Cholerici rixas & iuria. Alia sunt moralia quæ ex vario affectu morum oriuntur, ut dum auari de diuitijs somniant, ambitionis de honoribus & sic de cæteris. Et hæ quidem sunt causæ internæ somniorum. Externæ causæ sunt aliquando Deus. Angeli, Cacodemon immittendo species intelligibiles, vel excitando temperiem humorum corporis; quo fit ut ex ventriculo stomachi in imaginationem eleuentur vapores, quorum concursu species rerum sensibilium excitantur ex quibus fiunt

DE ANIMA SENSITIVA. 505  
somnia. Sed hæc de sensibus internis & externis, ipsa-  
que anima sensitiva, ad rationalem progrediamur.



## DISPVTATIO QVARTA.

---

DE ANIMA RATIONALI.



XPOSITIS quæ ad ani-  
mam vegetantem, & sentien-  
tem spectant, superest ut de  
Rationali dicamus. Primò  
quidem an sit substantia cor-  
porea vel spiritualis, & im-  
mortalis: secundò, an fiat ex  
semine, & an omnes sint æqua-  
lis perfectionis: Tertiò, quo  
sint illius facultates quid intellectus, quid voluntas,  
quid memoria, & quid earum obiecta.

## QVÆSTIO I.

*An anima rationalis sit substantia corporea,  
vel incorporea, & immortalis.*

**T**RIA proponuntur in hac quæstione quæ sese  
mutuò supponunt, an scilicet anima nostra sit  
corporea, ut cæteræ animæ plantarum & animalium  
brutorum; vel incorporea & merè spiritualis, & con-  
sequenter immortalis. Quod ad primum attinet, non  
defuerunt antiqui Philosophi qui putauerint eam  
esse mortalem & corpoream, & sibi persuaserunt hoc  
modo, Anima hominis conuenit in genere animæ  
cum cæteris animabus, nec ab illis differt nisi pe-  
nè differentiam rationalitatis: atqui rationalitas est  
corporea ut genus animæ: ergo, anima nostra & se-  
cundum genus, & secundum differentiam est corpo-  
rea, & consequenter secundum se totam, quia tota fit  
ex genere & differentia. Quod autem genericè sum-  
pta sit corporea, patet; nam participat idem genus cum  
cæteris animabus: atqui cæteræ animæ genericè  
sumptæ sunt corporeæ, ergo, & rationalis. Quod ve-  
rò & specificè sit corporea, ostendunt, genus & dif-  
ferentia non differunt nisi ratione, & sunt Physicæ idem,  
ergo, si genus sit Physicæ corporeum ita & differentia.  
Secundò, cuius generis entis est genus, eiusdem ge-  
neris entis est differentia, quia ordinantur ad idem  
totum: & si essent diuersi generis entis, non possent  
constituere idem totum, nisi illud esset ens per ac-  
cidentem, quia fieret ex partibus diuersi generis. Atqui  
totum quod fit ex genere animæ, & ex differentia ra-  
tionalitatis est ens per se, ergo, genus & differentia  
debent esse eiusdem generis entis, & consequenter  
quemadmodum anima in genere, est corporea, ita &

in specie & sic anima rationalis erit corpora proindeque mortalis.

**D I C E N D V M** est tamen neque corpoream, neque mortalem esse, sed incorpoream & immortalem. Prima pars probatur, nam est tota in toto, & tota in qualibet corporis parte, ergo est incorpore. Stat sequela, nam incorporeum & spirituale sunt idem : quod autem est spirituale, est totum in toto, & totum in qualibet parte, ergo & anima nostra. Confirmatur, nam ideo vox mea est simul in pluribus auribus quia induit aliquam spiritualitatem : ideo natura vniuersalis est tota in singulis individuis, quia per sui abstractiōnem induit aliquam spiritualitatem, sacratissimum corpus Christi in sacramento venerabili est totum in tota hostia, & totum in singulis eius partibus, quia induit spiritualitatem : atqui anima nostra est spiritualis, ergo est incorporea. Nec refert quod vniatur corpori, quia cum virtute contineat ceteras animas, vegetantem & sentientem, continet etiam virtute quidquid continetur in illis, nempe unionem sui cum corpore, quae licet sit corporea, non arguit tamen animae diuisibilitatem. Unde anima est indiuisibilis entitatiuē, diuisibilis vnitiuē.

**D I C E N D V M**, secundò, animam rationalem esse prorsus immortalem. Aristoteles lib. 2. Met. textu 39. videtur innuere esse morti obnoxiam, dum ibi, soli Deo tribuit perpetuam felicitatem, nobis autem limitatem quoad durationem : ergo sentit animam nostram esse mortalem. Deinde tertio Æthy. cap. 6. scribit virum fortē in mortis periculo timere ; quia ultimum terribilium mors est, & mortuo nihil boni aut mali posse accidere, ergo, putat animam nostram esse mortalem. Iterum lib. 1. de anima docet animam nihil posse intelligere nisi media imaginatione : nequit autē uti imaginatione nisi sit unita corpori, ergo nequit separati existere à corpore, vel separata nihil intelliget quia, deerit imaginatio. Præterea, ex mente Aristotelis mundus est ab æterno, ergo si animæ sint immortales, modò existunt infinitæ numero ani-

mæ à corporibus separatae ; atqui infinitum actu repugnat Aristoteli, ergo , etiam repugnat illi animam nostram esse immoralem. Rursus lib. 2. Met. arguit Platonem quòd posuerit ideas separatas quia otiosæ essent : atqui anima otiosa esset item separata cùm non sit potior ratio de ideis quàm de anima, ergo admitti non debet separata à corpore. Sed contra ad primum, loquitur Aristoteles de fœlicitate hominis non solius animæ. Putauit enim hominem non resurrecturum sed eius animam perpetuò duratram : Ad. 2. dico virum fortē timere non quòd eius anima sit peritura , sed propter solutionem illius à corpore. Ad. 3. dico , Philosophum voluisse tantum nihil deriuari in intellectum nisi media imaginatione quod fatemur & nos , sed indè non sequitur nihil intelligere in statu separationis , quia in illa remanent species intelligibiles rerum. Ad. 4. voluit Aristoteles non dari infinitū actu in rebus corruptilibus propter appetitum materiae & concursum agentium naturalium , secus in separatis à materia , cuiusmodi est anima separata. Ex principijs item Philosophiae probatur, animam nostram esse mortalem, primò, quoru est idem ortus & progressus idem est finis : atqui hominum & brutorum idem est ortus & progressus quia fiunt generatione, & nutriuntur eisdem alimentis ergo idem finis : interitus autem est finis brutorum, ergo, & hominum. Sed contra , idem est ortus & interitus hominum & brutorum , quoad totum compositum, concedo: quoad partes compositi, nego. Totum enim fit in brutis & hominibus generatione, at forma brutorum fit educatione, forma verò hominis, creatione. Creationi autem respōdet annihilationo, educationi corruptio , & nūquam solet Deus annihilare quod semel creavit. Atque ita est exponenda scriptura Ecclesiaste. 3. hominum & brutorum similis est interitus, & aqua vtrorumque conditio. Secundò , principium respondeat fini. & è contra , ergo, quæ fiunt ex subiecto , debent definere in subiectum: atqui anima rationalis fit ex subiecto , ergo , definat in subiectum necesse est.

Sed contra, concessō antecedente, negatur minor. Sunt enim quæ non fiunt ex subiecto, neque desinunt in subiectum, sed ex nihilo fiunt & tendunt ad nihil. Quare.

DICENDVM est, etiam ex mente Aristotelis animam nostram immortalem esse, libro enim. 2. de anima tex. 22. Intellectuum animam quid diuinum esse docet, ac à vegetante & sensitiua distingui, ut perpetuum à corruptibili. Et 10. Æthy. cap. 11. scribit quæ in hac vita accident parum conferre ad mortuorum beatitudinem, quia vel beati sunt, vel non beati, Putat igitur quosdam post mortem beatos esse, quosdam non esse. Sed ex principijs Philosophiæ stabilitur idem assertum. Est principium Philosophicum nihil operari extra sphæram propriæ actiuitatis, nequit igitur causa mortalitatis nisi effectum mortalem edere: neque singulare nisi singularia obiecta percipere: at qui anima nostra licet sit singularis, vniuersalia percipit, & effectum edit immortalem, quantum in se est, nempe appetitum immortalitatis: appetit enim unusquisque perpetuâ frui existentia, & nullus appetitus est frustrâ, sed omnis potest exire in actum, ergo ex principijs philosophicis anima nostra est immortalis. Secundò, infinita est capacitas illius appetitus cum nequeat in hac vita expleri: infinita etiā est capacitas intellectus humani, quod enim plura cognoscit, plura potest cognoscere, & quod plura appetit scire, plura potest appetere, quia potest infinitum cognoscere & quæcunque possibilia sunt appetere: numquā tamen explebitur eius appetitus donec fruatur summo ente quod comprehendit omne ens, & omne bonum. Quia quoctunque creato assignato manet aliud, & aliud atque aliud in infinitum, appetendum: cum igitur nequeat illo summo ente perfaci immediatè in hac vita, dari debet alia vita in qua illô perficietur. Tertiò, intellectus noster habet pro obiecto omne ens corporatum & incorporeum, potestque vtrumque illud perfectè comprehendere distinctè ( cum debeat esse propria inter obiectum est potentiam: hoc est, potentia

â posse id omne clarè percipere quod in obiecto est,  
& eo modo quo est ) atqui nequit in hac vita distin-  
ctè comprehendere res spirituales & eo modo quo  
sunt, sed per species alienas & emendicatas à sensibus,  
ergo dictat ratio dari alium statum post obitum , in  
quo distinctè percipiet. Præterea , obiectum immate-  
riale responderet potentiae immateriali, intellectus igitur  
est immaterialis : quidquid autem est immaterialis,  
est independens à materia, & quidquid independet  
à materia est incorruptibile, ergo, intellectus noster  
est incorruptibilis , & consequenter anima humana.  
Sed ex fide constat animam rationalem immortalem  
esse ut non sit opus vltierius id probare ( Credimus  
enim vitam futuri seculi ) & illam animam fieri crea-  
tione, non generatione , nec extingui interitu, sed su-  
perstitem remanere post corporis dissolutionem , vbi  
benè aut malè habeat, pro bono aut malo qnod ege-  
rit in corpore , sed an fiat creatione vel eductione è  
materiâ, videamus.

## QVÆSTIO II.

*An anima rationalis fiat ex semine.*

**A**DVERTENDVM est, r. quatuor modis posse ani-  
mæ nostræ productionem spectari. Primò qui-  
dem hoc sensu, vt productæ fuerint omnes animæ ra-  
tionales simul & semel in ipso initio temporis separa-  
tum à corpore ; deindè fuisse corporibus vnitas pro-  
pter peccata quæ extra corpus commiserant : & hic  
fuit error Platonis & Origenis. Secundò, eo sensu, vt  
ab æterno productæ fuerint in singulis corporibus, in  
tempore autem migrauerint de corpore in corpus , &  
hæc fuit opinio Pythagoræ , & fermè omnium Ægi-  
ptiorum. Tertiò, hoc sensu vt non antecesserint cor-  
pora, sed simul cum illis fuerint productæ , non qui-

dem à Deo , neque à virtute seminali , sed ab Angelo omnium infimo. Putabant enim antiqui , Angelorum supremum, alium se inferiorem produxisse , & hunc alium se inferiorem , vsque ad infimum qui produxit omnes animas rationales. Et hæc fuit Chymera Auicennæ. Sed fortè per Angelum supremum intelligit ipsum Deum : errat tamen in ceteris. Quartò , eensent alij ex antiquis animas rationales à parentibus produci; hoc quidem sensu , vt corpus à corpore fiat , anima verò ab anima parentum , per virtutem seminalim , & ita dicunt animam nostram fieri per traducem : & hæc fuit error Tertulliani. His prænotatis queritur quid sentiendum sit de animæ nostræ productione.

DICENDVM est cum Aristotele , animam non prætedere corpus , nec fieri virtute seminali in ipso corpore , sed aliundè venire. Primum probat Philosophus 9. Met. vbi ait omnem actum perfectuum , esse posteriorem potentiam: atqui anima est actus corporis , ergo , posterior est corpore. Præterea , 2. de anima illam definit *actum corporis organici*. Secundum statuit , 2. de generatione animalium , vbi quum proposuisset quæstionem , an omnis anima producatur virtute seminali tandem concludit omnes produci ex semine præter intellectuam quæ de foris aduenit. Tertium verò patet , nam si anima nostra non sit ex semine , sed de foris adueniat , ergo aliundè , quam à parentibus ; nihil autem potest assignari præter solum Deum , ergo solus Deus illi dat esse & existere. Sed probatur ratio ne , nullum est agens quod operetur suprà suas vires , est autem suprà vires omnis agentis naturalis agere independenter à materia , & anima rationalis nequit fieri ex materia , ergo neque ab agente naturali. Maior est certa probatur minor , operari sequitur esse & modus operandi , modum esse adi : atqui anima nostra operatur independenter ab omni materia , quia intelligit , vult , recordatur ; & memoria , voluntas & intellectus non sunt facultates materiae , vt sensus communis imaginatio , & sensus externi , ergo operatur independenter à materia , & conse-

512 PHYSICA TOLOSANA,  
quenter in suo fieri, esse & conseruari est independens  
à materia. Confirmatur, nam anima nostra dicitur in-  
tellectua, ergo & spiritualis : quidquid autem spiri-  
tuale est, independet à materia, quæ est radix omnis  
corporeitatis. Deinde, omnis actio agentis naturalis  
est corporea : ergo & ea quâ fieret anima nostra, atqui  
actio qua fit anima nostra nequit esse corporea, cùm  
omnis actio specificetur à termino & identificetur  
cum illo, induitque eius naturam : & terminus ille est  
anima quæ purè spiritualis est : ergo actio qua fit de-  
bet esse incorporea, & sic nequit fieri ab ullo agente  
naturali.

ALIA ratione probat Toletus trat. de anima ratio-  
nali q. 17. concl. 2. ratione 3. sed quæ mihi videtur esse  
falsa. Ait enim, omnis forma fit eadem actione quâ fit  
totum, ergo destruitur ad destructionem totius : ergo  
si anima rationalis fiat ab agente naturali fiet eadem  
actione qua fit totum & sic nequit existere extra to-  
tum : atqui est de fide quòd existat extra totum, ergo  
fit ab alio agente, quam totum : fit autem totum ab  
agente naturali, ergo anima fit ab alio. Sed hæc  
ratio nulla est, quia supponit falsum, nempè, ea-  
dem actione fieri formam, quâ fit totum, cùm  
tamen forma fiat eductione, totum vero vntione  
partium. Et licet id verum esset, si eadem actione  
quâ fit totum fiat & forma, non video animam  
nostram non fieri ab agente naturali si totum  
compositum fiat ab agente naturali, quia anima  
nostra est vera forma : Deinde, ratione 2. eius-  
dem conclusionis ait idem esse actionem & termi-  
num eius, ergo si eadem fiat actione forma quâ  
fit totum, idem est forma ac totum & consequen-  
ter anima erit idem cum materia, quia materia est  
aliquid totius : vel si forma, seu anima non sit idem  
cum materia, sola forma est totum, quod plusquam  
absurdum est.

DICENDVM est igitur, animam nostram alia  
fieri actione, à toto, nempè creatione : totum verò  
generatione. Vnde, Deus animam creat ex nihilo, ge-  
nerans

nerans verò illam vnit corpori organico; & sic anima nostra ex semine non fit, sed aliundè venit. Quod spectat ad opinionem Auicennæ de productione animæ ab Angelis, chymerica est & potest ratione hac probari. Nō enim fieret ab illis in materia cùm agentia naturalia id possint efficere, & conformius est vt simile sibi simile producat: nec extra materiam siquidem nulli creaturæ conuenit ita operari, vt ostensum fuit disputatione de creatione mundi in lib. de Cœlo. Ex quibus cōstat animam fieri per creationem à solo Deo cui omnia creabilia subiiciuntur. Quæres, quo tempore fiant animæ rationales. Respondeo, non fieri ante productionem corporis, neque simul cum corpore, sed in instanti quo introducitur ultimum indiuisibile terminatum dispositionum necessiarum ad animæ vniōnem cum corpore. Non fit inquam anima ante productionem corporis ne dicatur existere antequam vniatur, nec fit quo tempore fit corpus, ne dicatur fieri per partes sui priores & posteriores cum sit indiuisibilis, sed statim atque est ultimò dispositum corpus, nè corpus ultimò dispositum sit sine sua forma. Fit tamen anima in ipso corpore, non verò extra corpus, nè debeat moueri de loco in locum antequam vniatur: & tamen non fit in corpore concurrente ad eius productionem, sed ad mutuam eius vniōnem, si quidem nequit forma vñiri corpori nisi concurrente corpore, & è contra. Sed hæc de animæ nostræ procreatione & vniōne sui cùm corpore. An omnes animæ Rationales sint inter se æqualis vel inæqualis perfectionis, videamus,

## QVÆSTIO III.

*Utrum omnes animæ Rationales sint aequalis vel  
inequalis perfectionis.*

**V**T res tanti momenti intelligatur, prius obseruandum est, triplicem esse animæ nostræ perfectionem: *nempè* essentiale, propriam seu congenitam, & accidentalem. Prima sicut in sua essentia, secunda in suis facultatibus, tertia in habitibus scientiarum, virtutum, & artium. Tractant autem aliqui hanc quæstionem in confuso, nec huiusmodi perfectionis gradus distingunt, sed ad pulchritudinem corporis reuocant totam animæ perfectionem. Aiunt enim animam rationalem absolutè sumptam in se, esse perfectiorem in vno homine, quam in alio, non ratione sui, sed ratione corporis, maiorem vel minorem perfectionem habentis. Suam hanc opinionem extrahunt ex Aristotele lib. 2. de generatione vbi scribit formam perfectiorem, materiam expetere, perfectiorem propter mutuam inter se proportionem. Sed contra, vult Aristoteles tantum eo loci ut nobilior forma postulet perfectiores dispositiones in materia, vnde, ex eius mente forma non est nobilior, quia in nobiliori est materia: sed ideo nobiliores sunt dispositiones in materia, quia in eam debet introduci nobilior forma: & cum anima sit formarum omnium nobilissima, hinc sit ut perfectiores postulet dispositiones in materia *nempè* organa & temperiem quatuor primarum qualitatum in tali gradu, ut possit esse apta dispositio ad sanitatem, & ad vitam. Aiunt 2. ex varijs operationibus dignoscitur varietas animarum: atque variæ & perfectiores sunt operationes in vno homine, quam in alio, ergo perfectior est anima in vno quam in alio. Sed contra, perfectior operatio arguit

perfectiorem dispositionem organorum, vel nobiliorē educationem, vel etiam possessionem variorum habituum, qui iuvant potentiam, concedo: perfectior operatio arguit simpliciter perfectiorem essentiam animæ, nego. Arguunt 3. si omnes animæ sunt æqualis perfectionis essentialis, quando separatae erunt nulla erit inter illas distinctio: hoc autem est absurdum, ergo & illud. Sed contra, nulla erit distinctio quoad essentialia, concedo: quoad accidentalia, nego. Vna enim perfruetur summo bono, iuxta opera bona huius vitæ: altera vero cruciabitur æternum propter peccata. Ultimò aiunt, anima Diuī Petri est perfectior animâ Iudæ, ergo vna est alterâ perfectior essentialiter. Distinguo, est perfectior quoad accidentia, concedo: quoad essentialia, nego. In hunc tamen errorrem videtur incidisse Caietanus 1. parte q. 85. art. 7. sed illum, hac in parte deserunt omnes Catholici, Quare.

DICENDVM est, omnes animas rationales æqualis esse perfectionis inter se, quoad essentiam & proprietates; inæqualis verò quoad accidentia communia, & habitus scientiarum, virtutum, & Artium. Prima pars patet, nam tot sunt gradus essentiales in vna atque in alia; & præterea illi gradus essentiales sicut in indiuisibili: quidquid autem indiuisibile est, vbi cumque est, ibi secundum se totum est, ergo omnes animæ rationales vbi cumque sint, ibi æqualis perfectionis essentialis sint, oportet. Tot autem esse gradus essentiales in vna anima, quot sunt in alia, probatur, nam in anima nostra sunt tantum gradus substantiæ, gradus spiritualitatis, gradus viuentis, gradus sensibilitatis & gradus rationalitatis, cum differentia individuali: atqui omnes illi gradus reperiuntur in singulis animabus: nec vna est quæ plures aut pauciores habeat, ergo tot sunt in vna, quot sunt in altera. Quod verò illi gradus sint in indiuisibili patet, nám ex Aristotele substantia non suscipit magis, aut minus, ergo vbi cumque illi gradus sunt, ibi, æqualis perfectionis essentiales sint necesse est, quia participant rationem substantiæ.

tiæ. Facultates verò animæ esse etiam æqualis perfectionis in singulis animabus , liquet, nàm , profluunt necessariò ab essentiâ animæ , ergo tantum fluunt quantum possunt fluere: atqui nequeunt magis fluere ab una quam ab altera , ergo æqualiter fluunt, & sic æqualis sunt perfectionis. Deinde , facultates sunt mensura essentiæ, ergo pro nobilitate essentiæ est ponenda nobilitas proprietatum: si igitur sint duo æqualis perfectionis essentialis , ut sunt duæ animæ rationales, ibi erunt facultates æqualis perfectionis. Confirmatur , nam duo ignes in pari extensione materiae æqualem habent calorem : duo Soles eiusdem speciei æquale haberent lumen: ergo & duæ animæ rationales æquales habent facultates. Dices, è duobus hominibus, aliùs melius audit, clarius videt, ornatiùs loquitur, congruentiùs differit; ergo, vnum nobilioribus est præditus facultatibus animæ , quàm aliis , & sic falsa thesis. Respondeo, hoc non prouenire ex nobilioribus facultatibus animæ , sed vel ex maiori aduentitia, vel conatu: vel ex perfectiori dispositione organorum; vel ex aliquo alio superaddito organis, quod licet non appareat, non est tamen denegandum. Scimus enim rerum essentias esse instar numerorum quibus nihil addi, aut detrahi potest & pro eisdem essentijs , easdem esse ponendas facultates ; vt dixi suprà. Proprietates fluunt necessariò ab essentijs, non ad libitum essentiæ, & sic quæ sunt eiusdem speciei easdem habent proprietates & in æquali gradu perfectionis, hac de re nequit esse dubium.

QVOD spectat ad secundam partem conclusionis, nempe vnam animam rationalem esse perfectiorem aliâ quoâd accidentia communia , & habitus virtutum, scientiarum, & artium, id patet, nàm plura sunt accidentia in anima Petri quæ non sunt in anima Ioannis, aut è contra. Plura in anima Aristotelis quàm alterius hominis inferioris doctrinæ ; & plura in mente Logici, quàm alterius è plebe. Potest siquidem vnum & idem homo omnes simul scientias & artes possidere, quibus carebit aliis. Potest & alter om-

nibus abundare virtutibus moralibus & intellectualibus, quibus priuabitur alter. Nunquid sunt alij alijs doctiores; alij alijs prudentiores; alij alijs peritiores & sapientiores? Hę qualitates suscipiunt magis & minus proindēque & extensiū & intensiū possunt in quibusdā reperiri, & non in alijs, & consequenter anima vnius est perfectior aliā, quoad perfectionē accidentalem. Deindē, potest vnum & idem homo simul cum scientijs naturalibus possidere qualitates supernaturales, fidem, spem, charitatē, & cætera dona gratiæ, vt contingit D.D. Augustino, Grægorio, Ambrosio, Hyeronimo. &c. ergo, potest anima vnius esse perfectior animā alterius, quoad accidentia, vltimō, in domo patris nostri cœlestis mansiones plures sunt, in quibus animæ beatæ quædam, alijs sunt beatores, lucidiores, & quoad intēsionem beatitudinis essentialis, & quoad maiorem vel minorem beatitudinem accidentalem. Vnicuique redet Deus iuxta opera sua. Et vt id addam, nunquid animæ fœlices sunt perditis beatiores, lucidiores, præstantiores, secundum accidentia supernaturalia gloriae? Sed hæc satis ad facultates animæ nostræ progrediamur.

## QVÆSTIO IV.

*De intellectu, voluntate, & memoria.*

**T**RE sunt animæ nostræ facultates, intellectus, voluntas, memoria, de quibus singulis est agendum, vt totum hoc opus absoluatur. Et quidem primò an distinguantur inter se, & ab anima: 1. quod sit earum subiectum, & obiectum. Satis superque videtur esse ostensum supra, quæstione de distinctione facultatum, intellectum realiter distingui à voluntate, solā verò ratione à memoria, sed hic propriè est hac de re agendum. Intellectus est facultas

realiter distincta à voluntate, quod probo. Quæ habent diuersa obiecta, realiter differunt intellectus & voluntas sunt huiusmodi, ergo differunt realiter. Probatur minor, obiectum intellectus est verum; obiectum voluntatis bonum; at verum & bonum differunt, ergo & illæ facultates. Stat sequela, nàm si essent vna & eadem facultas, & idem obiectum: ita vt verum esset idem cum bono, codem modo se haberent ista duo circa illas facultates, atqui se habent diuersimodè, nàm verum possidetur ab intellectu, & non possidet intellectum: bonum è contra possidet voluntatem: & non possidetur à voluntate, ergo diuersimodè se habent. Id patet, nàm in moralibus beatitudo ponitur in actu intellectus non voluntatis: quia intellectus per claram Dei visionem fruitur Deo, seu possidet Deum: adeo vt videatur ad se illum attrahere. Deus verò ad se attrahit voluntatem nostram, illamque possidet: est enim intellectus ad se attrahere obiectum: voluntatis verò est attrahi ab obiecto. Deinde, quæ se habent per prius & per posterius tempore, realiter differunt, intellectus & voluntas se habent hoc modo, nequit enim agere voluntas quin præcesserit actus intellectus, siquidem non fertur voluntas ad incognitum. Iterum intellectus est facultas oculata cùm sit oculus mentis; voluntas verò est cæca quia nihil videt ex se sed indiget fasce intellectus: ergo, diuersæ facultates sunt. Præterea, actus illarum facultatum sunt omnino diuersi, velle enim non est intelligere, nec è contra, ergo differunt. An verò intellectus sit perfectior voluntate, id examinandum.

SCRIBVNT aliqui voluntatem esse perfectiorem intellectu, hoc modo, voluntas est formaliter libera, proprium subiectum Charitatis, principium immediatum omnium bonorum operum: pars illa hominis quam sibi Deus præcipue adscribit: domina intellectus & aliarum facultatum, memorie phantasie, sensus communis: siquidem ad nutum voluntatis operantur: intellectus verò subiectus imperio voluntatis, est eius minister: rerum obiecta inuestigat ut ea pro-

ponat voluntati , ergo voluntas est nobilior intellectu. Sed contra , clara Dei visio est omnium operacionum supernaturalium perfectissima, ergo à perfectissima oritur facultate , oritur autem ab intellectu, ergo intellectus est perfectior voluntate. Vrget Scotus, Beatitudo non sif sit in clara Dei visione sed in actu amoris quo supernaturaliter Deum diligimus super omnia; ille autem actus est à voluntate, ergo voluntas est perfectior intellectu. Sed contra, beatitudinis proprietas est actus ille amoris, concedo, est essentia beatitudinis, nego: hæc enim essentia beatitudinis nostræ tota imbibitur in solo actu intellectus quō intuemur Deum vti in se est , secundum omnes suas perfectiones relatuas & absolutas.

Quod spectat ad distinctionem intellectus à memoria dicunt aliqui differre realiter, hac ratione, intelligere & recordari non sunt idem , ergo intellectus non est idem cum memoria. Stat sequela, nam diuersi actus arguunt diuersas facultates, probant antecedēs, intelligere est rem præsentem attingere : recordari verò est versari circa rem præteritam , ergo quemadmodum res præterita differt à re præsenti: ita memoria differt ab intellectu. Sed contra , res præterita differt à seipsa præsente, quoad modum essendi in tempore concedo : differt à seipsa secundum suam essentiam, nego. Eadem enim res quæ modo intelligitur, poterit esse alias obiectum recordationis, & sic intellectus & memoria possunt versari circa eandem rem, sub diuersis temporibus, quare.

DICENDVM est , intellectum non distingui à memoria nisi quoad modum. Ratio est, quia recordari alicuius rei nihil est aliud quam eandem rem iterum intelligere: recordatio enim est eorum quæ antea intelleximus. Vndè tantum scimus, quantum memoriam retinemus. Expositâ igitur distinctione trium facultatum animæ nostræ, excutiendum venit quid & quotuplex sit intellectus: quid & quotuplex sit voluntas.

INTELLECTVS noster licet unicus sit in re, duplificem tamen sortitur appellationem. Dicitur enim

agens quatenus rerum species abstrahit à phantasiâ, easque in seipsum immittit : possibilis verò dicitur quatenus easdem species in seipso recipit, & per eas operatur. Dicunt enim omnes Philosophi res ipsas exteriores per se cadere in sensus externos, *nempe* visibiles in oculos, audibles in aures & sic de cæteris: ex sensibus verò externis in sensum internum communem deriuari, ex sensu communi in phantasiam, ibique aliquatenus expoliari ab omni crassitudine materiae, ut possint in intellectum transmitti. Verum quia intellectus est potentia purè spiritualis illæ verò species purè corporeæ, nec possunt res corporeæ, recipi in spiritualibus, nec res spirituales recipere in se res corporeas, quod debeat esse proportio inter recipiens & receptum; vel inter subiectum, & subiectum, docent Philosophi intellectum quadam subordinatione abstrahere ex phantasia rerum, sensibilem species, easque reddere omnino immateriales & spirituales, & in tali statu easdem recipere in se. Dum autem illas abstrahit dicitur intellectus agens: dum verò eas recipit in se & per eas operatur, dicitur possibilis. Triplicem autem sortitur intellectus possibilis statum. Primus est, dum nihil habet eorum quæ intelligenda sunt, sed solam suam entitatem, & dicitur intellectus in potentia, seu ut vult Aristoteles est tabula rasa in qua nihil adhuc depictum est. Secundus status est cum rerum species intelligibiles habet, & dicitur intellectus in habitu. Tertius verò cum actu res intelligit, & dicitur intellectus in actu. Quæritur prius, an sit purè passivus in se spectatus, responderet Aristoteles affirmatiuè, quia nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu, ergo ex se nihil habet eorum quæ intelligenda sunt, sed per agentem illi debent communicari rerum species quibus res ipsas intelligat, vnde, neque seipsum potest intelligere ex se, sed per speciem alienam aliunde mutuatam, & sic indirectè tantum sese cognoscit; & possibilis dicitur quod potentia sit omnia, quia omnia potest intelligere; & omnia intelligere nihil est aliud quam

rerum omnium in se habere species, per quas quasi omnia fiat. Tunc enim aliquod subiectum dicitur fieri ignis quando in se concipit formam ignis: vel dicitur fieri album quando in se recipit albedinem: pariter intellectus fit omnia quando omnium rerum species recipit. Dicitur verò possibilis quia patitur in se fieri huiusmodi species: dum verò illas species habet dicitur esse in habitu quia habilitatem habet ut res ipsas percipiat; & quando actu intelligit, in actu est, id est, actu operatur.

**E**S T autem maximè aduertendum intellectum agentem per se primò, phantasmata illuminare, media verò tali illuminatione speciem phantasmatis in se producere nullo modo concurrente phantasiā. Vnde ex sensibus externis deriuantur species in sensum communem; ex sensu communi in imaginationem; ex imaginatione in phantasiā, à phantasia verò producitur phantasma seu species expressa obiecti, ex quo phantasmate intellectus abstrahit speciem immaterialiorem, quam in seipso recipit ut cum illa actualem eliciat intellectionem.

**E**S T autem obiectum intellectus omne intelligibile singulare & vniuersale, atque in hoc, sensus omnes superat, quod ipsi nequeant nisi singularia obiecta percipere, non verò vniuersalia. Ratio huius est quia solus intellectus reflectit se suprà se, naturas individuatas abstrahit, easdem inter se distinguit, & comparat cum individuis, quod nequit fieri ab ullo sensu. Nec dicas illum errare abstrahendo, siquidem ex Aristotele abstrahentium non est mendacium.

### VOLVNTAS.

**Q**UOD spectat ad voluntatem quæri solet hoc loco vtrum sit distincta facultas ab intellectu sitque cæca ex se, atque libera vtraque libertate, contradictionis scilicet & contrarietas. Deinde nūm diuidatur in appetitum concupisibilem & irascibilem Quoad primum, scribunt aliqui, sola ratione di-

122 PHYSICA TOLOSANA,  
stingui,& probant, facultates distinguntur penes obiecta, atqui idem est obiectum intellectus & voluntatis, ergo, idem sunt realiter intellectus & voluntas. Probant minorum, eadem res prout est obiectum intellectus, est vera prout bona obiectum voluntatis: atqui, verum & bonum reciprocantur, ergo, sunt idem obiectum. Sed contra, facultates distinguntur penes obiecta formalia, concedo: penes materialia, nego. Idem enim obiectum materiale potest attingi à diuersis scientijs & facultatibus iuxta diuersas formalites quas potest induere. Verum autem & bonum sunt diuersæ formalites & sic distingunt intellectum à voluntate. Sed, id ipsum suprà tetigimus, nihilominus.


DICENDVM est, voluntatem distingui realiter ab intellectu, proindeque esse in re duplicem facultatem. Probatur, nám diuersæ operationes & diuersi modi operandi arguunt diuersa principia à quibus oriuntur: sed diuersæ sunt operationes & diuersi modi operandi in intellectu & voluntate, ergo distinctæ sunt facultates. Stat minor, nam intellectio est operatio diuersa à volitione: vna enim tendit ad obiectum illud attrahendo ad se, alia vero patiendo se attrahi ab obiecto. Deinde potest operari intellectus, non operante voluntate; non è contra, quia voluntas non tendit in incognitum, sed in obiectum cognitum & sibi repræsentatum ab intellectu, ut omnes docent, quare.

DICENDVM est 2. voluntatem ex se esse cæcam, nee ullo modo posse operari nisi illi proposito obiecto ab intellectu, regaturque ab illo. Id patet siquidem non agit per viam cognitionis, sed per modum volitionis, ergo, obiectum non attingit cognoscitur, sed volitius idque, duce intellectu, & consequenter ducitur ab intellectu. Quæres quomodo id fiat. Respondeo, id fieri hoc modo, intellectus cuius natura est omnino destimata ad omnia intelligibilia percipienda, rerum essentias inquirit, perquirit, inuestigat & assequitur, dum semel quod inuestigabat reperit, illud ip-

sam ostendit voluntati sub ratione boni conuenientis naturae rationali, vel sub ratione mali disconuenientis eidem naturae. Voluntas libera est & indifferens, & ex se potest vnum amplecti, aliud respuere. Vnde fit ut ipsa non videat obiecta per se primò, sed illa prosequitur prout cognita ab intellectu.

Qvod attinet ad libertatem quæ essentialiter reperitur in voluntate; illam diuidunt Philosophi in libertatem contrarietatis & contradictionis, prima est indeterminatio ad actus contrarios, ut ad bonum & ad malum; secunda verò indeterminatio ad agendum, vel ad non agendum circa idem obiectum, vndè, hæc dicitur libertas exercitij & illi conuenit essentialiter.

Qvod spectat ad diuisiōnēm sui in appetitū concupisibilem & irascibilem, admittenda est illa diuisio. Dicitur autem appetitus quia quæcumque sunt, ad aliquem finem assequendum, ordinata sunt, ergo illum finem appetunt assequi, vel appetitu naturali, vel appetitu sensitivo, vel appetitu rationali, appetitus autem concupisibilis est ille quo appetimus bonum prout simpliciter bonum est, nobis conueniens. Irascibilis vero est ille quo conamur illud bonum adipisci licet sit arduum. Habet enim pro obiecto bonum arduum difficile acquisitu. Sed hæc de anima, plura in Morali vbi de passionibus animi, ad Metaphysicam progrediamur.



# DISPV TATIO QVINTA.

---

*IN METAPHYSICAM ARISTOTELIS.*



ICET ordine doctrinæ soleat hæc pars Philosophiæ in postremum locum adduci, est tamen naturâ suâ omnium prima cum agat de ente, omnibus Philosophiæ partibus communi. Dicitur autem Metaphysica prima Philosophia, sapientia, Theologia naturalis occurrit autem inuestigandum quid eius obiectum, quid & quotuplex sit ens, quæ eius proprietates, & qui eius modi, quod ut clarius innotescat, sit.

## Q V Æ S T I O . I.

*Quid sit Metaphysica & quodnam eius obiectum.*

**E**NUMERO scientiarum remouent aliqui Metaphysicam quod ipsa nec essentiam per proprietates: nec proprietates rei per essentiam speculetur; nec ab Aristotele enumeretur inter scientias. Scribit enim Philosophus lib. 5. Æthy. habitus intellectus esse quinque, sapientiam, intelligentiam, scientiam prudentiam & artem: & statim subdit sapientiam esse de rebus altissimis, seu de primis rerum causis, cuiusmodi est Metaphysica. Est igitur Metaphysica extra numerum scientiarum, cum scientia differat à sapientiâ, ut patet ex numero habituum intellectualium. Sed contra, Metaphysica est sapientia, concedo; sapientia non est scientia; distingo, non est vna ex scientijs infimis, concedo: non est scientia omnium suprema, nego. Vel hoc modo, Metaphysica non est scientia subalternata alijs scientijs, concedo: non est scientia sibi subalternans alias scientias, nego. Dicitur autem scientia omnium suprema quia eius obiectum, nempè *ens* superius est obiectis aliarum scientiarum. Est enim obiectum aliarum scientiarum aliquod *ens*, & sic participant obiectum Metaphysicæ; non possunt autem illud participare, nisi sumant illud à Metaphysica, & sic Metaphysica sibi subalternat alias scientias.

**Q**uo d autem Metaphysica non speculetur essentias per proprietates, nec proprietates per essentiam. Probant aduersarij, nâm rerum essentiæ sicut in specie infima, rerumque proprietates ex ipsa specie infima effluunt: atqui Metaphysica non speculatur species infimas, neque earum proprietates: ergo Metaphysica non est scientia. Sed contra, rerum infimarum essentiæ sicut in specie infima, concedo: rerum su-

premarum, nego. Per res infimās non intelligo ipsā in-  
diuidua, sed, ignobiliora indiuidua: vt Petrus Paulus  
sunt: nec per res supremās intelligo genera suprema,  
sed indiuidua nobilissima, vt sunt Deus, & Angeli. Res  
enim, supremæ sunt quæ abstrahunt ab omni materia  
sensibili: res verò infimæ quæ ex materia coalescunt.  
Quare.

DICENDVM est, Metaphysicam esse propriè scien-  
tiā. Id patet, nam eius obiectum est ens reale prout  
abstrahit à creato & increato: illud autem ens habet  
sua principia essentialia, & suas proprietates, ergo,  
potest sciri. Principia autem eius sunt essentia & ex-  
istentia; proprietates vero vnum, verum, bonum.

Qyod spectat ad eius obiectum, putant aliqui il-  
lud esse ens latissimè sumptum prout complectitur  
omne ens reale & omne ens rationis: alij verò ens ra-  
tionis excludunt ab hoc obiecto, & comprehendunt  
solum ens reale: sunt & alij qui ens reale increatum  
excludunt ab hoc obiecto, & solum ens creatum in-  
cludunt: nos autem quid sentiendum sit statim ape-  
riemus. Est enim prius obseruandum quid sit ens rea-  
le, quid ens rationis, quid creatum & quid increatum.  
Ens reale est illud cui non repugnat existere à parte  
rei: ens rationis cui repugnat existere extra intelle-  
ctum: ens creatum quod non existit à se, nec ex se,  
sed ab alio: increatum vero, quod neque à se neque  
ab alio existentiam habet, sed necessario existit, hoc  
est, quod productum non est à se neque ab alio, sed ex  
naturâ suâ ita existit, vt non possit non existere. His  
prælibatis, stabiliunt primæ opinionis assertores,  
suam opinionem, Metaphysicæ est prima rerum om-  
nium indagatio, ergo, si rerum realium: ita & entium  
rationis. Stat sequela, nam ex Aristotele contrario-  
rum est idem subiectum, & eadem scientia, quia ei-  
dem insunt subiecto, & contraria contrariis opposi-  
ta magis eluescunt, ergo, vt magis eluescat natura  
ensis realis, nobis innotescat natura ensis rationis  
sopportet: ergo, cuius est agere de ente reali, eiusdem  
est etiam agere de ente rationis, si velit perfectam ha-

bere entis in communi notitiam. Sed contra, primò, ens rationis non est contrarium enti reali, sed quādam analogia tantum dicuntur opponi. Contraria enim sunt quæ sese mutuò expellunt è subiecto: ens reale & ens rationis non se expellunt. Secundò eiusdem obiecti non potest esse duplex scientia, quia scientiæ distinguntur penes obiecta formalia: Logica autem agit de ente rationis nempè de diuisione, definitione, & syllogismo; ergo, nequit de illo agi in Metaphysica. Qui verò solum ens reale faciunt Metaphysicæ obiectum in duas dissecantur cohortes, alij dicunt ens spectari à Metaphysico prout abstrahitur ab omni differentia inferiori substantiæ & accidentis, corporis, & spiritus: alij verò quatenus eas includit differentias: sed errant superiores ut demonstrauimus infra. Qui solum ens increatum admittunt pro obiecto huius scientiæ, excludentes entia creata, sanc intelligunt de obiecto primario, non secundario, aut certe errant. Quia essentia, existentia, subsistentia, hypothesis & alia prima principia entis, ac proprietates eius ut unum, verum, bonum, non tantum conueniunt Deo, sed etiam intelligentijs & alijs creaturis. Quare.

DICENDVM est, obiectum adæquatum Metaphysicæ esse ens reale prout commune est increato, & creato: obiectum partiale præcipuum, ens increatum: partiale minus præcipuum entia creata. Prima pars patet, nam obiectum adæquatum est illud cui per se primò conueniunt vniuersaliores proprietates quæ in partialibus obiectis reperiuntur; atqui enti reali in communi conueniunt vniuersaliores proprietates, nempe, *unum, verum, bonum*, ergo ens reale in communi est obiectum Metaphysicæ. Secundò, obiectum adæquatum illud est quod implicitè includit cætera obiecta partialia, & ad quod ipsa referuntur ut inferiora ad superioris: atqui, ens reale includit creatum & increatum, quia auditio nomine entis hæret mens & dubitat an de creato an increato intelligatur, ergo, ens commune creato & increato est obiectum adæquatum

huius scientiæ. Dicitur autem increatum partiale præcipuum quia cùm hæc diuisio sit analoga assignari debet præcipuum analogatum ad quod cætera referantur, in quo ratio entis propriissimè reperiatur: in alijs vero per attributionem ad illud: quis autem negauerit ens reperiri propri in Deo & in creaturis per participationem à Deo.

---

## QUÆSTIO II.

*De proprietatibus entis realis.*

**D**VO sunt genera proprietatum entis realis, simplices, & coniunctæ. Primi generis sunt *vnum, verum, bonum*, secundi generis, ens actu vel potentia: esse idem, vel diuersum: esse contingens vel necessarium. Id tamē discriminis est inter illas proprietates, quod simplices reciprocentur absolutè cumente; ita ut nequeat esse ens quin sit *vnum, verum, bonum, coniunctæ* vero non reciprocentur absolutè & sigillatim cum ente; sed sub disfunctione *hos est, hac aut illa*, ut sensus sit omne ens vel esse actu, vel potentia: non simul actu & potentia, similiter, omne ens vel esse idem vel diuersum, contingens vel necessarium: nec simul idem & diuersum. Verum, coniunctæ proprietates, non tām sunt proprietates quām quædam affectiones entis; simplices verò veræ sunt proprietates eius, ita autem se habent ut *vnum* conueniat enti prout est in se, seque habeat in illo per modum priuationis diuisionis sui in plura; nempè in substantiam & accidens: *verum* per ordinem ad intellectum; *bonum* in ordine ad voluntatem; ut constabit infrà, est autem talis ordo seruandus in ijs assignandis affectionibus ut præcedat *vnum*, sequatur *verum*, accedat statim *bonum*. Prius enim res cocepitur esse in se quām ad aliud

aliud referatur , vnde , prius est ens absolutum quam relatiuum : deinde , prius est rem referri ad intellectum , quam ad voluntatem . Sunt alij qui alias referant proprietates entis , nempè , rem , aliquid , pulchrum perfectum intelligibile & appetibile , verum duæ priores , res & aliquid proprietates non sunt , sed ipsum est ens : quatuor vero posteriores ad verum aut ad bonum referuntur ; nam pulchrum & perfectum idem sonant : est enim pulchritudo integritas omnium partium , earumque debita proportio , ex qua resultat aliquis nitor : perfectum vero id significat cui nihil deest suæ integratatis , & integritas rei , seu summa eius perfeccio in eius bonitate essentiali consistit . Quod spectat ad intelligibile & appetibile , alterum ad bonum revocatur ; siquidem verum est intelligibile , & omne bonum appetibile , atque ex ijt constat tres duntaxat esse proprietates entis vnum , verum , bonum , de quibus inuestigandum est , quid sint , quomodo inter se & ab ente differant , & quid addant suprà ens .

## V N V M .

Hæc proprietas est id quæ res ita fit in se vna , ut non sit multiplex : adeo ut sit impossibile concipere aliquid ens nisi illud sit vnum . Est autem triplex vnum pro triplici vnitate , generica , specifica & individuali . Vnde , quidquid est vnum vel est vnum genere , vel specie , vel numero . Vnitas generica est in ente per modum priuationis diuisionis sui in plures species ; vnitas specifica per modum priuationis diuisionis sui in plura individua ; at vnitas numerica est in ente per modum negationis diuisionis , quia ens non descendit nisi ad individuum . Vnde in dividuum magis est vnum quam species & species magis quam genus , sed de ijs satis in Logieis . Queritur tamen an vnum quod definitur id quod individuum est esse & diuisum à quolibet alio addat aliquid reale supra ens . Respondeo negatiuè , quia si aliquid reale adderet supra ens , illud non esset ens , & esset ens .

quia extra ens, & esset ens, quia nihil reale est, nisi sit ens. Addit tamen aliquid priuatuum per modum entis ratione ratiocinata distinctum ab ente. Est igitur *vnum* supra ens, priuatio multiplicitatis entium: quatenus ens ita est *vnum* ut possit fieri multiplex. Et ratio est euidentis, nam quando concipiimus ens abstractum à suis inferioribus, illud concipiimus quidem ut *vnum*; sed ut *vnum* aptum fieri multiplex, per sui communicabilitatem. Nisi enim esset aptum suis inferioribus communicari, ab illis non abstraheretur, neque in illis posset reperiri. Fundamentum autem communicabilitatis in ente est appetitus ad sui perfectionem, seu carentia talis perfectionis. Cum enim ens possit fieri substantia & accidens per sui communicabilitatem, & præterea talis substantia & tale accidens per varios modos essendi, & tandem per individualitatem descendere ad existentiam, hinc fit ut seipsum tradat ad inferiora, quibus medijs & non alio modo potest ultimo suo actu pótiri, unde, *vnum* est prius multiplicitate, & quo magis individua ad ens accedunt eo magis fiunt *vnum*, & quod magis receidunt, eò magis fiunt plura: quia quæ in inferioribus dispersa sunt, in ente sunt adunata, cum ens sit origo à qua cætera fluunt & centrum ad quod omnia tendunt. Sed hæc de *vno* primâ proprietate entis, ad secundam progrediamur.

## VERVM

**V**ERVM dicimus esse proprietatem entis realis quia reciprocatur cum ente, de eoque per se prædicatur. Omne ens enim est verum si sit reale; & omne ens reale verum est. Id patet, nam illud omne est reale quod acte existit, aut potest existere, nihil autem est huiusmodi, quod verum non sit, ergo quod reale est, verum est: atque ens de quo iam agimus est reale, ergo verum. Est autem verum in triplici genere in essendo, in cognoscendo, & in significando, verum in esse ad est conformitas rei ad ideam diuinam: verum in cognoscendo

cendo est conformitas cognitionis cum suo obiecto: at verum in significando est conformitas signi cum suo signo. De vero in significando agit Logicus: de vero in cognoscendo animasticus, vel etiam Logicus, cuius est dirigere mentis operationes; de vero autem in essendo Metaphysicus cuius est essentias rerum inuestigare. Dicimus igitur illud ens verum esse quod est conforme primo exemplari. Per primum exemplar intelligo ideas quas habet Deus ab æterno de omnibus rebus possibilibus. Sed quia id est respondent intellectui, aduerte duplarem distingui in Deo intellectum, nempè practicum & speculatum. Practicus est per quem Deus res nouit quatenus ipsas procreat aut procreare statuit, atque eo sensu D. Th. appellat ideas, rerum essentias prout à Deo factibiles: speculatus dicitur per quem res nouit ut in se sunt absolute. Res igitur quæ sunt conformes utriusque intellectui diuino veræ sunt & reales, quia licet nunquam fiant actu, possent tamen fieri, si essent obiecta intellectus practici & hæc de vero.

## B O N V M.

Quod spectat ad tertiam proprietatem quæ est *bonum*, certum est sistere in integritate & complemento essentiae rei. Est autem duplex bonum, absolutum, & relativum. Absolutum est tota essentia rei omnibus suis numeris absoluta, & cui nihil deest sive perfectionis. Hoc sensu bonum naturale & essentiale Petri est aggregatio eorum omniū quæ ad suā essentiam & proprietates spectat, aliud bonū habet sibi accidentale ut sunt, pulchritudo, habitus scientiarū & artium quæ in hac vita obtineri possunt. Bonum vero relativum sunt omnia quæ desunt alicui rei, prout illi, seu suæ naturæ conueniunt, hoc sensu quæcumque possunt accidere enti præcisè sumpto, ut sunt gradus essentiales substantiæ, corporis, viuentis & similia bona relativa sunt entis, quia illi conueniunt ut possit in actum exire existentia. Sed ad entis diuisionem progrediamur.

**QVÆSTIO II.**

*De diuisione entis realis in decem predicamenta;  
& entis rationis in suas species, & an ens  
sit analogum ad sua inferiora.*

EN S reale per se spectare ad Metaphysicam; ens  
verò rationis per accidens tantum, insinuavimus  
suprà. Iam est iuvestigandum quomodo utrumque  
diuidatur. Ens rationis cui repugnat existere à parte  
rei cùm totum suum esse habeat intellectu obiectum,  
diuiditur adæquate in relatiuum, priuatuum, & ne-  
gatiuum: seu in relationem, priuationē & negationem.  
Relatiuum est genereitas, specieitas, subiectibilitas, &  
aliæ secundæ notiones Logicales quæ in ipsis naturis  
adueniunt ab intellectu. Sunt enim mutuæ relations  
quæ inferius respicit superius, & è contra, de quibus  
satış abundè in Logicis. Priuatuum est carentia for-  
mæ in subiecto apto habere illam, ut cæcitas in ocul-  
lo, dummodò concipiatur per modum entis positiui:  
negatiuum vero, carentia formæ in subiecto, non apto  
eam habere, si concipiatur per modum entis positiui,  
ut cæcitas in pariete: non enim est pars aptus ad vi-  
dendum. De illo ente rationis agitur per se in Logica:  
in Metaphysica verò per accidens tantum, idque pro-  
pter eam quam habet cum ente reali analogiam. Agit  
igitur Metaphysica primò per se de ente reali eiusque  
iuvestigat diuisiones, principia, affectus, & modos. Di-  
uiditur autem primò ens reale, in ens per se, & ens per  
accidens. Secundò, in ens actu & ens in potentia. Ter-  
tiò, ens actu in ens creatum & increatum. Quartò, ens  
creatum in substantiam & accidentes. Substantia in cor-  
poream & incorpoream; viuentem & non viuentem:  
sensibilem & insensibilem: rationale & irrationalē.  
Diuiditur etiam accidens in corporeū & incorpo-

reum : quia corporeum sequitur substantiam corporam: & incorporeum, incorpoream. Substantia corporea diuiditur in materiam formam & totum compositum; deinde materia in Cœlestem & Sublunarem: forma item in Cœlestem & elementarem , viuentem & non viuentem. Substantia vero incorporea diuidi solet in Angelos, & animam rationalem. Angeli in nouem choros, Angelos, Archangelos, Virtutes, Tronus, Dominationes, Principatus, Potestates, Cherubim & Seraphim, qui spiritus differant nè specie, non liquidò constat : animæ verò rationales eiusdem sunt speciei in omnibus indiuiduis. Accidens diuidit Aristoteles in nouem prædicamenta, quantitatē, qualitatem, relationem, actionem, passionem, ubi situm, tempus & habitum , quæ , substantiæ corporeæ sunt, vel ornamenta , vel principia operandi formalia. His autem inest *ens* eo fere modo quo genus inest suis speciebus licet substantia & accidens non sint verè species entis: sed varij modi essendi , ut constat ex dictis in Logica. Ratio enim entis includitur essentialiter in suis differentijs , nec illa potest assignari substantia aut ullum accidens quod non sit ens. Sed an ens sit uniuocum ad sua inferiora videamus, & quidem paucis, cum satis nobis res innotescat ex dictis in Logica disp. de Anteprædicamentis. Omnis analogia vel est proportionis vel attributionis. Analogia proportionis est quando forma analogans reperitur intrinsecè in uno analogato , in alijs verò cum aliqua proportione tantum, hoc sensu, pes dicitur de animali & móte, quia quemadmodum pes est essentialiter infima pars animalis, ita est infima pars montis & dicitur pes montis per analogiam. Analogia attributionis est dum forma analogans reperitur quidem intrinsecè in quolibet analogato, scđ in uno reperitur per prius; in alio vero per posterius, hoc sensu ens reperitur in Deo &c creaturis ; in substantia & accidentibus. Prius est enim Deus quam illa creatura : & omnis substantia prior est quocumque accidente. Deinde genus analogum est illud quod includitur in suis differentijs, & ab illis

contrahitur ad varios modos essendi, non ad vetas species, ut dictum fuit in Logica, nec est id amplius repetendum. Explicuimus etiam in Logicis quid substantia, quid accidens, quid quantitas quid qualitas & alia praedicamenta, superest tantum inuestigandum quae sint principia essentialia entis. Quare sit.

## QVÆSTIO IV.

*De principijs entis, essentiâ, existentia, subsistentiâ, inherentiâ, entitate, & individualitate.*

**P**LURA ac varia proponuntur in hac questione suggillatim exponenda. Dicuntur autem haec principia entis quia nullum est ens quod non habeat essentiam, existentiam, & subsistentiam aut inherentiam, entitatem & individualitatem.

## ESSENTIA.

**E**SSENTIA cuiusque rei dicitur id quod primum concipitur in unaquaque re & quo solo posito dicitur res illa esse; quo vero sublato tollitur illa res. Duplex autem est essentia, *simplex*, & *composita*, essentia simplex est omnino expers omnis compositionis etiam Metaphysicæ, & conuenit soli Deo, qui aclus est purissimus, nihil includens per modum potentiae aut per modum actus, potentiam aliquam perficiensem, e modo quo differentia perficit genus. Essentia composita plures includit gradus essentiales ex quibus simul compactis illa fit, & conuenit omnibus rebus creatis. Homo enim dicitur essentia, Petri, & fit ex gradibus entis, substantiæ, corporis, viuentis animalis & rationalis. Habent autem essentiam, non tantum substantiæ corporeæ, & incorporeæ sed etiam accidentia. Ut enim essentia substantiæ in genere, est ens per se sub-

sistens, seu compositum ex ente & substantia creatibili: ita essentia accidentis est ens alteri inhærens, seu compositum ex ente & inhærentia. Dicitur autem omnis essentia indivisibilis & aeterna: indivisibilis quidem, quia quisvis homo est æqualiter homo, omnis substantia æqualiter substantia, nec una magis substantia, quam altera: nec unum accidens magis accidens quam aliud in esse accidentis, licet possit intendi aut remitti quoad gradus essentiales. Si enim addatur aut detrahatur aliquid ab essentia periret omnino, vnde Aristoteles lib. 8. Met. cap. 3. sex. 10. essentias rerum esse instar numerorum scribit, adeo ut ubi aliqua est essentia, ibi tota sit oportet. Nec id dicitur tantum de substantia, verum etiam de accidentibus. Vbicunque est albedo, aut nigredo, calor aut frigus, aut quocumque aliud accidens, ibi totum est secundum essentiam, licet non secundum intensionem aut extensionem quantitatuum. Dicuntur autem rerum essentiæ, aeternæ seu immutabiles ac si dicerentur improductibiles & incorruptibiles, quia essentiæ formaliter ut essentiæ semper fuerunt in idea Diuinâ. Nec aliud sunt essentiæ rerum productarum aut possibilium quam ideas. Vbi aduertere, me hic distinguere ideas ab essentiâ Diuina, contra illos qui rerum ideas non putant esse ipsas res productibiles ut adhuc sunt in potentia, sed esse essentiam Diuinam prout imitari potest à creaturis. Quod ut capias, aduertere esse quosdâ qui arbitrantur Deum dum se cognoscit videre in sua essentia prælucere rerū creabilium species, seu ideas ad quas respiciendo res ipsas repræsentatas producit, iuxta illas ideas, eo fere modo quo pietor ad exemplaria respicit dum tabellam efformat. Potest enim quævis res, in triplici statu spectari: in statu ideali, virtuali, & reali. Primo modo, res omnes productibiles, ab aeterno præextiterunt in mente diuina secundo modo existunt effectus in suis causis, & omnia quæ existunt, extiterunt & futura sunt, præ extiterunt in potentia activa Dei; tertio modo existunt res à parte rei. Cum ergo quætitur utrum rerum essen-

riæ sint ab æterno, id debet intelligi de primo, & se-  
cundo modo, non de tertio: quia certum est nullam  
creaturam extitisse realiter extra suas causas ab æter-  
no; sed tantum in idea Dei, & in virtute creatrice, ynd-  
e corruit opinio Platonis qui putauit ideas rerum  
existere ab æterno ex quibus procedunt hæc singula-  
ria quæ oculis intuemur. Si enim res ita esset aliquid  
reale extitisset ab æterno, extra Deum.

## EXISTENTIA.

EXISTENTIA est aliquis modus superadditus essen-  
tiæ, quò ipsa actualiter existit cùm anteà non existe-  
ret. Est igitur existentia aliquid extra essentiam, im-  
mò posterius ipsâ essentiâ: cùm essentia sit ab æterno:  
existentia verò in tempore, estque terminus produc-  
tionis. Licet enim per primam rei productionem es-  
sentia fiat existens, cùm anteà non existeret non dici-  
tur tamen illa formaliter produci, sed eius existentia  
& per concomitantiam ipsa essentia. Quæri potest  
vtrum essentia differat realiter ab existentia necnè.  
Döcent Thomistæ realiter differre, probant hoc mo-  
do, quæ sunt ab æterno realiter differunt ab ijs quæ  
sunt in tempore: essentiæ rerum sunt ab æterno: exi-  
istentia verò sit in tempore, ergo realiter differunt.  
Stat maior, nam, duratio rei non differt nisi ratione à  
re quæ durat, ergo, quorum duratio differt, realiter  
differunt: atqui æternitas differt realiter à tempore,  
ergo, quæ sunt ab æterno ut essentiæ, realiter differunt  
ab ijs quæ sunt in tempore. Sed contra, essentiæ sunt  
ab æterno obiective in mente diuina, concedo, in illo  
statu sunt aliquid realiter distinctum à seipsis existen-  
tibus, nego. Ratio est quia id quod modò fit non est  
sola existentia, sed essentia existens, hoc est, essentia fit  
existens, vel per creationem si fit res creabilis: vel per  
generationem si fit res generabilis. Deinde, res est ea-  
dem quæ modo est in esse essentiæ, & modo in esse  
existentiæ. Nec est aliquid positivum & reale essentia,  
nisi per ordinem ad existentiam. Si enim impossibilis

esset existentia, essentia illa esset facta: ut patet de ente rationis cuius totum esse est obiectum in mente. Quare.

DICENDVM, essentiam non distingui plusquam ratione ab existentia. Id patet nam quae realiter differunt, reales habeant existentias inter se distinctas oportet; siquidem realis existentia est fundamentum realis distinctionis vnius ab altero: atqui essentia & existentia non habent reales existentias diuersas ut patet, ergo realiter non differunt. Confirmatur, nam Petrus & Paulus ideo realiter differunt; quia habent existentias diuersas. Præterea, existentia est modus Metaphysicus essentiæ, ergo Metaphysicè tantum differt ab essentia. Res omnes præter essentiam habent vel subsistentiam si sint substantiæ, vel inhærentiam si sint accidentia. De ijs est agendum.

## S V B S I S T E N T I A , E T I N H Ä R E N T I A

S V B S I S T E N T I A est formale constitutuum substantiæ: quemadmodum inhærentia formale constitutuum accidentis. Conueniunt igitur in ente & differunt in tali ente. Essentia substantiæ est ens per se subsistens: essentia accidentis ens alteri inhærens. Conueniunt item in eo quod habeant essentiam & existentiam, sed differunt in modo existendi: substantia siquidem existit per se: accidens vero existit per aliud, unde modus existendi substantiæ est subsistentia: modus vero existendi accidentis est inhærentia. Subsistentia autem est duplex, aptitudinalis, & actualis. Aptitudinalis est de essentia substantiæ, & est aptitudo ut possit per se subsistere, ut patet in humanitate Christi: quæ priuatur propriâ subsistentia actuali, cuius loco substituta est personalitas verbi, & tamecum est tota & completa substantia humana: ergo sola aptitudinalis subsistentia est de essentia substantiæ: actualis vero proprietas est, cum possit realiter abesse. Inhærentia pariter duplex est; aptitudinalis & actualis, sola aptitudinalis est de essentia: actualis vero pri-

proprietas accidentis, quia in venerabili sacramento sunt vera accidentia sine actuali inherentia, ut fides docet. Retinent tamen aptitudinem inherendi si proprio reponantur subiecto. Sed de ijs multoties egimus alibi, ut non sit ulterius progrediendum, essentiam, existentiam & subsistentiam, & inherentiam, sequitur individualitas, de qua licet multa dixerimus disp. de specie in Logicis, est tamen illa hic attigenda.

## INDIVIDUALITAS.

**VLTIMVM** complementum substantiae & accidentium dicitur individualitas, & hæc quidem præcedit essentiam & existentiam: estque ab æterno, cum ipsa individualia æque sint æternæ, ac ipsæ essentiae. Est autem individualitas modus quidam Metaphysicus contrahens speciem insimul ad ipsa individualia, ut principium incommunicabilitatis. Sunt enim essentiae naturæ suâ communicabiles & sunt incommunicabiles per individualitatem. An sit extra essentiam individuali diximus in Logicis, satis fusè, ut non sit opus iterum repetere. Vocatur à Scoto hæcceitas, quod faciat naturam, hanc individualiter: ab alijs dicitur singularitas quod naturam universalē efficiat formaliter singularē: docuimus quid sit individualis disp. de universalī, sequitur inuestigandum quid sit entitas.

## ENTITAS ET QVIBVS CONVENIAT.

**R**EI cuiusque entitas ab eius essentia non differt nisi ratione. Vnde entitas rei, essentia rei; quidditas rei, natura rei, & ratio rei reciprocantur. Conuenit autem omnibus rebus corporeis & incorporeis, substantijs & accidentibus, possibilibus & actu existentibus: siquidem hæc omnia essentiam habent & existentiam possibilem vel actualem. Sumunt aliqui propriè, entitatem rei pro sola essentia existente actu, & hoc sensu potissimum Deo conuenit, quia necessariò existit, cætera vero contingenter. Hinc sit ut nequeat

concipi Deus nisi ut actu existens. Si enim concipitur ut non actu existens, aliqua illi deesset perfectio quinimò, Deus non esset; cum eius esse sit eius existere, & eius vivere; adeo ut ita existat ut non possit non existere. Sed hæc satis multoties de ijs in Logicis, & Physicis.

---

## Q VÆSTIO V.

*De Intelligentijs.*

**E**N S creatum diuisimus supra in corporeum & spirituale: de corporeo diximus, ad spirituale est progrediendum. Sed quia Theologorum est de Angelis agere quemadmodum de Deo, idèo paucis expediemus: nolo enim in alienam messem falcem mittere. Intelligentiæ nomen tribus sumitur modis. Primò pro habitu intellectus, de quo meminit Aristoteles & Æthy: dum recensens habitus intellectus, posuit sapientiam, intelligentiam, prudentiam, scientiam & artem. Secundò, pro actu talis habitus, vel pro quocumque actu intellectus. Tertiò, pro substantia spirituali condistincta ab animâ rationali. Hæ autem substantiæ spirituales dicuntur intelligentiæ, vel ex eò quod sint tantum obiectum intellectus, non autem sensuum extenorū: vel quia non discurrent sed intuitivè res percipiunt, vnde cognitio propositionis per se notæ dicitur intelligentia, sumptùa denominatione ab intelligentijs quæ intuitivè per se primò res intelligunt: non autem ut homo qui res percipit discursu. De ijs autem intelligentijs quæri solet Primò an sint: Secundò quid sint; Tertiò quot sint.

Quod spectat ad primum, fuit olim vetus error Saduceorum, non dari intelligentias quæ ratione officij dicuntur Angeli. Putabant enim, quæcumque existunt præter Deum intrâ concauum lunæ contineri: & quidquid in ijs inferioribus existit, esse corpora

elementaria, & mixta perfecta vel imperfecta: è quorum numero non possunt esse intelligentiae, cùm ipse sint mere spirituales: distincte etiam ab anima rationali quæ mere spiritualis non est cùm sit natura suâ ordinata ad corporis informationem: ex quo sequitur, animam esse incorpoream entitatem, corpoream vnitatem. Sed hæc ratio nulla est, quia anima nostra purè spiritualis est, licet eius vno sit corporea & diuisibilis. Eandem opinionem tamen sunt sequuti Æthæri apud paganos, quod existimauerint id implicare ut darentur substantiae à materia absolutæ. Sic, quemadmodum Saducei resurrectionem negabant mortuorum. Hic error fundamentum habebat in eo quod non poterant sibi persuadere, aliquid posse fieri ex nihilo, sed omnino debere fieri ex subiecto præjacente, & consequenter dependere à materia in fieri, esse, conservari, & operari: & sic animam nostram mortalem esse credebant. Sed hic error satis explosus fuit disp. de anima, vbi etiam ex mente Aristotelis, demonstrauimus, animam nostram esse immortalem. Fuit aliorum antiquorum opinio, dari quidem intelligentias motrices Cœlorum, sed quæ essent corporeæ substantiae, & ex materia educatae, sed Chymera. Quomodo enim illæ corporeæ substantiae possent existere intra Cœlos maximè contiguos? Præterea, intelligentiae ut vocabulum sonat debent esse purè intellectuales, ergo, non sunt educatae de materia. Alij vero ut Plato & Aristoteles intelligentias posuerunt ut substantias prorsus immateriales, per se subsistentes, & completas ex genere & differentia, ex essentiâ & existentiâ: ex natura & supposito. Cœlos moueri circulariter ab ijs intelligentijs docuit Aristoteles lib. de Cœlo; & uniuersique Cœlo, suam statuit esse intelligentiam motricem, vnde, ex Aristotele, præter primam causam quæ sit purissimus actus expers omnis compositionis ex materia & forma: ex essentia & existentia, ex genere & differentia: ex natura, & supposito; quia haec compositiones important aliquam imperfectionem, dantur aliæ substantiae spirituales, quæ expertes sint qui-

dem compositionis ex materia & forma ; sed non ex essentia, & existentia; & ex genere & differentia; aut ex subiecto & accidente. Hanc opinionem sequitur Averroës, & pluribus probat argumentis, debere dari talem naturam creatam quæ sit purè spiritualis: alioquin deesset orbi aliqua perfectio possibilis. Datur enim substantia aliqua merè corporea , ut sunt Cœli, Elementa, & mixta perfecta animata, & animata : ergo, dari debet aliqua substantia merè spiritualis & incorporea: substantia siquidem diuiditur immediatè in corpoream: & in incorporeā. Nec refert quod anima rationalis sit spiritualis, nām ea incompleta est, & debet dari aliqua substantia spiritualis completa creata, quæ sit composita ex essentia & existentiâ: ex naturâ & supposito: ex genere & differentiâ. Differunt autem Angeli, ordine, moribus, & officio. Ordine quidē quia triplex est eorum hyerarchia , & harum quælibet in tres diuiditur ordines. Primæ hyerarchiæ sunt Zeraphimi, Cherubim, Troni: Secundæ, sunt Dominatones, Virtutes, Potestate: tertiae, verò Principatus, Archangeli, Angeli. Secundò, differunt Angeli moribus, quia alij sunt boni, alij mali , bonitate aut malitia morali. Natura enim illorum integra quidem est : sed quidā peccauerunt, alij non peccauerunt. Tertiò, differunt officio quod alij ad maiora mittantur : alij ad minora, alij singulis hominibus præsint, alij viribas: alij prouincijs, alij verò regnijs, & imperijs. Scribunt aliqui ex Theologis Angelos vnius hyerarchiæ differre specie ab alijs; sed non probant. Matim dicere omnes esse eiusdem speciei, ut sunt omnes homines, sicut alijs sint Imperatores: alijs Reges: alijs Principes: alijs Duces. Quæres quomodo loquantur inter se. Respondeo eos loqui per transmissionem specierum in intellectum aliorum. An Creati fuerint in gratia; vel in puris naturalibus: an peccauerint in primo aut in secundo instanti videbis in Theologia. Quid sit Ens in creatum aperiamus.

## ENS INCREATUM.

HACTENVS de ente creato, & ijs quæ ad illud spe-  
tant. Postulat res ut ad altiora progrediamur. Nihil  
tamen supra nos; sed quantum patietur insimilitas no-  
stra. Scio quidem ex fide dari Deum. Id scio, id credo, id  
profiteor. At, an possit demonstrari lumine naturali,  
id negant protervi, cum quibus non esset agendum  
verbis, sed verberibus. Aiunt autem, neque à priori,  
neque à posteriori potest demonstrari Deum esse; er-  
go, nullo modo est. Probant antecedens, Deus neque  
essentiam habet, neque proprietates ab essentia ema-  
nantes alioquin esset compositus ex genere & diffe-  
rentia, ex essentia & existentia, ergo, nullo modo po-  
test demonstrari. Sed contra, Deus non potest demon-  
strari à priori, quia nihil est prius Deo, concedo: Deus  
non potest demonstrari à posteriori, nempe à suis ef-  
fectibus, nego. Cœli enim enarrant gloriam Dei, &  
opera manuum eius annunciat firmamentum. Dices,  
hæc verba sunt ex fide; ergo, ex fidet tantum habemus  
quod sit Deus. Respondeo, hæc verba sunt ex fide,  
concedo: res significatæ per illa verba sunt ex fide,  
nego. Pagani enim qui earent fide, satis norunt esse  
numen quoddam à quo sit Cœlū, à quo sint elementa,  
& mixta. Plato id agnouit. Aristoteles id docuit.

DICENDVM est, lumine naturali posse demonstrari  
dari Deum, qui sit ens increatum. Primò quidem ex  
motu, quia quidquid mouetur ab alio mouerur, & de-  
ueniendum est ad primum motorem qui moueat im-  
motus. Secundò, ex subordinatione causarum, infer-  
iores enim non agunt, nisi concurrente superiore,  
quæ sublatâ cessant aliæ: & positâ illa, ponuntur &  
aliæ: Tertiò ex possibili & necessariò. Cum enim quæ  
sunt possibilia non sint necessariò; alioquin semper  
existerent; admitti debet aliquod ens necessariò exi-  
stens per quod omnia quæ erant possibilia producan-  
tur, cum anteā non existerent. Si enim omnia quæ  
sunt possibilia sunt tantum, & nullum sit ens necessa-


rium, nunquam poterunt in actum exire; sed perpetuo in illa possibilitate remanebunt. Quartò, ostenditur lumine naturali esse ens aliquod increatum, ex orbis gubernatione: liquidò enim constat quandam esse supremam causam quæ cæteras inferiores ad suos proprios fines dirigat, præsertim quæ carent cognitione. Ultimò, ex structurâ Cœlorum, regulari motu syderum; constitutione terræ in medio & similibus quæ omnem vim excedunt cæcæ naturæ. Si enim esset natura dea quæ hos effectus ederet: vel illa esset tota congeries creaturarum, vel aliqua solùm vel quedam simul; sed neque quedam simul, neque aliqua solùm; neque omne simul: quia omnes res creatæ sunt creatæ, & nullæ potest assignari quæ non sit de numero illarum; ergo præter creaturas dari debet creator quæ omnia creauerit. Hunc autem nouimus, ex fide, esse ens æternum, infinitum, immensum, summè bonum, & à Philosophiæ nostræ cui, & Ecclesiæ sua sponſæ subijcimus quæcumque scripsimus.

## D E O. O P T. M A X.



A M A D O G O F

Excedebat Iohannes Bovde  
Typographus Regius, ante  
Collegium Fuxente, sub  
Signo S. Ioannis.



X. 38. T. 90. 030

